MONUMENTA CATHOLICA

PRO

Independentia Potestatis Ecclesiasticae

ab

Imperio Civili.

Collegit et edidit

AUGUSTINUS DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPUS NITRIENSIS.

TOMUS VIII

Monumenta ex Pontificatu Pii IX. inde ab a. 1864—1868. complectens.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVI
E
77
NAPOLI

MONUMENTA CATHOLICA

PRO

Independentia Potestatis Ecclesiasticae

ab

Imperio Civili.

Collegit et edidit

AUGUSTINUS DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPUS NITRIENSIS.

TOMUS VIII.

Monumenta ex Pontificatu Pii IX. *inde ab a. 1864—1868 complectens.*

BIBLIOTECA NAZIONALE · V.E.III · ROMA

Pestini, 1871.

Typis Athenaei.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS TOMI OCTAVI.

Pag.

Introductio . . . . . I—XLIX.

Monumenta.

Pontificatus Pii IX a. 1864—1868.

I. Monumenta Romana.

1565. *Pii IX* Encyclica ad Eppos cum *Syllabo errorum* huius temporis 1864 1

1566 - 1576. Declarationes *Epporum Italiae et Hungariae* ad Encyclicam praeviam:

a) Epp. *Neapolitanorum* 18
b) Epp. *Umbriae* 19
c) Epp. *Marcarum* et *Umbriae*. 21
d) Epp. *Hetruriae* 23
e) Epp. provinciae *Mutinensis* 24
f) Eppi *Tarvisini* et Capituli *Ripanensis* 27 s.
g) Eppi *Iaurinensis, Weszprimiensis, Rosnaviensis* 29. 37. 42
h) Card. AEppi *Zagrabiensis* 54

1577 - 1594. *Pii IX* Brevia ad Praesules in nexu declarationum erga Encyclicam 74

1595. Eiusdem *Allocutio*, laudans Praesules ob defensa iura Ecclesiae 1865 88

1596. Eiusdem nova Allocutio contra *societatem Massonicam* 1865 90

1597. *S. Congr. Officii* de secta *Fenorum seu Fenianorum* 1865 94

1598. *Card. Praef. S. Congr. Concilii* ad Eppos de nonnullis disciplinae capitibus 1867. 95

II. Monumenta Russica, Polonica.

1599. *Pius IX* Eppis *Poloniae* de persecutionibus Russicis Ecclesiae Cath. 1864 96

1600. Eppus *Aurelianensis* de iuvandis infelicibus Polonis per preces et subsidia 102

1601. 1602. Eppi *Chelmensis* relatio duplex de suis cum Russico Gub. differentiis 114

1603. *Card. a Secr. Status* contra abolitionem Monasteriorum protestatur 1865. 116

1604. Idem protestatur contra impedimenta Eppo *Chelmensi* a Gubernio opposita 1865 . . . 125

1605. 1606. *Pii IX* Allocutio de luctuoso statu rei catholicae in Imp. Russico 1866 cum Expositione documentata 129. 133

1607. *S. Congr. Concilii* de dioecesi *Camenecensi* per Gubernium suppressa 1867 183

Digitized by Google

Pag.

1608. Eiusdem Congr. decretum de Eppatu *Podlachiensi* 186
1609. *Pius IX* ad Eppos orbis de re catholica in *Russia, Polonia* et *Italia* 1867. 187

III. Monumenta Helvetica.

1610—1612. *Internuntius S. Sedis* reclamat apud Gubernium *Tessinense* iura Ecclesiae 1864 s.. 192
1613. *Eppi Helvetiae* ad Foedus Helv. contra iniurias S. Sedi illatas 1866 196

IV. Monumenta Friburgensia ex M. Duc. Badensi.

1615—1630.*) Acta ad conflictum *Ordin. Frib.* cum *Gubernio* in re *scholari* spectantia 201
a) *Memoriale AEppi* pro iure Ecclesiae 1863 201
b) Declaratio *Cleri Curati* 1864 . . . 227
c) *Pius IX* ad AEppum Friburgensem 1864 230
d) *Repraesentatio* AEppi ad M. Ducem 1864 235
e) Eiusdem *epistola pastoralis* 1864 . . 242
f) Ordinariatus *refutat obiectiones* Ministerii MDucalis 1864 260
g) Ordinariatus prohibet Clero influxum in executione legis civilis 272
h) Idem Ord. instructionem impertitur Clero quoad scholas 273
i) *Heidelbergenses* catholici ad M. Ducem pro iure Ecclesiae 1865 275
k) *AEppi Pastorales* de conflictu scholari 1865 278
l) Ordinariatus pro iuribus Ecclesiae 1865 285
m) Idem communicat Clero sententiam Summi Pontificis 292
n) Declaratio nova Cleri Curati 1865 . 293
o) *AEppi Pastorales* ad fideles de impedita per Gubernium catholica institutione 297
p) Protestatio Ordinariatus contra praescriptum a Gubernio librum acatholicum 1867 304
q) Eiusdem rescriptum ad Patres- et Matre-familias 311
1631—1636. Acta ad conflictum in merito *examinis Ecclesiasticorum per Statum* decreti 314
1637. *Ordinariatus Friburgensis* ad Ministerium MDucale super gravaminibus Ecclesiae 327
1638. *Declaratio et protestatio Cleri Curati* in eodem merito 1867 341

*) Numerus 1614 per errorem emansit in serie Monumentorum, sed ideo nullum deest Monumentum.

Digitized by Google

Pag.

1639. *AEppi protestatio* contra legem civilem de institutione elementari 1868 349
1640. *Administrator AEppatus Friburgensis* contra scholas mixtas et communes 1868. 349

V. Monumenta Bavarica.

1641. *Eppi Bavariae* ad Regem de *Scholis* e Conventu suo *Bambergensi* 1864 360
1642. *Pius IX* ad Eppos Bavariae in eodem merito 1864 377
1643 - 1645. De impedita a Gubernio *Seminarii Spirensis* erectione 1864 s. 380
1646. *Memoriale Praesulum* Bavariae ad Regem de *Scholis* 1867. 400
1647 Alterum Memoriale eorumdem in eodem obiecto 406

VI. Monumenta Italica.

1648—1653. *Repraesentationes et protestationes Epporum Italiae* contra decreta Gubernii *de servitio militari Clericorum* 1864 424
a) Epp. *Hetruriae* 421
b) Epp. *Subalpinorum et Lombardiae* . . 428
c) Epp. *Mutinensium et Parmensium* . . 434
d) Epp. *Utriusque Siciliae*. 446
e) Epp. *Piceni et Umbriae* 449
f) Epp. *Romaniolae* 456
1654—1657. Reclamationes Epporum contra legum proiecta de *abolendis Ord. Religiosis et bonis eccles.* 1864. 1865 459
a) Epp. *Subalpino-Liguriensium* . . . 459
b) Epp. prov. eccl. *Vercellensis* . . . 469
c) Epp. *Hetruriae* 473
d) Epp. *Marcarum et Umbriae*. . . . 476
1658—1662. Reclamationes Epporum contra *Placetum R.* 1864 480
a) Epp. *Utr. Siciliae* 480
b) Epp. prov. *Mutinensis et Parmensis* . 484
c) Epp. *Piceni et Umbriae* 488
d) Epp. *Hetruriae* 491
e) Epp prov. *Taurinensis*. 496
1663. Protestatio nova Epporum *Utr. Siciliae* in obiecto *Seminariorum* 1864 509
1664. Eppi prov. *Taurinensis et Vercellensis* pro *Matriculis Parochialibus* 1865 519
1665. *Pii IX* Allocuti contra attentata Gubernii Subalpini 1866 521
1666. Declaratio *Epporum exulantium* ad Ministerii Praesidem 1866. 524
1667. Devota precatio in praesentibus Ecclesiae calamitatibus 1866 528
1668. 1669. Decreta S. *Poenitentiariae R.* de Deputatis Parlamenti Italici 1866 . . . . . 528 a.
1670. *Pius IX* ad S. Collegium de provisione Ecclesiarum in R. Italico 1867 532
1671. *Pii IX* Allocutio contra venditionem bonorum eccles. in Italia 1867 534

Digitized by Google

		Pag
1672.	Idem abrogat tribunal sic dictae *Monarchiae Siculae* a. 1867	535
1673.	Eiusdem literae ad Eppos et Clerum ac fideles in eodem merito	540
1674. 1675.	*Monitorium et Breve excommunicatorium* sic dicti Iudicis Mon. Siculae	543. 545

VII. Monumenta Mexicana.

1676.	*Pii IX* Breve ad *neo-Imperatorem Mexicanum* de rebus Eccl. Cath. 1864	548
1677—1684.	Correspondentia Gubernii Mexicani cum Nuntio Apostolico 1864. s.	552
	In ea agebatur de relatione Ecclesiae ad Imperium, et de *Placeto*	.553.565.ss.
1685	Fragmentum *Allocutionis* Pontificiae a. 1865 de rebus Mexicanis.	574
1686.	Alterius *Allocutionis* in simili merito fragmentum 1867	574

VIII. Monumenta Hollandica.

1687.	*Conc. Ultrajectense* de relatione Ecclesiae ad Civitatem 1865	575
1688.	Epporum Pastprales de re scholari, cumprimis contra scholas communes 1868	583

IX. Monumenta Borussica.

1689.	*Pius IX* AEppo *Coloniensi de Catholica Universitate* 1867	596
1690.	*Syn. dioec. Paderbornensis* de Ecclesia et Schola 1867	597
1691.	*AEppus Gnesnensis* contra scholas simultaneas 1868	598

X. Monumenta Austriaca.

1692.	*Card. AEppus Zagrabiensis* de Auctoritate, et *Concordato* 1865	598
1693.	Idem de auctoritate Regia et officiis Regis qua christiani principis 1867	607
1694.	Idem de relatione Ecclesiae ad Imperium et Concordato 1867	616
1695.	Eiusdem altera pastoralis litera in eodem merito	624
1696—1702.	Repraesentatio *Praesulum* Imperii pro manutenendo *Concordato* 1867	631
	Responsum Imperatoris ad praeviam repraesentationem	653
	Breve Summi Pontificis ad Praesules	654
	AEppus Friburgensis gratulatur AEppo Viennensi	655
	Declarationes *Cleri, nobilium matronarum, et virorum*	657. ss.
1703.	Praesules Imperii contra *proiecta legum fundamentalium* 1867	660

Digitized by Google

		Pag.
1704—1717.	*Pastorales Praesulum* de iuribus Ecclesiae per Concordatum stabilitis 1867, 1868	665
	Card. *Viennensis* ; — Card. *Pragensis* ;. . .	665. 669
	Eppi *S. Hippolyti* : — Eppi *Linciensis* ;. . .	670. 677
	Brunnensis ; — *Brixinensis* ; — Eppi *Lavantini*	686. 689. 693
	Card. *Viennensis* altera ; Ep. *Secoviensis* ; . .	694. 695
	AEppi *Salisburgensis* ; — Eppi *Tridentini* ; . .	702. 706
	Reginaehradecensis ; — Eppi *Vratislaviensis* : . .	710. 712
	Linciensis altera ;	715
1718.	Eppus *Lincensis* protestatur contra rescriptum Ministerii de agitationibus Cleri	721
1719—1726.	Acta ad discussionem Sup. Parlamenti super *nova legislatione civili et Concordato*	733
1727—1729.	Leges novae *de relatione Ecclesiae ad Scholam et relationibus religionariis civium*	767
1730.	*Nuntius S. Sedis* Viennae residens *protestatur* contra praevias leges 1868	771
1731—1733.	*Pius IX* Papa *reprobat et annullat* easdem leges Religioni Cath. adversas	779
1734—1763.	*Pastorales et Instructiones Praesulum* Imperii in nexu legum harum vulgatae :	
	Eppi *S. Hippolyti* ; — *Vratislaviensis* ; . . .	782. 798
	Card. *Pragensis* ; — Eppi *Brunnensis* ; . . .	809. 810
	AEppi *Olomucensis* ; Eppi *Seccoviensis* ; . . .	812. 815
	Eppi *Lincensis* ; simul cum actis *confiscationem politicam epistolae pastoralis* concernentibus ; .	823—863
	Card. *Viennensis* ; — AEppi *Salisburgensis* ; . .	874. 893
	Vicarii Ap. *Cracoviensis* ; Eppi *Brixinensis* ; .	894. 896
	Eppi *Tridentini* ; *Gurcensis* ; *Labacensis* ; .	901. 903. 911
	AEppi *Goritiensis* ; — Eppi *Tergestini* ;. . .	917. 920
	Vegliensis ; — AEppi *Iadrensis* ;	921. 929
	Eppi *Spalatensis*, et *Sibenicensis* ;.	934. 937
1764.	Vicarius *Vorarlbergicus* in Tiroli contra legem civilem de Scholis	941
1765.	*Facultas Theologica Vindobonensis* protestatur contra electionem et confirmationem Decani acatholici	942
1776.	*Pius IX* consolatur et laudat Redactorem ephemeridis *Tirolensis*, quem civilia fora Austriaca ob propugnatam Ecclesiae libertatem condeminarunt 1868	953

Errata — Corrigenda.

Pag.	4	lin.	33	sus	su-
—	22	—	28	sospit et	sospitet
—	50	—	36	advero	adverso
—	62	—	13	intolerentiae	intolerantiae
—	63	—	16	in d e l e n d u m	
—	79	—	22	propriis	propril
—	91	—	34	revelandis	relevandis
—	95	—	2	conduxerunt	confluxerunt
—	101	—	32	perculiaris	peculiaris
—	118	—	3	fierit	fieret
—	160	—	7. 8	confidentialicus	confidentialibus
—	188	—	31	maioti	maiori
—	408	—	14	Richung	Richtung
—	439	—	29	inusta	iniusta
—	449	—	27	omn	omni
—	453	—	4	haben	habent
—	465	—	30	nxta	iuxta
—	476	—	2	Mondai	Mondovi

Digitized by Google

			Errata	Corrigenda.
Pag. 473	lin.	8	adbibitum	adhibitum
— 482	—	34	sane	sine
— 499	—	ult.	am	eam
— 523	—	ult.	Namqua	Namque
— 533	—	6	Pastoros	Pastores
— 598	—	ult.	tempori nostris	temporis nostri
— 619	—	8	pastorali	pastoralis
— —	—	11	vafritiei	vafritiei
— 625	—	25	pabulam	pabulum
— 626	—	24	adhorrent	abhorrent
— 633	—	8.	Des	Der
— 635	—	27	Spartaeus	Spartacus
— 654	—	penult.	Et	Ex
— 655	—	17	testerum	testemur
— 707	—	24	ja	jo
— 745	—	3	e nseitig	einseitig
— —	—	5	gi	gilt
— 787	—	9	woh	wohl
790	—	21	kat	hat
— 807	—	24	Kinde	Kinder
— 812	—	31	student	student
— —	—	24	(1. circa causas matrimoniales	(1. circa causas matrimoniales)
— 858	—	35	nich	nicht
— 871	—	1	aben	haben
— 925	—	22	coepissimus	coepissemus
— 931	—	6	re	se
— —	—	15	cusi dem	cuiusdam
— 932	—	17	proscipere	prospicere
— —	—	20	religi so.	religioso
— 950	—	28	*post* Universität	*adde:* nicht

Digitized by Google

Introductio.

Monumenta e Pontificatu Pii IX ab a. 1864—1868.

I. Monumenta Romana.

Celebris Pii IX *Encyclica* ad orbis universi Praesules, decimo a dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae anno, 1864, cum *Syllabo errorum* huius temporis dimissa, quam in alio opere nostro ‚de Romano Pontifice' (V. 836. ss.) iam vulgavimus, in praesenti etiam opere locum sortiri debet, siquidem inter errores, quos Summus Pontifex denuo in eadem Encyclica proscribit, plurimi reperiantur ad operis huius argumentum pertinentes, quippe de relatione inter Ecclesiam et Civitatem; qui velut divinae fidei, doctrinae Ecclesiae Catholicae, morum honestati, et sempiternae hominum saluti adversi, ad graves excitandas tempestates, atque ad christianam et civilem rempublicam miserandum in modum funestandam comparati sunt; nam eo tendunt errorum auctores, ut sub specie promissae libertatis fallacibus suis opinionibus et perniciosis scriptis catholicae religionis aeque ac civilis societatis fundamenta convellant; speciatim vero ut impediatur vel plane amoveatur salutaris ea vis, quam Ecclesia Catholica ex institutione divini sui fundatoris libere exerere debet erga singulos homines, nationes, populos, horumve Principes; item ut mutua Sacerdotium inter et Imperium consiliorum societas ac concordia, quae rei cum sacrae tum profanae semper fausta extitit ac salutaris, de medio tollatur. Errores hos Encyclica in adnexo eidem Syllabo in certas classes partitur: nimirum *de Indifferentismo, Latitudinarismo, Socialismo, Communismo, societatibus clandesti-*

Digitized by Google

nis, porro *de Ecclesia eiusque iuribus, de societate civili tum in se tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata, de Ethica naturali et christiana, de sic dicto Liberalismo hodierno;* et quamlibet errorum classem acri censura perstringit atque penitus enervat; cumprimis adoptatum sub *fuco* ‚civilis progressus' per humanarum rerum moderatores absurdum naturalismi principium *de nullo habendo penes gubernium societatis ad religionem respectu,* vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine, hincve resultante *libertate conscientiae et cultuum;* porro principium *de voluntate populi per publicam,* ut dicitur, *opinionem* vel alia ratione *manifestata velut suprema lege habenda,* et *de consummatis in politico ordine factis tamquam vim iuris habentibus;* pariter principium *de iure civili ceu unico fonte societatis domesticae* seu familiae, item *de lege civili tamquam fonte iurium omnium parentum in filios, iuris educationis, institutionisque.* Perstringit dein Encyclica errores, per quos *Ecclesiae et S. Sedis suprema auctoritas civilis auctoritatis subiicitur arbitrio,* omniave Ecclesiae iura circa exteriorem ordinem denegantur, et nominatim asseritur: Ecclesiae leges tunc tantum obligare, dum a civili potestate promulgantur; acta et decreta S. Sedis ad Religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, aut adminus assensu civilis potestatis; Ecclesiae non competere ius, violatores suarum legum poenis temporalibus coërcendi; bonorum Ecclesiae proprietatem civili gubernio adscribi et vindicari debere; potestatem ecclesiasticam non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili etc. De his aliisve huiusmodi erroribus enunciat Summus Pontifex: per eos non aliud praedicari quam perditionis libertatem; germanam iustitiae humanique iuris notionem tenebris obscurari et amitti, inque verae iustitiae et legitimi iuris locum vim materialem substitui; societatem hominum religionis ac verae iustitiae vinculis solutam non aliud habere posse propositum, nisi scopum comparandi cumulandique opes; nec aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis. Monet idem Pontifex: docendos esse populos, quod omnis vera felicitas in homines ex sancta religione nostra,

Digitized by Google

eiusve doctrina ac exercitio redundet; quod *catholicae fidei fundamento regna subsistant;* quod *regia potestas non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium sit collata,* nihilque sit Principibus ac Regibus gloriosius, quam si Ecclesiam Catholicam sinant uti legibus suis, nec libertati eius quemquam permittant obsistere. [1])

Epporum orbis catholici *consensus* in amplectenda Encyclica praemissa, et damnandis erroribus per illam proscriptis, *unanimis* fuit. Manifestum id reddunt tum literae Praesulum ad Summum Pontificem, tum pastorales epistolae ad Clerum et fidelem populum, tum Memorialia et protestationes ad Gubernia Civilia, quae promulgationi Pontificiae Encyclicae impedimenta ponebant. Acta haec nondum sunt in unum collecta: ea proin exhibere haud valemus; sed praecipua eorum ex *Italia* et *Hungaria* vulgamus. Praesules Italiae in suis ad Summum Pontificem literis conspicua tum sui consensus in condemnandis doctrinis et erroribus a Papa proscriptis, tum suae de suprema ac falli nescia Primatus auctoritate convictionis praebuere documenta, dum profitentur: Summum Pontificem tamquam potestatem habentem, Deo revelante, fratres suos magisterio suo falli et fallere nescio confirmasse; nefanda ethnicorum commenta Catholicae Ecclesiae principiis et doctrinis per hodiernos errorum propagatores substitui intenta verbis Pontificiis prorsus labefactari et prosterni; Eppos omnes Pontifici tamquam Capiti membra arctissimo vinculo coniungi et in omnibus consentire; Papam beati Petri vestigiis insistentem, in silvam frementium bestiarum et turbulentum profunditatis oceanum constanter ingrediendo, tamquam principem fidei morumve magistrum et doctorem conculcasse philosophiae opiniones, dissolvisse terrenae sapientiae vanitates, destruxisse omnium impietatem sacrilegiorum, vereque securim radicibus funestissimae arboris et digitum turpissimo vulneri immisisse; Pontificem qua Vicarium Christi in terris, et invictissimorum aemulatorem Pontificum, turbi-

---

[1]) *Mon.* 1565. pag. 1. — Monumenta Tomi VII desinunt in numero 1564, proin huius voluminis Monumenta cum numero 1565 inchoamus.

nem ab inferis suscitatum omniaque iam miscentem impavido cernere animo, et perniciosas ac falsas profligare theorias ; venturum paulo post tempus, quo homines corrupti mente et reprobi circa fidem, nunc resistentes veritati, sedato animorum aestu et restincta novarum rerum cupiditate paulatim resipiscant, et agnita deliramentorum suorum stultitia, sapientiam, fortitudinem, constantiam admirentur, qua cunctis insanientis seculi viribus obsistentibus non solum divinam Ecclesiae doctrinam sed et naturalem legem omnium cordibus impressam ab errorum pestilentia vindicavit immortalis Pontifex ; Pium divina ad id providentia praeordinatum esse, ut genuinam afferret gravissimis veritatibus lucem, et quidem ea vi, quae ipsos percellat sectarios, eosve ipsos credere faciat et contremiscere, si non ad salutem, certe ad maiorem fidei triumphum. — Eppi *Hungariae* in pastoralibus ad Clerum literis dum non minus quam Italici Praesules splendidum pro inconcussa sua ad Cathedram Petri adhaesione edunt documentum, simul invicto argumentorum robore et ipsi nisus ac molimina adversariorum perstringunt, in id tendentia, ut Ecclesiam Catholicam et Petri Cathedram, quibus incolumibus alioquin omnes suos conatus in cassum recidere bene norunt, subruant et evertant. Pastorales Praesulum Hungaricorum epistolae insigniter evolvunt magnum illud momentum, quod Encyclicae Pontificiae inest eique adnexo errorum proscriptorum Syllabo. In communi vertigine et perturbatione, silentibus ac otiosis iis, quorum maxime interesset impendens propulsare discrimen, Pium Papam sistunt Praesules tamquam eum, qui non carnalibus et politicorum armis, ut sunt opes, astutia, simulatio, sed armis potentibus Deo, Dei virtute validis ad destruendas munitiones errorum et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei pugnat, et dum falsi nominis scientiae commenta cum veritate aeterna componi non posse enunciat, una morbos civilis societatis retegit, atque ad adhibendam medelam hortatur. Refellunt porro iidem Praesules cunctas obiectiones, quas adversus Pontificiam Encyclicam profert hodiernus Liberalismus ; ostendunt, Summum Pontificem non aliud egisse, quam quod et antea in Ecclesia factum fuisse constat, recapitulavisse nimirum erro-

tized by Google

res iam alias confixos et damnatos; non esse egressum auctoritatis suae terminos, nec ius alienum usurpasse, sed potius qua communem Christianorum Patrem indicasse laqueos fidei ac saluti eorumdem tensos, ideoque vitandos; de iis, quae ad sphaeram potestatis civilis pertinent, nil decrevisse, sed duntaxat doctrinas nonnullas politicas sive a principiis irreligiosis deductas, sive ad evertendam religionem et moralitatem tendentes perstrinxisse, optimo sane iure, et pro potestate, qua ad continendos christianae reipublicae cives in fide, religione et officio pollet; nec ius cuiusvis personale indagandae cognoscendaeque veritatis laesisse, sed potius monstrando devia a veritate abducentia, negotium eius cognoscendae adiuvisse, et solum intemperantiam humanae rationis, in rebus divinis omnem auctoritatem superbe fastidientis coërcuisse. Nec reticent Praesules suam admirationem, quod inventi sint Magistratus politici, qui literas pontificias per Eppos publicari vetarent, dum simul incredulis ephemeridum scriptoribus easdem cavillandi concessere licentiam: ita nimirum poscere hodiernum spiritum, ut libellos in ss. religionem summe iniurios ac iniquos impune distrahi patiatur, a contra quae ad illos confutandos et defendendam religionem concinnantur, excogitatis diversis ratiunculis, aut praetextu articulorum quorumdam organicorum in praeiudicium libertatis ecclesiasticae consarcinatis, aut simulato turbandae tranquillitatis publicae metu, impediat, turpissimo sane despotismi genere. Tandem hortantur iidem Praesules ad irrestrictum irrefragabili Sedis Apostolicae oraculo praestandum obsequium.[2])

Ad declarationes Praesulum et aliorum Ecclesiasticorum, qui ex occasione Encyclicae Summo Pontifici infucatae observantiae et adhaesionis sensus per literas manifestarunt dedit idem Pontifex paterna responsa, quorum aliqua Monumentis inserimus. In iis et laudat pietatem, amorem, observantiam erga Sedem Apostolicam, et gaudium exprimit de recepta cum omni reverentia Encyclica, et studium commen-

---

[2]) *Mon.* 1566—1576. pag. 18—74.

Digitized by Google

dat, quo Antistites et reliquus Clerus damnatos a Summo Pontifice errores ipsi quoque ex animo reiiciunt; insuper in uno alterove Brevium sapienter animadvertit, conspicuum divinae providentiae actum in eo deprehendi, quod ipsa prohibitio promulgationis Encyclicae per nonnulla Civilia Gubernia facta non modo propagationi Encyclicae faverit, sed etiam ostenderit, a S. Sede reipsa digitum admotum fuisse praecipuis humanae societatis ulceribus, eaque iis adhibita efficacia remedia, quae sine acri dolore ab aegris non tolerantur.[3]) Praeter haec Brevia ad singulares Eppos aliosque viros ecclesiasticos dimissa, Summus Pontifex unanimem Praesulum in recipienda Encyclica et damnandis erroribus per ipsam denuo proscriptis consensum *Allocutione* quoque Consistoriali 27 Mart. 1865 habita peculiari prosequebatur laudum encomio, ac una tam universos orbis catholici Eppos, quod *nullis deterriti periculis et aerumnis, omnique posthabito humano respectu, et prorsus neglectis iniustis decretis Civilis Auctoritatis contra Ecclesiam latis, catholicam veritatem ac unitatem, iuraque et libertatem Ecclesiae qua voce qua scriptis invicte tueri vindicareque adnitantur*; quam speciatim *Italiae* Praesules, quod *gravioribus licet adversantium iniuriis et insectationibus obnoxii et exagitati, numquam destiterint Eppalem attollere vocem et protestari contra singulas reprobandas iniustissimasque Subalpini Gubernii adversus Ecclesiam eiusve sacra instituta, ministros et iura latas leges, innumerosque sacrilegos ausus eiusdem Gubernii*, palam in amplissimo Purpuratorum consessu meritis laudibus efferre non dubitavit.[4])

Anno eodem, 1865, alia Consistoriali *Allocutione*, repetitis breviter praedecessorum suorum Clementis XII, Benedicti XIV, Pii VII, Leonis XII Constitutionibus adversus sic dictam *Massonicam* aliasque occultas societates editis, eandem Societatem massonicam, eique affines ceteras occultas societates, contra Ecclesiam vel legitimas potestates sive palam sive occulte machinantes, apostolico mucrone confixit Pius IX. Allocutio isthaec eo etiam ex obtutu memorabilis est, quod

---

[3]) *Mon.* 1577—1594. pag. 74—88.
[4]) *Mon.* 1595. pag. 88.

Digitized by Google

diserte proscribat erroneam eam opinionem, ac si Constitutiones S. Sedis adversus occultas idmodi societates perlatae nullam haberent vim iis in regionibus, ubi eaedem sectae a Civili tolerantur potestate : opinionem hanc velut pravae doctrinae commentum solenniter reprobat piissimus Pontifex, enunciando : *supremam pascendi regendique universi dominici gregis potestatem, quam in persona beatissimi Petri a Christo Domino acceperunt Romani Pontifices, et supremum in Ecclesia magisterium, a Civili Potestate pendere aut aliqua ratione ab illa coërceri et coarctari haud posse.*[5]) — Eodem anno, 1865, per Rescriptum *Congregationis S. Officii* ad Praesules Americanos directum declaravit S. Sedes, sic dictorum *Fratrum Fenorum vel Fenianorum* societatem iis accenseri occultis societatibus, quae adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt, seu exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando, sive non.[6])

Anno 1867 Summus Pontifex occasione centenariae memoriae de glorioso Principum Apostolorum martyrio Eppis ex universo catholico orbe Romae maiore numero praesentibus per S. Congregationem Concilii *quaestiones de nonnullis gravioribus ecclesiasticae disciplinae capitibus* ad congruum dandum responsum proponi iussit, ut de vero illarum statu certior factus id suo tempore decernere valeat, quod in Domino expedire iudicaverit. Cum e quaestionibus his quaepiam ad relationem inter Ecclesiam et Civitatem propius spectent, eas inter Monumenta recensemus : sunt autem quatuor eiusmodi quaestiones, nimirum *de haereticis ac schismaticis munere patrinorum in baptismo fungentibus, de scholarum popularium ac publicorum institutorum literariorum ab auctoritate et influxu Ecclesiae exemtione, de libertate eligendi per Capitula Ecclesiarum Cathedralium sede vacante Vicarium Capitularem, et de coemeteriis.*[7])

---

[5]) *Mon.* 1596. pag. 90.
[6]) *Mon.* 1597. pag. 94.
[7]) *Mon.* 1598. pag. 95.

Digitized by Google

II. Monumenta Russica, Polonica.

Rei Catholicae sors in vastissimo Russico Imperio, quam Monumenta Tomo VII vulgata tristissimam exhibent, nec annis postremis in melius mutata extitit; imo ex incidenti perturbationis politicae in Polonia in deterius versa fuit, siquidem eius praetextu Gubernium Russicum, Ecclesiae Catholicae alioquin summe infensum, cunctosve catholicos ad funestissimum schisma pertrahere exoptans, Religionem Catholicam modis omnibus acriter insectari coepit. Nominatim autem deapectis et Conventione cum S. Sede a. 1847 inita et pactis publicis quoad Poloniam conclusis, editisque quamplurimis decretis ac legibus rei catholicae adversis, non destitit idem Gubernium scripta catholica interdicere; libros ephemeridesque doctrinae catholicae repugnantes et S. Sedi iniuriosas, et cumprimis ad depravandum Polonum populum accomodatas disseminare; communicationem cum S. Sede praepedire; iuramentum divinis legibus contrarium praescribere; populum contra sacerdotes catholicos excitare; doctrinam de discrimine inter catholicam veritatem et schisma prohibere; conversiones ex schismate infelici ad sinum Ecclesiae Catholicae gravissimis constitutis poenis impedire; Religiosos viros ex suis coenobiis deturbare, et Monasteria militaribus stationibus destinare; Eppos Catholicos exilio mulctare; innumeros graeci ritus catholicos subdolis quibusque machinationibus in schisma violenter pertractos a reditu ad Ecclesiam Catholicam impedire; innumerabiles ritus latini catholicos per mixta matrimonia Catholicae Ecclesiae eripere etc. Idem Gubernium non exhorruit *pulso in exilium AEppo Varsaviensi, propria auctoritate decernere, eundem AEppum iurisdictione omni esse privatum, eique in qualitate administratoris Vicarium Generalem AEppi suffectum.* Dirissima hac persecutione rei catholicae impulsus Summus Pontifex, postquam iam mense Aprili 1864 in Collegio Urbaniano de propaganda fide atrocissima Russici Gubernii consilia ad Cath. Religionem in regno Poloniae sensim extirpandam suscepta vehementer lamentatus fuisset, 30 Iulii eiusdem anni *Encyclicam ad Eppos Poloniae Russicae* dimisit: in eaque primum deplorat acerrimum bellum a Russico Gubernio Ecclesiae Catholicae eiusve sacris iuribus ac

Digitized by Google

ministris indictum; tum *reprobat ac detestatur inauditum Gubernii ausum, privandi laica potestate AEppum a Spiritu S. positum ad regendam Ecclesiam Dei regimine et procuratione suae Ecclesiae, eique alium substituendi, et declarat: neminem memorato decreto posse obedire, omnesque Dioecesis Varsaviensis fideles suo AEppo tamquam vero legitimoque Antistiti obtemperare debere.* Porro motus Polonicos christianae civilique reipublicae funestissimos damnat, et obsequium Civili Potestati a Deo ordinatae debitum inculcat; simul tamen hortatur Summos populorum Principes, ut probe advertant, populos, dum a sancta religione, obedientia Ecclesiae, et libera cum S. Sede communicatione abstrahuntur, perniciosissimis erroribus vitiisque depravari, et in effrenatam vivendi agendique licentiam prolabi. Tandem collaudata Epporum Poloniae virtute ac constantia, eos tum ad patientiam in ferendis aerumnis, tum ad strenue tuendam Ecclesiae causam potenter excitat.[8])

Eodem anno, 1864, vulgata fuit *generalis provocatio* (Vox) nomine *Cleri Polonici ad Praesules et universum Clerum,* quatuor sacerdotum Polonorum et plenipotentiarii Nationalis Gubernii subscriptione firmata, in qua Clerus ad conferenda subsidia, ad fundendas preces, et ad manifestandam publice sympathiam erga infelicem Poloniam interpellabatur. Provocationem hanc, quae et innumeras aerumnas gentis Polonae cumprimis ex obtutu religioso a schismaticis Russis illatas energice describit, et curas ac sollicitudines Summi Pontificis circa rem catholicam Poloniae extollit, una cum Encyclica *Eppi Aurelianensis* inter Monumenta collocamus.[9])

Anno 1864 et 1865 *Eppus* Suffraganeus *Chelmensis* gr. r. uniti duplici relatione S. Sedi Apost. exposuit suas cum Regimine Russico differentias, ex eo enatas, quod idem Regimen nec consecrari Eppum admittat, nec dioecesim instar Ordinarii regere, eo sub praetextu, quasi nova ista dioecesis a beneficiis Concordati exclusa habeatur.[10]) — *Cardinalis* quo-

---

[8]) *Mon.* 1599. pag. 96.
[9]) *Mon.* 1600. pag. 102.
[10]) *Mon.* 1601. 1602. pag. 114.

que *a Secretis Status* iussu Pontificio tam negotium *Eppi Chelmensis* quam *suppressionem novam complurium Monasteriorum* in Russia duabus Notis ad Plenipotentiarium Russicum directis a. 1865 pertractavit. In Nota de suppressione Coenobiorum tria decreti Caesarei puncta in examen vocat, nimirum abolitionem Regularium, confiscationem bonorum in favorem Status, et subordinationem religiosorum adhuc existentium sub ordinariam iurisdictionem Epporum. Omni ex obtutu tam historice quam iuridice versando has quaestiones, factum Gubernii tamquam summe iniustum et potestati Ecclesiae huiusve Supremi Capitis adversum describit, et contra illud solemniter protestatur.[11]) In altera Nota de *Eppo Chelmensi*, recensitis impedimentis, quae consecrationi et exercitio muneris dicti Praesulis Regimen Russicum opposuit, desiderat gravamen hoc quo ocyus sufferri; adnexis in Nota aliis quoque obiectis, controversiam inter S. Sedem et Gubernium Russicum tangentibus.[12])

Anno 1866 duo magni momenti in lucem publicam emisit Sedes Apostolica documenta ad rem Ecclesiae Catholicae in Imperio Russiarum pertinentia, quippe *Allocutionem* Summi Pontificis 29 Oct. ad S. Collegium habitam, et *Expositionem documentis munitam earum curarum, quas Summus Pontifex Pius IX assidue gessit in eorum malorum levamen, quibus in ditione Russica et Polona Ecclesia Catholica afflictatur.* Allocutio primum rememorat persecutiones Ecclesiae illatas, prout eae in Encyclica ad Eppos Polouiae Russicae 1864 data, et paulo ante analysata recensentur; tum deplorat nova Gubernii Russici attentata, ad delendam, si fieri posset, rem catholicam directa: signanter impedimenta *Eppo Chelmensi* a tribus et amplius annis posita, quominus regimen suae dioecesis adire possit; exilium *Vicario Generali AEppi Varsaviensis*, iam prius pariter a grege suo violenter divulsi, dictatum militarique manu in effectum deductum; violentiam *Capitulo Varsaviensi* exhibitam ad eligendum eum *Vicarium Capitularem*, quem Regimen cuperet; diuturnum *Eppi Vilnensis* exi-

---

[11]) *Mon.* 1603. pag. 116.
[12]) *Mon.* 1604. pag. 125.

Digitized by Google

lium; *decreta contra auctoritatem, leges ac disciplinam Ecclesiae* vulgata, uti de abolitione omnium fere Monasteriorum, de bonis Cleri et Regularium administrationi publicae Gubernii addictis, de nova coordinatione Cleri, paroeciarum, Capitulorum, de iurisdictione Praesulum quoad nominationem parochorum etc. partim imminuta partim sublata; porro *decreta supremae auctoritati S. Sedis derogantia,* uti de suppressa dioecesi Camenicensi, et administrationi alterius Praesulis concredita, de interdicta sub severissimis sanctionibus omni cum S. Sede communicatione; item continuas *insidias, artes et conatus Gubernii Civilis* in id intentos, ut Ecclesiae Catholicae filii ab eius sinu abripiantur, et ad funestum schisma pertrahantur; tandem *carceres, exilia, aliasve poenas,* quibus Eppi sacrique Ecclesiae ministri, religiosi viri, et fideles suae religioni firmiter adhaerentes Ecclesiaeque iura propugnantes misere subiiciuntur. His ceu diuturni et atrocis belli Ecclesiae ac Religioni Catholicae indicti totidem adiunctis enarratis, eadem Allocutione reprobata denuo rebellione Polonica, simul reprobat et damnat Pontifex omnia decreta actaque Russici Gubernii in religionis, ecclesiae, et S. Sedis iurium detrimentum patrata ac edita, eaque irrita et nulla pronunciat.[13])

Expositio S. Sedis, 15 Nov. 1866 vulgata, et in praecedente Allocutione memorata, est quasi quaedam continuatio illius Expositionis documentis pariter munitae, quam a. 1842 eadem S. Sedes edidit, nosque in Monumentis nostris suo loco iam exhibuimus. Initium sumit posterior haec Expositio a percelebri colloquio inter Gregorium XVI Papam et Nicolaum I Imperatorem Russorum a. 1845 instituto, et desinit in violenta suppressione dioecesis Camenicensis per Gubernium Russicum attentata. Recenset accurate, et congruis documentis munit assiduas Pii IX Papae curas ac sollicitudines, inde a primis Pontificatus annis adhibitas, ut levamen afferret gravissimis malis per Gubernium Russicum Ecclesiae Catholicae illatis. Cum documenta illa, quibus Expositio munitur, suis locis iam inseruerimus, et in Introductione nostra ad Tomum VII de iisdem necessaria in medium adduxerimus :

[13]) *Mon.* 1605. pag. 129.

Digitized by Google

praesenti loco in uberiorem Expositionis analysim descendere superfluum censemus, id duntaxat adnotando: ex tristissima, quam Expositio S. Sedis genuine exhibet, rei catholicae in Russia ac Polonia imagine aperte perspici, illic *gregibus abreptos Pastores, vel sua destitutos auctoritate; proscriptos sacerdotes, vel in ministerio ecclesiastico exercendo vinculis constrictos: expulsos e coenobiis religiosos viros atque, durissima licet laborantes rerum inopia, derelictos; Graecos cum Romana Ecclesia fide caritateque coniunctos ad schisma funestissimum violenter traductos; Latinos vel subdolis obsessos artibus, vel religionis subsidiis orbatos pariter ad schisma pertractos; sacrum Dei cultum interceptum; violata templa, vel acatholico cultui addicta; tacentes veritatis cathedras; Ecclesiae bona direpta; pessumdatam Hierarchiam; corruptam sive literariam sive religiosam institutionem; contumeliis affectam Religionem; propagatum schisma; postremo omnia sublata adminicula; omnem demum viam, qua Supremus Pastor tot oppressis afflictisque filiis suis seu opem seu consilia seu solamen conferre posset, omnino interclusam.* Pepigit quidem mox altero sui Pontificatus anno Pius IX cum Imperiali Gubernio Conventionem; sed quum nec Conventioni unquam obtemperaverit Gubernium, nec admotis subinde per S. Sedem querelis fecerit satis, nec post Consistoriales Allocutiones adversus facta Gubernii directas, schismaticorum in catholicos violentia quidquam remiserit, nec erga iteratas ex parte Summi Pontificis interpellationes ad aequitatem et magnanimitatem Imperatoris interpositas faustum ac optatum responsum datum sit: non supererat Summo Pontifici ad S. Sedem omni suspicione purgandam et defendendam aliud, quam earum curarum publicare documenta, quas ipse tam electae Christi gregis portioni tuendae gessisset, ut ita iustitiae ac veritatis suarum querelarum et protestationum perpetuum consisteret argumentum.[14])

Anno 1867 coacta fuit S. Sedes dioecesium earum regimini providere, quas Russicum Gubernium a. 1866 et 1867

---

[14]) *Mon.* 1606. pag. 133.

Digitized by Google

propria auctoritate extinxerat. Dioeceses hae erant: *Camenecensis* et *Podlachiensis*. Editis itaque per *S. Congregationem Concilii* dd. 3 Maii, et 17 Octobris 1867 decretis, administratio dioecesis Camenecensis Eppo Luccoriensi et Zytomeriensi, dioecesis autem Podlachiensis Vicario Capitulari Lublinensi commissa fuit. Memorabilia sunt ea, quae in prologo his decretis praemisso hac super re continentur, quaeve per extensum reddimus in Monumentis. Prologus iste cetera inter observat: notatu dignum esse, quod, dum populi et gubernia plurima vocem S. Sedis Apostolicae potissimum cum veneratione excipiunt, dum unitatem catholicam in dies invalescere, Pastores ac greges immobili Petri Sedi intimius devinciri, omniumque oculos ad Apost. Sedem Petri eiusve gloriosum successorem conversos esse conspicimus, *unum praesenti tempore emineat Catholicae Religioni infensum Gubernium, aliarum religionum sectas in sinu suo fovens, Catholicam vero Religionem, nulla neglecta arte, spretaque Apostolica auctoritate, in miserrima servitute, more barbarorum detinens, atque omnes conatus iniquis legibus eo dirigens, ut fideles populos a centro catholicae unitatis avellat.*[15])

Anno eodem, 1867, dimissa ad omnes Eppos Encyclica, vivide ob oculos posuit Summus Pontifex tristissimum Ecclesiae statum tum in *Italia*, tum in *Russia ac Polonia*: de Italia quidem id potissimum commemorando, quod illic per ipsos rerum publicarum moderatores veneranda Dei mandata, sanctaeque Ecclesiae leges penitus despiciantur, hocve dato ab illis exemplo fiat, ut impietas impune caput altius extollat ac triumphet, Deus blasphemetur, sacra omnia polluantur, et quibusvis iuribus divinis humanisque proculcatis, sangvis fundatur, aliena violenter rapiantur, animae multae gravissimis scandalis perdantur; etc. quodque similium perditorum hominum genere circumdata Roma, metuendum sit, ne impii homines diabolico spiritu animati, suum mendacii vexillum in ipsa alma Urbe, ad Petri Cathedram, catholicae veritatis unitatisque centrum collocent; — de *Russia* vero ac *Polonia*

---

[15]) *Mon.* 1607, 1608. pag. 183. 186.

Digitized by Google

summatim repetendo ea, quae iam in Allocutione et Expositione S. Sedis anni 1866 de innumeris calamitatibus Ecclesiae illic dirum in modum afflictae uberius recensita continentur; ac insuper addendo, quod novo Russici Gubernii decreto erectum sit Petropoli *Collegium* quoddam sub nomine *ecclesiastici, catholici, romani* sub praesidio AEppi Mohiloviensis pro recipiendis cunctis, etiam ad fidem et conscientiam spectantibus, petitionibus Epporum, Cleri ac fidelium, seeus ad S. Sedem dirigi et mitti solitis, deque examinandis dictis petitionibus, num eae auctoritatem Praesulum excedant, et de examini subiiciendis quibuslibet Rescriptis S. Sedis, an non contineant quidquam legibus Status contrarium, quodve taliter laica et schismatica potestate divina Ecclesiae constitutio destruatur, disciplina eccles. subvertatur, supremae auctoritati Pontificiae summa iniuria inferatur, eiusque libertas impediatur, item quod alio Gubernii decreto Academia catholica Varsaviensis deleta sit; et quod dioeceseos Ruthenicae Chelmensis ac Bettiensis regimen presbytero cuidam suspectae fidei a civili potestate creditum fuerit. In tantis S. Sedis et Ecclesiae angustiis et calamitatibus provocat idem Pontifex Eppos ad publicas instituendas preces per triduum duraturas, ut Deus O. M. Ecclesiam suam sanctam e tantis malis eripiat, eiusque filios in Italia cumprimis et Imperio Russico tot insidiis obnoxios, tot aerumnis afflictos omnipotenti virtute sua adiuvet, et omnia impia inimicorum hominum consilia disperdat.[16])

III. Monumenta Helvetica.

Ex *Helvetia* commemorari merentur triplicis ordinis *reclamationes ac protestationes S. Sedis* per Internuntium a. 1864 et 1865 ad Gubernium *Tissinense* interpositae in obiecto *institutionis religiosae*, et *festorum*. In prima reclamatione perstringitur proiectum legis scholaris anno adhuc 1862 con-

[16]) *Mon.* 1609. pag. 187.

cinnatum, et 1864 discussum, in quo, demtis sic dictis primariis scholis institutio religiosa e reliquis scholis eliminari proponebatur. Altera protestatio dirigitur contra proiectum legis de abolendis 12 festis, et in dies Dominicos transferendis; licet S. Sedes iam a. 1848 plura festa pro Helvetia reduxerit. Tertia reclamatio post conclusam legem scholarem superius memoratam edita reiterat argumenta primae protestationis nomine Summi Pontificis.[17]) — Anno 1866 novae *protestationi Praesulum Helvetiae* occasionem suppeditavit revisio Constitutionis Foederis Helvetici; cum enim in illa *Clerus Catholicus fundamento ex illo, quod is singulari coecae obedientiae vinculo extraneae potestati, Romano Pontifici, obstrictus, nec patriam nec amorem erga patriam habere, imo omnis libertatis et progressus inimicus esse censeretur, iure eligendi supremos magistratus foederis Helvetici privaretur:* Eppi ad partes sui muneris pertinere existimabant, solenni documento suam adversus actum hunc interponere contradictionem, in eaque fundamentum per Civile gubernium praetextuatum penitus convellere, demonstrando: quod Ecclesia Catholica non sit occulta quaepiam societas,quae sua membra clandestinis iuramentis ad actus Statui perniciosos obliget, sed sit societas habens a divino suo fundatore datam constitutionem, iuxta quam catholici fideles cum suis pastoribus, hi cum Praesulibus, isti cum omnibus suis sacerdotibus et gregibus Romano Pontifici tamquam Vicario Christi in terris obedientiae vinculo in unitate fidei obstricti sunt, ita, ut catholicus esse desinat, quisquis hanc cum Romano Pontifice unionem rumpere non reformidat; Romanum itaque Pontificem non extraneam quampiam Potentiam, sed Patrem esse fidelium, supremum custodem fidei, eiusque decretis ab omnibus fidelibus obsequium praestandum venire.[18])

IV. Monumenta Friburgensia ex M. Duc. Badensi.

Iam Tomo VI huius operis nostri insinuavimus, reiecta per Gubernium M. Ducale Badense Conventione anno 1859

[17]) *Mon.* 1610—1612. pag. 192.

[18]) *Mon.* 1613. pag. 196.

Digitized by Google

cum S. Sede inita, novas proposuisse leges de relatione Status ad Ecclesiam. Leges has generales paulo post sequebantur speciales de diversis obiectis, , quae dictam relationem propius contingunt; anno autem 1863 evulgatum fuit proiectum *legis scholaris,* ita concinnatum, ut salutari Ecclesiae magisterio ac vigilantia a Scholis magis ac magis amota, eae de regimine popularium scholarum sancirentur regulae, quae christianam iuventutis institutionem et educationem in magnum adducunt discrimen. Hoc legis proiectum acriorem et diutinum peperit inter *Ordinariatum Friburgensem* et *Gubernium Badense* conflictum. Ex actis eo spectantibus primum est *Memoriale* Praesulis Friburgensis pro iure Ecclesiae et contra proiectatam per Gubernium reformationem scholarum, ultimo anni 1863 mense editum. In eo praemissa succincta rei historia, fuse non minus ac erudite convellit venerandus AEppus principia, queis dictum proiectum superstruitur, ostendendo: *Scholam nequaquam esse exclusivam Status institutionem, a qua penitus separanda sit Ecclesia, separationemque hanc positivae Christianae religionis spiritui repugnare, prout et praetensam Status omnipotentiam quoad scholam et substantiae ac destinationi scholae, et principiis ac fini Status, et iuribus communitatis, familiae, ac Ecclesiae contradicere.* Occasione demonstrationis harum assertionum speciatim sequentia egregie evolvit Memoriale APraesuleum: Scholam essentialiter esse educationis institutum, et qua tale principaliter moralibus ac religiosis niti principiis; his iisdem principiis niti scholam, si pure tamquam institutionis medium consideretur; Statum Civilem exclusivo in Scholas iure vel ideo gaudere haud posse, quod is spectata sua natura et destinatione non sit doctor populi, aut auctoritas scientifica, vel educationis magister; haec omnia unice ad Ecclesiam spectare, tamquam morum ac religionis magistram, postulante id ipsum libertate quoque docendi, per legislationem Badensem recognita, et Ecclesiae in salvo relicta; Ecclesiam iure divino poscere debere, ut vi suae missionis in vero regimine scholae essentialem partem ac influxum habeat; omnem historiam scholarum in Ecclesia Catholica aeque ac leges et iura Germanica inde ab initio usque ad novissima tempora pro iure

Digitized by Google

Ecclesiae irrefragabilia suppeditare argumenta. His evolutis transit Memoriale ad examen et crisim proiecti Gubernialis de schola sic coordinanda, ut Ecclesiae praeter directionem in doctrina religionis, omnis alius influxus adimatur; tandem in epilogo diserte reservat sibi APraesul ius et potestatem, omnia legalia adhibendi media, ut populo catholico suae dioeceseos scholae catholicae et bona scholastica conserventur, idemque populus sub directione ecclesiastica in vera catholica fide instituatur ac educetur.[19]) — APraesuleo Memoriali prorsus conformem a. 1864 edidit declarationem *universus dioecesanus Clerus* per suos repraesentantes Friburgi congregatus.[20])

Pius IX Summus Pontifex, utprimum certis nunciis accepit, et e relatione AEppi Friburgensis intellexit, eas, quas APraesul in suo Memoriali perstrinxerat, parari in MDucatu Badensi ordinationes, et moerorem super hac re suum, et gaudium de eppali fortitudine AEppi in vindicandis Ecclesiae iuribus expressit per literas mense Iulio 1864 ad AEppum datas. Literae hae Pontificiae praeter ea, quae mox memoravimus, tristitiae et gaudii sensa, erga AEppum repetitim expressa, de ipso etiam argumento seu obiecto conflictus inter Gubernium et Ordinariatum fusius se enunciant. Primum generatim deplorat Pontifex funestissimas seculi machinationes pro eo, ut a publicis institutionibus ac domesticis familiis sanctissima Christi fides ac religio quotidie magis amoveatur, eiusque saluberrima vis coangustetur ac praepediatur; porro deplorat inimica pravae doctrinae propagatorum studia contra Ecclesiam, quam sciunt verae doctrinae, morum honestatis, vitaeque integritatis magistram, directa, ut nimirum ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societatem auctoritate spolient, ut omnem Ecclesiae potestatem eiusque salutarem vim, ex divina institutione in humanae societatis instituta semper exercitam magis in dies coarctent, aut plane penitus arceant, et instituta istiusmodi pleno civilis politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant ad imperantium placita et ad volubilium aetatis opinionum rationem. Speciatim vero de

---

[19]) *Mon.* 1615. pag. 201.

[20]) *Mon.* 1616. pag. 227.

Digitized by Google

iure Ecclesiae in rem scholarem enunciat Summus Pontifex: *non esse dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata iuventutis institutione, qua rei tum sacrae tum publicae felicitas tantopere continetur, moderatrix Ecclesiae auctoritas eiusve salutifera vis amota fuerit;* institutionem, quae a veritatibus a Deo revelatis recedit, ac unice rerum naturalium scientiam, terrenaeque socialis vitae fines spectat, in erroris mendaciique spiritum prolabi; educationem, quae sine christianae doctrinae morumque disciplinae auxilio teneras adolescentium mentes eorumque cerea in vitium flecti prona corda informat, non posse non parere progeniem, quae pravis cupiditatibus propriisque tantum rationibus permota et impulsa maximas tum privatis familiis tum reipublicae affert calamitates; in popularibus scholis religiosam doctrinam ita primarium in institutione et educatione locum habere debere ac dominari, ut aliarum doctrinarum cognitiones, quibus iuventus illic imbuitur, veluti adventitiae appareant; *consilia et conatus arcendi a popularibus scholis Ecclesiae potestatem proficisci ex studio extingvendi in populis divinum ss. fidei nostrae lumen;* et *Ecclesiam ad casum, quo perniciosissimum eiusmodi consilium reapse ad exitum perduceretvr, coactam fore* intentissimo studio conari, nullisve curis parcere, ut iuventus necessariam christianam institutionem et educationem nanciscatur, item *fideles monere et declarare, quod eiusmodi scholae tamquam Ecclesiae Cath. adversae in conscientia frequentari nequeant.*[21])

Proiecto legis subin in Comitiis MDucalibus discusso, siquidem Ministerium occasione discussionis plures enunciationes fecisset Ecclesiae admodum iniuriosas, tum ad has conterendas, tum ad ipsius proiecti vanitatem amplius ostendendam AEppus initio mensis Maii 1864 *repraesentationem* exaravit *ad M. Ducem;*[22]) mense autem Iulio eiusdem anni *pastoralem* dimisit *ad fidelem populum dioecesanum epistolam,* uberius evolventem, quod Ecclesia proiecto legis de scholis

---

[21]) *Mon.* 1617. pag. 230.

[22]) *Mon.* 1618. pag. 235.

Digitized by Google

et iuribus suis et divinae missioni suae tantopere adverso nullatenus valeat cooperari, ac proin nec fideles in sic dictis Consiliis Scholasticis per memoratum proiectum propositis partem ullam capere possint.[23]) Epistola pastorali AEppi per *Ministerium MDucale* ope Rescripti officiosi improbata et pluribus obiectionibus impugnata, *Ordinariatus Friburgensis* energicam mense Augusto 1864 emisit *Pastoralis literae apologiam, ac una Ministerialis Rescripti refutationem.*[24]) Lata autem lege de scholis, proiecto prorsus conformi, idem Ordinariatus penes congruam *Instructionem* Clero impertitam declaravit: in executionem antedictae legis scholaris nullum influxum nullamve cooperationem ex parte Cleri indulgeri posse.[25]) Sed et Catholici *Heidelbergenses* data a. 1865 ad M. Ducem litera adversus legem protestati, porro quoque catholicam in scholis ruralibus institutionem et educationem postularunt.[26]) Cumque subin ex parte Catholicorum congressus super mediis obviandi malis ex irreligiosa scholarum coordinatione sequuturis pluribus in locis haberentur, Protestantes vero congressus eiusmodi impedituri violentias quoque, si gnanter *Mannheimii* patrarent: *AEppus* eodem a. 1865 nova *pastorali epistola* ad dioecesanos directa situm rei clare exposuit, et principia catholica super obiecto scholari denuo in memoriam revocavit;[27]) *Ordinariatus* autem *Friburgensis* alteram energicam *protestationem* adversus legem civilem interposuit, Clerumque nova Instructione providit. In hac Instructione et protestatione simul refellitur eorum sententia, qui existimabant, sacerdotes curatos posse absque ullo scrupulo partem capere in consiliis scholasticis per legem civilem sanc-
citis.[28]) Tam epistola pastorali AEppi quam praesente protestatione Ordinariatus ad notitiam Summi Pontificis perlatis, idem medio *Nuntii* sui *Monacensis* AEppo mense Maio 1865 aperuit: utrumque documentum, pastoralem videlicet epistolam et Ordinariatus literas, contentamque in iis dispositio-

---

[23]) *Mon.* 1619. pag. 242.
[24]) *Mon.* 1620. pag. 260.
[25]) *Mon.* 1621. 1622. pag. 272. s.
[26]) *Mon.* 1623. pag. 275.
[27]) *Mon.* 1624. pag. 278.
[28]) *Mon.* 1625. pag. 285.

Digitized by Google

nem de non recipiendis viris ecclesiasticis in Consilio scholarum civili, sibi probari, et constantiam ac zelum AEppi in propugnandis Ecclesiae iuribus omni laude digna esse. Cuiusmodi paternam Beatissimi Patris recognitionem Ordinariatus ad notitiam Cleri pertulit.[29]) Ad acta anni 1865 pertinent adhuc: *declaratio* iterata *Cleri universi dioecesani* contra novam scholarum coordinationem civili auctoritate factam, in *Conferentiis* eiusdem Cleri *Friburgensibus* edita;[30]) et *AEppi pastoralis litera ad catholicos civitatis Friburgensis* de impedita illic per Gubernium Civile institutione religiosa, proprioque motu expulso a schola puellari Catecheta.[31])

Anno 1867 denuo levavit vocem *Ordinariatus:* occasionem subministrante ea Civilis Regiminis ordinatione, per quam pro scholis *librum auctoris acatholici* commendare non dubitavit. Duplex opposuit huic Gubernii dispositioni rescriptum Ordinariatus: alterum protestatorium ad M. Ducale Ministerium; alterum ad fideles a periculo, quod fidei ipsorum a praevio facto Gubernii imminet, avertendos.[32]) — Eodem anno novam suppeditavit ansam conflictui inter Ordinariatum et Regimen Civile decretum Regiminis *de obligatione Ecclesiasticorum subeundi examen Status pro obtinenda ad munus ecclesiasticum habilitate.* Decretum Gubernii fundabat se in legibus anni 1860 post suppressum Concordatum perlatis: contra quas tam S. Sedes, quam Ordinariatus mox eodem anno suas interposuerant reclamationes, prout Tom. VI operis nostri insinuavimus. Memoratum decretum tamquam libertati et iurisdictioni Ecclesiae oppido adversum Ordinariatus iteratis suis protestationibus ad M. Ducale Ministerium dimissis ostendit, AEppus autem eius usum Clero prohibuit, prohibitione per Ordinariatum contra Ministeriale rescriptum insigniter succolata.[33]) — Circa finem anni 1867 idem Ordinariatus *cuncta gravamina Ecclesiae, ac legibus civilibus inde ab a. 1860 editis enata,* uno in complexu M. Ducali Ministerio re-

---

[29]) *Mon.* 1626. pag. 292.
[30]) *Mon.* 1627. pag. 293.
[31]) *Mon.* 1628. pag. 297.
[32]) *Mon.* 1629. 1630. pag. 304. 311.
[33]) *Mon.* 1631—1636. pag. 314.

praesentavit, ut ostendat, quam multimode Regimen Civile iura Ecclesiae laeserit, et libero potestatis sacrae exercitio impedimenta posuerit, etiam tunc, dum generales Status leges maiori Ecclesiam donarunt libertate et activitate. In repraesentatione potissimum attinguntur: specialis *lex de puniendis Ecclesiasticis, et consociationibus religiosis*; multiplices *ingessiones Gubernii in internas coordinationes societatum religiosarum non minus quam educationem ecclesiasticorum pro munere pastorali; recessus Gubernii a coalitione seu conventione cum AEppo 1861 quoad collationem beneficiorum eccles. et administrationem peculii fundationalis, et apprehensio totius pene dispositionis circa bona Ecclesiae; leges novellares de scholis absque influxu Ecclesiae regendis.*[34]) Conformem huic repraesentationi declarationem *Clerus* quoque *dioecesanus* exhibuit M. Ducali Gubernio;[35]) verum utraque absque effectu mansit.

Anno 1868 ex incidenti novae legis de *institutione elementari* cum coactiva frequentandae scholae Status clausula et citra omnem potestatis eccles. influxum editae *AEppus* ante obitum (paulo post secutum) semel adhuc pro reclamando iure Ecclesiae surrexit: et solennem interposuit contradictionem ob violata Ecclesiae circa institutionem et educationem popularis iuventutis, et proprietatem dotis scholaris per catholicos conflatae iura.[36]) Protestationem A Praesulis ab obitu eius uberius evolvit *Administrator AEppatus vacantis*, vulgata encyclica ad dioecesanos fideles epistola, in eaque cumprimis sic dictas *mixtas scholas* multiplici argumentorum genere egregie oppugnavit.[37])

V. Monumenta Bavarica.

Eodem fere tempore, quo in Cameris M. Ducatus Badensis reformatio seu potius destructio scholarum sancita fuit, quippe a. 1864, in *Bavaria* quoque lucem publicam adspexit

---

[34]) *Mon.* 1637. pag. 327.
[35]) *Mon.* 1638 pag. 341.
[36]) *Mon.* 1639. pag. 349.
[37]) *Mon.* 1640. pag. 349.

Digitized by Google

opusculum *de necessitate reformandi scholas populares*, eo tendens, ut iisdem ex principiis eodemque scopo, prout in memorato Principatu, relicto Ecclesiae uno docendi Catechismum munere, omnis circa educationem iuventutis, et regimen scholarum influxus eidem adimatur, Statuique vindicetur, ut porro Scholae hae sensim omni catholico charactere exutae in sic dictas communes seu mixtas, proprie autem scholas absque religione transmutentur. Imo eodem anno, 1864, ipsum Civile Gubernium ad evocandos pro decernenda Praeparandiarum (Schullehrer - Seminarien) reformatione complures rei peritos, consilia desuper in unum collaturos, se determinavit. Adiuncta haec Religioni et Ecclesiae admodum infesta, *Praesules Bavariae*, in *Conventu Bambergensi* in unum congregatos et de rebus Ecclesiae ac religionis consilia conferentes, permoverunt ad concinnandam Regique exhibendam communem repraesentationem: in qua proiectum reformandarum sensu praeexposito scholarum omni ex parte versando, id et Ecclesiae et Statui perniciosum uberius demonstrant, et signanter adversus scholas communes sive mixtas plura argumenta proferunt.[38]) Non intermiserunt Bavariae Eppi Summo etiam Pontifici de suo Conventu Bambergensi uberiorem relationem praestare: in cuius sequelam *Beatissimus Pater* mense Augusto 1864 Praesulibus rescripsit: grato se excepisse animo, quod in Conventu Bambergensi concordibus sensis ea susceperint consilia, quae ad Ecclesiae causam tutandam et nefarios inimicorum hominum conatus reprimendos magis opportuna existimarunt. Tum inculcat: hac praecipue aetate *Epporum esse, intentissimo studio eppalem attollere vocem, et omnibus praedicare aeternas divinae fidei nostrae veritates*, item exponere et ostendere tum Summis Principibus tum Guberniis funestissima mala, et damna, quae ex hodierno religionis contemtu et incredulitatis spiritu in ipsos Principes redundant; praeterea *summa constantia et fortitudine defendere Ecclesiae Cath. libertatem, ac viriliter propugnare omnia eius iura*; qua voce qua scriptis in omnium me-

---

[38]) *Mon.* 1641. pag. 360.

Digitized by Google

moriam revocare, Ecclesiam semper fuisse et esse salutari sua doctrina ac vi et sapientissimis suis legibus ac institutis verae humanitatis, honestatis, civilitatis, libertatis, progressus et prosperitatis conditricem, ipsam solam posse firmiter constabilire et servare publicum humanae societatis ordinem, impietate et rebellione hodierna tantopere perturbatum. De re *scholari* speciatim loquens, collaudat Pontifex Eppos, quod in suis ad Regem et Gubernium literis Ecclesiae doctrinam et auctoritatem omni rationum genere scite ac strenue propugnaverint; eorumve sollicitudinem ultro excitat, ut eadem Ecclesiae iura etiam circa *superiores scholas* tueantur, nilque intentatum relinquant, quo *Clerus in scholis solidam plenamque institutionem ex puris intaminatisque fontibus haustam nanciscatur, quae communi Ecclesiae docendi rationi innixa ea omnia removeat pericula, quibus hodierna nova docendi systemata super libertatem aut potius licentiam scientiae fundata ac tantopere iactata, sunt necessario obnoxia.* Tandem provocat Praesules ad naviter defendenda alia adhuc Ecclesiae iura, quae iam in *Conventu Frisingensi* Eppi Bavariae propugnabant, et quae nondum sunt per Gubernium plene recognita.[39])

Eodem anno, 1864, violentia ex parte Regiminis Bavarici quoad *Seminarium Spirense* adhibita, novam subministravit Praesulibus Bavariae occasionem, pro iure gravissimo Ecclesiae, per Regimen tantopere proculcato, in arenam descendendi. Cum enim *Eppus Spirensis* pro suo indubitato iure et in nexu quoque Concordati Bavarici anni 1817 in Seminario suo proprias scholas theologicas inducere voluisset, Regimen vero Civile Lyceum suum Spirense sub inspectione et gubernatione sua constitutum porro manutenere cupiens, propositioni Eppi non modo non deferret, sed et apertas ab Eppo theologicas scholas violenter claudi faceret atque Eppisius erigendi et sub iurisdictione sua habendi proprias theologicas scholas denegaret: Eppus quidem violentum actum hunc Gubernii per pastoralem ad Clerum literam 8 Dec. 1864 signatam, cum succincta totius meriti controversi historia et pro-

---

[39]) *Mon.* 1642. pag. 377.

testatione, publici iuris fecit;[40]) *Eppi* autem *Bavariae* datis eodem mense Decembri 1864 ad Regem literis rem Praesulis Spirensis suam fecere, omnique argumentorum pondere et summa animorum consensione ius suum de erigendis penes Seminaria Cleri iunioris scholis theologicis, instituta etiam ad acta Conferentiae Frisingensis anni 1850 et altera anni 1853 appellatione, propugnavere, adversus violentiam a Ministerio Regio adhibitam solemniter protestando.[41]) Iidem Eppi rem totam, ut gesta est, Summo Pontifici exposuerunt, ac una instrui orarunt, quaenam agendi ratio iam nunc adhibenda sit, ut tueri possint iura sua, sine quibus eppalem missionem suam iuxta Dei et Ecclesiae mandata exercere haud valerent. Responsum dedit 1865 *Summus Pontifex* pluribus ex obtutibus notatu dignum. In eo quippe postquam praemisit, se post accuratum gravissimae huius rei examen haud omisisse apud Regium Gubernium expostulare, ut certum propriumque Ecclesiae et Epporum ius integrum inviolatumque servetur, et arbitraria interpretatio art. V. Concordati a Gubernio adhibita, quasi nimirum ibi unice de clericalibus Seminariis pro instituendis uno anno ecclesiasticis viris erectis, et non etiam de superioribus theologicis scholis sermo esset, penitus excludatur: descendit Pontifex ad evolvendum nativum isthoc Epporum ius, et asserit: *citra laesionem manifestam magisterii Ecclesiae et auctoritatis eidem a Christo tributae negari haud posse, quod Ecclesia et Eppi pleno ac libero polleant iure educandi instituendique Clerum ad normam sanctionum canonicarum; hocve ius, obligationibus Epporum correspondens, ita ad ipsos e natura rei spectare, officiisque eorum inhaerere, ut nullo modo derivari possit seu a concessione civilis auctoritatis, seu a quacunque etiam Conventione cum Ecclesia per eandem civilem potestatem inita*; S. Sedem etiam tunc, dum cum Bavariae Rege Concordatum pepigit, hoc nativum Ecclesiae ius ita intellexisse, et postulasse, ut Seminaria ad normam Conc. Tridentini erigantur, ac proinde nec nunc admittere eandem

---

[40]) *Mon.* 1643. pag. 380.
[41]) *Mon.* 1644. pag. 392.

Digitized by Google

S. Sedem posse, ut ius, natura sua ad ministerium eppale pertinens, sic circumscribatur, quo Eppi in habendis propriis theologicis scholis impediantur. De *Spirensi* negotio enunciat idem Pontifex: *Eppum Spirensem plenum habuisse ius, in ipso Concordato expressum, erigendi in suo Seminario theologicas scholas, atque a Gubernio postulandi, ut nullo modo iuris illius exercitium praepediatur;* porro, quemadmodum iam Pius VII occasione erectae superioris Rhenanae provinciae ecclesiasticae declaravit, Seminaria Clericalia in Germania eotum vigentia, et supremae civili inspectioni obnoxia a S. Sede approbari non posse, donec ad normam C. Trid. constituantur, ita S. Sedem nec nunc permittere posse, ut Praesules contenti sint iis scholis theologicis, quas Gubernium in suis Lyceis erigit, et dirigit, cum scholae hae ad normam C. Trid. non sint exactae, et vigilantiae ac auctoritati Epporum concreditae. In his simul normam agendi per Eppos tenendam contineri concludens Pontifex, excitat eosdem Praesules ad suscipienda omnia opportuna consilia scopo erigendarum in propriis Seminariis scholarum theologicarum.[42])

Anno 1867 *Eppi Bavariae* duplici *Memoriali* ad Regem dimisso iura Ecclesiae in re *scholari* energice propugnabant. *Primo Memoriali* mense Septembri exarato occasionem praebuit *proiectum legis de scholis popularibus* a Ministerio eum in sensum elucubratum, ut a scholis, demta institutione in doctrina religionis, omnis influxus et auctoritas Ecclesiae removeatur. Eppi in Memoriali suo primum significant Regi, se quoad proiectum hoc, iam etiam Comitiis Regni substerni intentum, per Ministerium nec auditos praevie extitisse; tum provocando ad suas remonstrationes in re scholari e Conferentiis Bambergensibus a. 1864, et Passaviensibus a. 1865 Regi exhibitas, iisdem se nunc quoque firmiter inhaerere declarant, et contra proiectum velut anticatholicum imo et antichristianum, quippe omnem in educationem et directionem scholarum influxum Ecclesiae perimens, solemniter protestantur.[43]) *Al-*

---

[42]) *Mon.* 1645. pag. 396.
[43]) *Mon.* 1646. pag. 400.

Digitized by Google

terum Memoriale, mense Novembri exhibitum, originem suam debet ei circumstantiae, quod in sequelam primi Memorialis Ministerium Regium legis scholaris proiectum cum Praesulibus communicaverit. Examinato igitur proiecto Ministeriali, siquidem id Ecclesiae non minus quam Statui damnosum, et iuribus Ecclesiae, parentum ac familiae multis ex obtutibus adversum, penitusque reiiciendum deprehenderent, in suo Memoriali Regem hoc in sensu informarunt, ac una ad casum, si non obstante sua solemni protestatione, quam altero Memoriali reiterant, proiectum in legem abiret, desiderarunt: ut inferiora Ecclesiarum servitia, uti Organistae, Aeditui etc. ab officio docentis separentur, dosque his servitiis sacrata suae destinationi adplicetur; erectio scholarum privatarum libera sit, prout et consociationum ecclesiastico-religiosarum; ut proventus, quos pia populi intentio unice ad dotandas scholas catholicas snb Ecclesiae gubernio ac directione positas obtulit, tantum in emolumenta pure catholicarum scholarum convertatur; verbo omnia iura Ecclesiae quoad scholas in salvo permaneant.[44])

VI. Monumenta Italica.

Eppos Sardiniae et reliquorum Italiae regnorum per Regem Sardiniae occupatorum adversus leges et decreta Gubernii, in quantum legibus divinis et Ecclesiae adversarentur, vocem suam frequentius elevasse, et partim ad Regem ipsum, partim ad Corpus legislativum, partim ad Ministerium Regium remonstrationes protestationesque suas direxisse, Tomo VI operis huius nostri indigitavimus, ipsaque documenta Praesulum vulgavimus. Anno 1864 et sequentibus rursum necessitas imposita fuit Eppis memoratis, contra plura Civilis Potestatis edicta et leges vocem attollendi, signanter contra *legem militandi* ipsis plane Clericis impositam, contra *sublationem Religiosorum Ordinum et bonorum ecclesiasticorum confiscationem,*

---

[44]) *Mon.* 1647. pag. 406.

oogle

contra *Placetum Regium* etc. Eppi in suis protestatoriis documentis eundem zelum, idem robur, eandem constantiam manifestant, quibus illos a. 1863 in repraesentationibus contra Placetum usos fuisse cum solatio exhibuimus. (Tom. VI. p. 786. ss.)

Contra legem *militaris Clericorum servitii* levarunt vocem Eppi *Hetruriae, Subalpini et Lombardiae, Mutinenses et Parmenses,* (qui simul et legem de Religiosis et bonis eccl. oppugnant), utriusque *Siciliae,* (in eadem repraes. qua matrimonium civile impugnant), *Piceni et Umbriae,* et *Romaniolae.* Ostendunt quamplurimis argumentis, legem, quae et Clericis onus militaris servitii imponit, esse violationem iuris sacerrimi sequendi divinam vocationem ad dispensanda mysteria Dei, et completissimam negationem canonum legumque Ecclesiae, item attentatum contra Religionem Status, sive Catholicam, quae sine Ecclesia et ministris existere nequit; per eam offendi conscientias, familiarum quietem turbari, beneficia Apostolatus christiani ignorari, uti civilisationem nationum, missionem sacerdotii catholici, libertatem etc. Impugnant porro rationum momenta pro condenda praevia lege allata, quasi nimirum exemtio Cleri a lege militandi sit privilegium, aequalitati omnium civium coram lege oppositum, quod omnes absque discrimine cives ad onera Status concurrere obligentur, quod timeri haud debeat imminutio numeri ministrorum Ecclesiae.[45])

Legem *de suppressione Monasteriorum et confiscatione bonorum eccles.* impugnabant Eppi *Mutinenses et Parmenses* (simul contra legem militandi semet enunciantes), *Subalpino-Ligurienses, Vercellenses, Hetruriae, Marcarum et Umbriae.* Confutant argumenta per Ministerium prolata, et ostendunt: proiecta legum harum in suis principiis offendere omnem rationem, naturalem, socialem, divinam, ecclesiasticam, et civilem, adeo, ut eorum falsitas per se appareat etiam maxime vulgari bono sensui; quoad bona ecclesiastica convellunt ideam praetensi dominii Status, et proprietatis ius egregie

---

[45]) *Mon.* 1648—1653. pag. 424.

Digitized by Google

vindicant Ecclesiae. Eppi *Subalpino-Ligurienses* disertis verbis affirmant: occupationem bonorum horum per Statum, et efformationem sic dictae Cassae sive peculii ecclesiastici esse laesionem iuris Ecclesiae competentis, esse iniustitiam et excessum contra dignitatem Ecclesiae, esse latrocinium sive ereptionem proventuum a legitimo possessore, etc.[46])

Contra legem de *Placeto Regio* ad nominationes oeconomorum, Curatorum, et Vicariorum spiritualium ab Eppis factas extendendo repraesentarunt Eppi utriusque *Siciliae, Mutinenses et Parmenses, Piceni et Umbriae, Hetruriae, Taurinensis* provinciae; et ad normam priorum de Placeto Rescriptis Romanis superinducto remonstrationum anni 1863 (ut suo loco meminimus) hanc quoque legem de Placeto ad Eppalia rescripta extendendo omni ex obtutu severo subiecerunt examini, et refutatis quibusvis argumentis pro necessitate Placeti huius generis per Civile Gubernium adductis, energice ac solemniter declararunt: non convenire, ut ad profligandos illos, quorum Apostolatus indefesse exerceri debet, vis adhibeatur materialis, habito cumprimis respectu ad principia ordinis supernaturalis, quibus Apostolatus sive Eppatus nititur, quaeve eo ipso competentiam omnis civilis syndicatus transcendunt; declararunt porro, se Deum solum prae oculis habituros, et ad prohibitionem civilem, ne doceant, cum Apostolis responsuros: Si oporteat obedire Deo magis quam hominibus, vos indicate. Eppi *Hetruriae* declararunt: nescire se determinare an in Ministeriali propositione quoad Placetum maior sit absurditas principiorum despoticorum et exaggeratio doctrinarum de Regalia, aut vero derisio, vi cuius Minister libertates et beatitudines promittit, quibus qui in mundo fidem tribueret, non existit; auctoritate Status, quae missioni Praesulum evangelicae suam sanctionem tribuere aut negare praesumit, seque arbitram constituere et ministerii eppalis libertatem, quae est ipsa libertas Dei, invinculare audet, divinam Ecclesiae autonomiam offendi, et committi crimen laesae Maiestatis Divinae. Iidem Praesules suam protestationem sic concludunt: securos se esse, non fuisse ab se in adimplendis ob-

---

[46]) *Mon.* 1654—1657. pag. 459.

Digitized by Google

ligationibus suis commissum errorem, dum verba sua et institutio doctrinae Petri fuit conformis; non se transegisse cum errore, non adolevisse vel unum granum incensi idolo popularitatis, non inclinavisse pastorale pedum et crucem vilitati, iniustitiae, praeiudiciis seculi; sic quoque se cum Dei adiutorio porro etiam non obstante quocunque impedimento viam obligationum terere velle. Eppi provinciae *Taurinensis* uberiore digressione historica expendunt rem sic dicti Placeti Regii, eiusque iniustitiam docte demonstrant, et pronunciant: innovationes guberniales circa Placetum quoad denominationes ab Eppis factas esse invasiones in administrationem beneficiorum, violationes manifestas iuris generalis Ecclesiae, conculcationes iurium Ordinariis, Capitulis etc. competentium.[47])

Praeallatis literis protestatoriis adnectimus adhuc duo documenta: nempe repraesentationem, quam Praesules utriusque *Siciliae* pro independentia *Seminariorum Eppalium* 1864 ad Ministrum Sigilli Custodem dimiserunt; et decretum a Praesulibus provinciarum eccles. *Taurinensis* et *Vercellensis* super *Registris parochialibus* de baptismo, matrimonio etc. porro quoque per Parochos ducendis, a. 1865 vulgatum. Prius documentum, seu repraesentatio Epporum Siciliae ac Neapolis reiterat ea, quae iam in prima protestatione anni 1863 (cf. Op. nostr. T. VII. Mon. 1560.) contra intentam *secularisationem Seminariorum* a laudatis Praesulibus adducta fuere. Quemadmodum in hac prima, ita et in altera, quam nunc vulgamus, repraesentatione ad evidentiam demonstrant: subductionem Seminariorum ab absoluta Epporum potestate ac dependentia seu sic dictam secularisationem Seminariorum esse conculcationem iuris maxime essentialis Ecclesiae Catholicae, quae sola Iesum Christum seu Veritatem repraesentat; esse violationem Statuti Regni; esse denique contradictionem respectu liberarum institutionum in Anglia, Gallia, et Belgio vigentium, secundum quas communitates religiosae generatim et scholae ac Seminaria Epporum a quacunque Status ingessione independentes existunt. Memoratu digna sunt etiam

---

[47]) *Mon.* 1658—1662. pag. 480.

Digitized by Google

sequentia piissimorum Praesulum verba, ad calcem repraesentationis posita: ‚Nos Eppi — tamquam fideles custodes depositi a Deo et Ecclesia nobis crediti contra saepefatas praetensiones (Gubernii) solemniter protestamur, et, ne aggravemus conscientias nostras, culpabilique silentio sacrosanctorum iurium proditores efficiamur, rectoribus ac magistris omnium Seminariorum nostrorum declaramus, ad casum, si iustissimae reclamationi nostrae haud deferretur, et contra omne ius ac iustitiam, contra constantem seculorum usum, Circulares Ministri Seminariis applicarentur, aut Constitutio Concilii Tridentini, absolutam ac inviolabilem independentiam ecclesiasticam praecipiens, vel in minimo mutaretur, omnia Seminaria nostra tamquam ipso facto soluta et a nobis ipsis praeclusa considerari debere.'[48]) — Alterum documentum continet decretum Epporum provinciae *Taurinensis* et *Vercellensis* de Matriculis sive Registris porro etiam der Parochos ducendis. Ei occasionem praebuit potestas civilis, quae non attentis Concordati dispositionibus, Registra seu Matricas per suos officiales duci ac conservari voluit.[49])

Anno 1865 *Pius IX* PP. Consistoriali Allocutione, qua Antiochenum Melchitarum Patriarcham more S. Sedis canonice instituit ac investivit, et res Mexicani Imperii satis tristes breviter perstrinxit, simul tam universis orbis catholici Eppis, quam in specie *Italiae Praesulibus* eximias tribuit laudes; illis quidem, quod non obstantibus iniustis Auctoritatis Civilis decretis contra iura Ecclesiae latis, eadem iura qua voce qua scripto intrepide tueantur; his vero, quod numquam destiterint desistantque adversus iniquas *Subalpini* Gubernii leges vocem suam attollere et eppali cum fortitudine protestari. Cuiusmodi Allocutionem iam superius inter *Romana Monumenta* exhibuimus. — Idem Summus Pontifex a. 1866 nova *Allocutione* Consistoriali palam reprobavit ac damnavit facta *Subalpini Gubernii* ad impetendam Ecclesiam incessanter directa. Ex his factis in Allocutione recensentur: Antisti-

---

[48]) *Mon.* 1663. pag. 509.
[49]) *Mon.* 1664. pag. 519.

Digitized by Google

tum aliorumque integerrimorum ecclesiasticorum non minus ac laicorum eiectio in exilium, detrusio in carcerem, Religiosarum Familiarum suppressio, bonorum ecclesiasticorum usurpatio et venditio, Conventionis Austriacae cum S. Sede initae in provincia Veneta abrogatio etc.[50])

A. 1866 facta per Italicum Gubernium Epporum a sedibus suis elongatorum ad capessendas easdem sedes revocatione, dederunt *Praesules Romae exulantes* ad Praesidem Ministerii literas: in quibus cum satisfactione quidem per se exceptam haberi eiusmodi revocationem affirmant, seque mox reversuros pollicentur, ne per ulteriorem adhuc a suis dioecesibus absentiam occasio praebeatur lupis invadendi gregem; simul tamen observationes suas subnectunt quoad ea, quae in literis Gubernii revocatoriis contra Eppos tamquam seductionis ad civiles motus capaces summa cum iniuria prolata fuere.[51]) — Eodem anno probata et sacris indulgentiis ditata fuit a Summo Pontifice *pia precatio in praesentibus Ecclesiae calamitatibus* concinnata, in qua Dominus Iesus suppliciter exoratur, ut dissipet consilia impiorum, qui suis fallacibus argutiis populum circumveniunt, et perniciosa sua sophismata ubique spargunt.[52]) *Sacra* autem *Poenitentiaria Romana*, prout iam annis prioribus ad posita diversa ex regionibus Italicis per Sardos occupatis dubia congruas ediderat resolutiones (in nostris Monumentis suo loco occurrentes), ita et a. 1866 duplici decreto dubia nova sibi proposita resolvit; primo decreto de *deputatis pro Parlamento Italico electis* declaravit, electos munus hoc acceptare posse, si iuramento per ipsos nuncupando adiiciant conditionem de salvis manentibus legibus divinis et ecclesiasticis; altero decreto undecim quaestiones resolvit de ratione agendi Epporum circa praesides provinciae, iuramentum, Seminaria, etc.[53])

A. 1867 Summus Pontifex *Allocutione* diei 22 Febr. significavit S. Collegio, se post institutas cum repraesentantibus Gubernii Italici consultationes *vacantibus in Italia dioe-*

---

[50]) *Mon.* 1665. pag. 521.
[51]) *Mon.* 1666. pag. 524.
[52]) *Mon.* 1667. pag. 528.
[53]) *Mon.* 1668. 1669. pag. 528. s.

Digitized by Google

cesibus de Pastoribus proximius provisurum, licet Antistites eo mittendi pro summo suo dolore censum mensae eppalis distractum, dispersos Sanctuarii lapides, deserta religiosae perfectionis confugia, claustrorum habitatores omni substantia orbatos inventuri sint.[54])—Altera *Allocutione* diei 20 Sept. reprobavit ac damnavit legem *Gubernii Subalpini de spolianda in suis aeque ac usurpatis regionibus Ecclesia propriis suis bonis, hisque vendendis,* tamquam ausum temerarium ac sacrilegum, cum ingenti ipsius civilis societatis damno, et violatione iuris naturalis, divini ac humani.[55]) — Literis apostolicis, anno adhuc 1864 editis sed primum 10 Oct. 1867 publicari iussis, sic dictum Tribunal *Monarchiae Siculae seu Apostolicae in Sicilia Legationis* penitus extinxit. In his literis praemittitur brevis historia huius Tribunalis usque ad novissima tempora : (Monumenta huc spectantia Tomo VII operis nostri inseruimus) tum indicatur, inania fuisse quaevis S. Sedis studia pro eo, ut abusus, damna et detrimenta per praevium tribunal commissa et illata removeantur, praetextuque Legationis Apostolicae res ecclesiasticas maiori ex parte usurpatas, leges de disciplina ecclesiastica perperam conditas, ipsamque Sedem Apostolicam impeditam fuisse, quominus salutarem suam actionem exercere possit ; Epporum auctoritatem depressam ac deiectam, Regularem observantiam pene destructam, Cleri utriusque inobedientiam erga suos Praelatos promotam ac defensam, etc. Post haec itaque non superfuisse iam aliud reale remedium enunciat Pontifex, quam suppressionem ac abolitionem huius Monarchiae Siculae sive Legationis, a Clemente XI factam, confirmare, constitutionem Benedicti XIII de restabilita Monarchia, una cum aliis deinceps pro favore ipsius vulgatis Apostolicis literis revocare.[56]) Dedit eodem tempore Pius IX *ad Eppos ac universos fideles Siciliae* literas : quibus modum procedendi in causis antea ad tribunal Monarchiae pertinentibus praescripsit, et

---

[54]) *Mon.* 1670. pag. 532.
[55]) *Mon.* 1671. pag. 534.
[56]) *Mon.* 1672. pag. 535.

Digitized by Google

hac quoque occasione Praesules hortatus est, ut his calamitosis Reipublicae Christianae temporibus contra omnes Dei hominumque hostes nefarios, arcem Sion quaquaversus invadentes, Catholicae Ecclesiae iura et leges pro potestate a Domino accepta impavide tueantur ac propugnent.[57]) — Ad complementum documentorum spectant: *Monitorium ad sacerdotem Cyrinum Rinaldi* antea delegatum iudicem Tribunalis Siculi et eiusdem *excommunicatio*. Prius documentum, 15 Oct. 1867 signatum, indicit nominato presbytero poenam excommunicationis, si literis Apostolicis non parendo, actus praetensae delegationis, alioquin nullos ac irritos, ponere porro quoque attentaret; alterum documentum, 23 Iul. 1868 editum, dictum presbyterum, sacrilego et abominabili ausu munus suum non obstante Monitorio continuantem, nominatim maiore excommunicatione plectit, et tamquam talem ab Ecclesiae corpore segregatum, atque ab omnibus vitandum decernit.[58])

VII. Monumenta Mexicana.

Res Ecclesiae Catholicae in regione Mexicana, antea Republica, in tristissimum statum, cumprimis sub postremis turbis politicis coniectas, atque per sic dictam *reformationem* iura Ecclesiae maxime inviolabilia eversa, bona ecclesiastica dilapidata, Ordines Religiosos abolitos fuisse etc. ex duplici *Allocutione* SS. Patris a. 1856 et 1863, (Monum. Cath. VI. 915. ss.) item e protestatione Praesulum Mexicanorum a. 1863 (eiusd. op. t. VII Mon. ult. 1564.) abunde intelligitur. Tristem hunc Ecclesiae situm Summus Pontifex Imperatori Maximiliano paulo post adeptum Imperium, scilicet 1864, ope Brevis ad eundem directi, graviter exposuit, eique denuo maiorem in modum commendavit, ut omnibus viribus in eo sit, quo *Religio Catholica cum exclusione omnis alterius dissidentium cultus gloria Nationis Mexicanae esse pergat, Eppi in*

---

[57]) *Mon.* 1673. pag. 540.

[58]) *Mon.* 1674. 1675. pag. 543.

exercitio pastoralis sui muneris perfecta libertate gaudeant, Ordines Religiosi restituantur, patrimonium Ecclesiae iuraque ei adnexa illaesa serventur, omnesve catenae et vincula, quae hactenus Ecclesiam sub arbitrio civilis potestatis constrictam tenebant, rumpantur. Monita haec eodem tempore Imperatori data sunt, quo S. Sedis Nuntius ad Imperium Mexicanum pervenit.[59]) Verum monita paterna Summi Pontificis optatum nequaquam produxerunt fructum: imo mox cum adventu *Apostolici Nuntii* ea ex parte Gubernii Mexicani evenerunt, quae iam portendebant infaustum negotiorum exitum. Initio mensis Decembris concinnata fuere per Gubernium 9 *Puncta* tamquam principia futuri Concordati cum Sede Apostolica, iis, quae Papa in Brevi suo commendavit Imperatori, haud consona. Puncta haec Nuntio cum suo adventu consignata, et per Imperatorem in Audientia 17 Dec. habita commemorata fuere:[60]) verum Nuntius mox respondit, se ad similia Puncta in deliberationem sumenda nulla provisum esse instructione et plenipotentia, e contra quoad ea, quae S. Pater Imperatori scripserat, se congrue instructum esse, et vi suae missionis desiderare debere, ut cum legibus sic dictis reformatoriis retractentur simul omnes leges sacris Ecclesiae iuribus adversae, item ut Eppi plena fruantur libertate, ut damna sub revolutione republicana Ecclesiae illata reparentur, bona Ecclesiae ablata restituantur; reflexiones quoque suas proposuit circa Puncta secum communicata: tolerantiam cultuum doctrinae Ecclesiae et sensui Nationis pure catholicae contrariam reprobari; Eppatum, Clerum, et partem saniorem nationis abhorrere ab idea indemnisationis Gubernii; Ecclesiam non posse cedere bona etc. Haec omnia Nuntius erga desiderium Ministri Iustitiae etiam scripto reiteravit, orando, ut Imperator ab edenda quapiam resolutione Ecclesiae legibus adversa cavere, et oraculum Summi Pontificis circa proposita Puncta praestolari velit.[61]) —

---

[59]) *Mon.* 1676. pag. 548.
[60]) *Mon.* 1677. pag. 552.
[61]) *Mon.* 1678. 1679. pag. 553.

Digitized by Google

Vix elapsis aliquot a suo responso diebus, idem *Apostolicus Nuntius* coactum se sensit ad novam *Notam,* et quidem *protestatoriam,* Gubernio exhibendam. Imperator nimirum 27 Dec. 1864 per literas publici mox iuris factas Ministro suo significavit: propositum sibi esse, ut quaestio ecclesiastica inter S. Sedem et Gubernium Civile vertens absque concursu Ecclesiasticae auctoritatis decidatur, siquidem Nuntius instructione destituatur, et res ulteriorem moram haud patiatur. Merito exhorruit ad similem enunciationem Imperialem Nuntius, cernens, eo tendere factum hoc Gubernii, ut Summus Pontifex oneri responsionis obnoxietur ob non impertitam congruam instructionem. Quare abs mora, dd. 29 Dec. 1864 exaravit Notam ad Ministrum Imperialem: in eaque denuo exposito suae missionis scopo, et repetito eo, quod pro instituenda in basi Brevis Pontificii tractatione necessariam habeat instructionem, energicis refutavit verbis ea, quae in praemissa Imperatoris litera exponuntur, et suam interposuit protestationem adversus ea, quae in sensu huius epistolae contra Ecclesiam evenire possent, omneque responsionis onus a Summo Pontifice amolitus est.[62]) Respondit ad hanc Notam Minister 10 Ianuarii 1865 vehementi stylo, omnesque Nuntii assertiones elidere adnitens.[63])

Initio anni 1865, quippe 7 Ianuarii, emanavit decretum Imperiale de omnibus Rescriptis Aulae Romanae *Placeto* seu sic dicto *Exequatur* subiiciendis.[64]) Infelix et funestum isthoc decretum occasionem dedit novae protestationi *Nuntii Apostolici,* quam ope Notae ad eundem Externorum Ministrum 19 Ianuar. interposuit. In ea observat: Bullas aliaque huius generis rescripta Apostolica esse actum *iurisdictionis,* qua Summus Pontifex in universa gaudet Ecclesia, cui ex parte fidelium correspondet *obligatio,* semet in conscientia submittendi decisis S. Sedis, etiam Imperatorem qua Ecclesiae

---

62) *Mon.* 1680. pag. 555.
63) *Mon.* 1681. pag. 557.
64) *Mon.* 1682. pag. 565.

Digitized by Google

subditum stringens; ius vero hoc Summi Pontificis per decretum Imperiale coarctari ac impediri; et laedi per illud supremam ac independentem potestatem Pontificiam, quum haec nulli alteri subiecta sit, et ab omni mundana civilique dominatione semper libera esse debeat; S. Sedem contra sic dictum regium ‚Exequatur' velut iuribus Primatus contrarium et ad schisma tendens, continuo protestatam fuisse.[65]) Ad Notam Nuntii Minister Mexicanus rursum sat vehemente stylo et cum offensione connexum reddidit responsum, quo decretum imperiale iustificare adnisus est.[66]) — Rebus in Mexicano Imperio quoad Ecclesiam in tam tristem statum adductis, paulo post sequebatur revocatio Nuntii Apostolici, et Summus Pontifex in Consistoriali *Allocutione* 27 Mart. 1865 palam enunciavit: res Mexicanas acerbissimum sibi attulisse moerorem, quod eae praeter omnem opinionem expectationemque suam, et filialis observantiae significationes ab Imperatore antea exhibitas evenerint; se tamen sperare, ut Imperator, prout religio ac iustitia postulat, et catholicum decet principem, gravissimas Ecclesiae reparet ruinas, eiusque veneranda iura, libertatem, Antistites etc. tueatur, ac cum Eppis concordiam servet.[67]) Interim spes Summi Pontificis impletae non sunt, et paulo post tristissima catastrophe Imperio Mexicano finem imposuit. Anno 1867 Summo Pontifici de rebus Mexicanis denuo proloquendi occasionem dedit libellus Parisiis vulgatus, (e quo documenta correspondentiarum Nuntii cum Imperiali Ministerio desumta sunt) et onus responsionis in S. Sedem coniiciens. Assertum falsum et absurdum esse edicit Pontifex in *Allocutione* 20 Sept. habita, et provocat ad Epistolam Imperatoris Maximiliani ante suum obitum e carcere scriptam, qua (ut in publicis ephemeridibus continebatur) facta sua Ecclesiae funesta retractavit.[68])

---

[65]) *Mon.* 1683. pag. 566.
[66]) *Mon.* 1684. pag. 568
[67]) *Mon.* 1685. pag. 574.
[68]) *Mon.* 1686. pag. 574.

Digitized by Google

VIII. Monumenta Hollandica.

Concilium Provinciale Ultrajectense, (prima post restitutam in Hollandia Hierarchiam Synodus) a. 1865 celebratum de relatione Ecclesiae ad Civitatem per decursum Actorum Synodalium identidem se enunciavit, doctrinam orthodoxam insigniter propugnando. Praecipua propositae a Synodo doctrinae huius capita sunt: *Ecclesiam* ceu veram et perfectam societatem a Domino institutam, nullis circumscriptam regionum finibus, *nulli* etiam *civili subdi imperio,* suamque potestatem ac iura ubique terrarum in salutem hominum *libere* exercere; Ecclesiae inesse *ius ferendi leges* ac ipsarum observantiam adhibitis etiam *poenis ad devios et contumaces coërcendos* exigendi; ius *bona temporalia* acquirendi et possidendi nullo pacto denegari posse Ecclesiae; *reprobandum ac damnandum esse errorem* illorum, qui perverse comminiscuntur civilem potestatem posse se immiscere rebus ad religionem, mores, et regimen spirituale pertinentibus, atque etiam impedire, *quominus Eppi et fideles cum Romano Pontifice libere communicent; Regiam potestatem* non solum ad mundi regimen, sed maxime *ad Ecclesiae praesidium* esse collatam; inter finem utriusque societatis non oppositionem adesse sed coniunctionem, concordiam, et coordinationem, et huiusmodi *amicum consortium* ab Ecclesia maxime optari; Ecclesiam ex divina institutione sua semper exercuisse et debere exercere vim salutiferam circa *iuventutis institutionem,* ipsam dedisse ortum scholis puerorum, inque his primarias partes habere et toti educationi dominari debere *religiosam doctrinam;* etiam in *altioribus scholis* iuventutem *Ecclesia duce* erudiendam esse; Eppos, salva suprema Papae auctoritate, in suis dioecesibus primos esse bonorum ecclesiasticorum administratores.[69]) — Principia de institutione catholica iuventutis in Synodo proposita denuo inculcarunt Hollandiae Eppi in praeclara Pastorali epistola contra sic dictas

---

[69]) *Mon.* 1687. pag. 575.

Digitized by Google

Scholas communes, aut neutrales, charactere religioso destitutas a. 1868 edita.[70])

IX. Monumenta Borussica.

AEppo Coloniensi Cardinale Geissel e vivis erepto, qui a. 1863 Consilii erigendae in Germania *Universitatis Catholicae* praesidium per S. Sedem obtinuit, a 1867 successor datus est itidem *AEppus Coloniensis* cum adiutorio Epporum Moguntini et Paderbornensis. In Brevi Pontificio diserte enunciatur: similem *Universitatem a S. Sede pendere debere, ut arctissimo fidei ac obedientiae vinculo sit eidem iuncta.*[71])—Synodus dioecesana *Paderbornensis* 1867 celebrata de *scholis* sanxit: *scholam* (Ecclesiae filiam) *ab Ecclesia emancipare eiusque influxui subtrahere, esse Ecclesiae ipsi mortiferam plagam infligere;* parochorum muneris esse, *omnibus disciplinis per Ludimagistrum tradendis invigilare.*[72]) — AEppus *Gnesnensis et Posnaniensis* 1868 Clerum suum obligavit, ut molimina inducendarum sic dictarum *scholarum simultanearum,* seu omnibus confessionibus religiosis communium, sua ex parte impediant, periculaque fidei salvificae ex illis obvenientia fidelibus ob oculos ponant.[73])

X. Monumenta Austriaca.

Inter Monumenta Austriaca Tomo antecedenti (VII) retulimus plurium Praesulum enunciationes, in literis potissimum pastoralibus expressas, de *Concordato Austriaco anni 1855,* contra obiectiones, quibus isthacc Conventio ab aliquot annis incessanter impetebatur, directas. Ex annis, quorum Monumenta praesens Tomus complectitur, eo spectant ante

---

[70]) *Mon.* 1688. pag. 583.
[71]) *Mon.* 1689. pag. 596.
[72]) *Mon.* 1690. pag. 597.
[73]) *Mon.* 1691. pag. 598.

Digitized by Google

omnia plures *Cardinalis AEppi Zagrabiensis* pastorales epistolae: signanter ex a. 1865 quadragesimalis encyclica de Auctoritate. In ea primum de auctoritatis vi ac pretio relate ad Ecclesiam a Domino ipso fundatam insigniter disserit, et facta comparatione cum aliis Auctoritatis generibus praeeminentiam illius ubertim demonstrat, perstringendo arma illa, queis nostra aetas cumprimis auctoritatem Ecclesiae impetit, signanter publicam illam modernarum politicarum Constitutionum ac Guberniorum intuitu christianae fidei indifferentiam, apertam iurisdictionum seculi nostri civilium erga Ecclesiam aemulationem et zelotypiam, praecautiones adversus Ecclesiam variasque libertatis eiusdem restrictiones etc. Tum *Concordati Austriaci* facit mentionem, et similiter perstringit nisus adversus illud directos, asserendo: *Conventione illa nil nisi libertatem et iura, quae Ecclesiae divinitus competunt, lapsuque seculorum ipsi tribuebantur, nec nisi recentissimis temporibus tristem in modum labefactata fuerant, eidem restitui.*[74])— Idem APraesul 1867 in epistola pastorali pro s. quadragesima rursus de *Auctoritate* proloquitur, et quidem speciatim *Regia*, evolvitque *officia, quae Regiae auctoritati conditio religionis christianae imponit,* ut quippe agnoscat: praeter suam dari adhuc aliam eamque divinam regendis animabus praepositam auctoritatem, et per magisterium infallibile Ecclesiae discat se devovere populi sui prosperitati, et obligatum se esse censeat auctoritati Ecclesiae velut altiori obedire. Hic etiam perstringit aevi moderni sententias vero conceptui regiae auctoritatis, quantum ad religionem et ecclesiam refertur, adversas; cumprimis impium de Statu Deo destituto principium, quasi Status indifferens esse debeat in materia religionis; porro sophismata contra *Concordatum* prolata, *per quod Ecclesiae, sat longo tempore in Austria indignis et iniquis constrictae indaginibus, libertas iure divino competens restituitur;* item nisum pene universalem, religionis in literaria instituta influxum abolendi, vel saltem restringendi, seu, ut dici

---

74) *Mon.* 1692. pag. 598.

Digitized by Google

solet, Scholae ab Ecclesiae iugo emancipationem.[75]) — Idem Card. Zagrabiensis eodem anno binis adhuc vicibus docte pro more suo pertractavit argumentum de relatione Ecclesiam inter et Civitatem: quippe mense Septembri et Novembri. In pastoralibus literis Septembralibus monet Clerum, ne adoptatum in Austria sic dicti Dualismi systema politicum impugnet, atque ut ab omni contra illud agitatione abstineat. Per decursum huius thematis meminit inter alia *Concordati Austriaci,* cuius impetitionem continuam non aliud monstrare ait, quam infrunitum in Ecclesiam et fidem catholicam odium; quandoquidem mente a praeiudiciis libera et veritatis studio animatus quisque facile perspexerit, *Concordatum* illud *nil esse aliud, quam stabilitum inter ecclesiasticam et civilem potestatem tractatum, vi cuius iniquis servitutis catenis ligata Ecclesia Austriaca, tandem nativa libertate donata est.* Meminit etiam vehementis pruritus et nisus, *scholas* ab influxu sacerdotii eximendi; quem nonnisi novum indubiumque labascentis fidei, inimicique erga Ecclesiam Cath. in Austria spiritus indicium esse asserit.[76]) In posteriori sive Novembrali epistola pastorali, ex incidenti decretarum a Summo Pontifice pro Ecclesia, in Italia et Russia nimium afflicta, publicarum precum, rursus memorat summas adversus *Conventionem cum S. Sede* agitationes, eo tendentes, ut Ecclesiam rursus iisdem, quibus antehac constricta tenebatur, vinculis servitutis subiiciant inquieti fidei christianae et sanorum principiorum expertes homines; memorat quoque impiam illuminatorum temporis istius reformatorum ideam, iuventutis scholasticae a iugo religionis liberandae, et pertinacem solertiam eo directam, ut Ecclesia eiusve ministri sua exuantur bonorum proprietate. Ad calcem epistolae suggerit plura media ad obviandum impio torrenti opportuniora, et concludit: si his non obstantibus magis adhuc invaluerit iniquitas, si ea illum plane gradum attigerit, ut civiles leges in apertam cum dogmatibus ss. fidei nostrae Ecclesiaeque prae-

---

[75]) *Mon.* 1693. pag. 607.
[76]) *Mon.* 1694. pag. 616.

Digitized by Google

ceptis incidant repugnantiam: tum non remanebit nobis aliud, quam declarare cum Petro et Apostolis: Oportet obedire Deo magis quam hominibus.“[77])

Bellum, quod Dei hominumque teterrimi hostes, contra Ecclesiam Catholicam modis omnibus furentes, in *Austria* Conventioni inter S. Sedem et Imperatorem 1855 initae sive *Concordato* iamdudum indixerunt, 1867 novis assultibus instauratum est, omniaque ad motum posita, ut eadem Conventio de medio tollatur. Impia haec molimina Praesules Imperii in Consilio Imperiali constituti eaquepropter Vindobonae commorantes (numero 25) fusiore Repraesentatione ad Caesarem directa mense Septembri 1867 vivide descripsere. Repraesentatio agit primo de natura Concordatorum generatim, eorumque vi obligante; tum de rebus Ecclesiae in Austria Seculo superiore sub Iosepho II Imp. in peius conversis; de perspecta paulo post necessitate mutandi Iosephinas leges, Ecclesiam plenae servituti et arbitrio Secularis Potestatis subiicientes; de consultationibus et negotiationibus in praevium finem sub Francisco Imperatore institutis; de negotio hoc sub imperio hodierni Augustissimi Domini reassumto etc. Perducta historica expositione usque a. 1855, quo Conventio stabilita fuit, evolvit Repraesentatio tam *necessitatem* pangendi *Concordati* cum S. Sede, siquidem plura obiecta duntaxat per hanc velut supremam Ecclesiae auctoritatem decidi potuerint; quam summam omnium Concordati Articulorum congruentiam sive cum iuribus ac postulatis Ecclesiae, sive cum bono communi Status; insuper refellit quasvis obiectiones Concordato in genere et eius Articulis in specie positas, simul vindicando ubique Ecclesiae iura; postremo orat Caesarem, ut Ecclesiae Catholicae suam protectionem impendere velit.[78]) Repraesentatio tam ad Imperatorem, quam ad Summum Pontificem transposita, paulo post retulit ab utroque responsum.[79]) In Brevi Pontificio laudantur Austriae Praesules, quod eppali

---

[77]) *Mon.* 1695. pag. 624.
[78]) *Mon.* 1696. pag. 631.
[79]) *Mon.* 1697. 1698. pag. 653. 654.

Digitized by Google

virtute, fortitudine et concordia, datis ad Imperatorem literis, Dei Ecclesiaeque causam propugnaverint, ut scilicet veneranda Ecclesiae iura integra et inviolata serventur, ut Imperator numquam velit perniciosis impiorum hominum consiliis favere, qui, dum Ecclesiae bellum inferunt, cuiusque legitimi Imperii ac Regni sunt inimici. Nec dubitare se ait Pontifex, ut idem Imperator pro sua religione velit iustissimis suis non minus quam Epporum desideriis annuere, atque ita suo et Imperii sui bono consulere. Utut vero amarae censurae et crises aliaque adiuncta, quae post publici iuris factam Repraesentationem Epporum sese evolverant, eorumdem Praesulum cor pro bono Ecclesiae ardens summa repleverint tristitia: evenerunt tamen quaepiam ad consolandum cor sauciatum opportuna. Huc referimus innumeras manifestationes ex parte Cleri complurium Dioecesium, disertis ac amplissimis verbis suam intimam unionem cum Repraesentatione Praesulum profitentis; huc pertinent speciatim (inter Monumenta relatae) eximiae literae celebris *AEppi Friburgensis* ad Cardinalem Vindobonensem gratulatoriae;[80]) porro declaratio *Cleri Viennensis* ad suum AEppum;[81]) item declarationes nobilium matronarum aeque ac virorum Viennensium ad eundem Card. AEppum.[82])

Mense Octobri 1867 in *inferiore Parlamento* acceptata fuere proiecta legum de matrimonio a iurisdictione Ecclesiae avellendo, et de Scholis ab influxu Ecclesiae aeque eximendis, sicque praecipua *Concordati* puncta eversa. — Mense Novembri 1867 necessarium duxerunt Eppi Imperii contra proiecta sic dictarum *legum fundamentalium* (Staatsgrundgesetze) datis ad Ministerium Cultus et Institutionis literis vocem suam denuo attollere: cum in dictis proiectis continerentur nonnulla, quae iuribus Ecclesiae praeiudicium generare possent; speciatim attingunt leges de sic dicta *manu mortua* proiectatas, et facultatem acquirendi ac administrandi et disponendi de bonis constringentes; item

---

[80]) *Mon.* 1699. pag. 655.
[81]) *Mon.* 1700. pag. 657.
[82]) *Mon.* 1701. 1702. pag. 659.

Digitized by Google

legem de libertate societatum religiosarum suas interiores res dirigendi aeque tantisper coarctata; demum legem de suprema inspectione Status in re *scholari.* Priore obtutu prorsus liberam cum Superioribus Ecclesiasticis communicationem, posteriore autem iura Ecclesiae vindicant in suis literis Praesules.[83]) Non obstantibus reclamationibus mense Decembri 1867 leges fundamentales Status, in pluribus capitibus Religioni ac Ecclesiae Cath. noxiae sanctionem Imperatoris consequutae sunt. In iis signanter statuitur plena omnium opinionum, artis librariae, fidei, conscientiae, ac doctrinae libertas; civibus cuiuscunque cultus facultas tribuitur excitandi educationis et doctrinae instituta; omnes cuiusque generis religiosae societates a Statu recognoscuntur et acquiparantur, et, quod mirere, omnia haec ad omnes, etiam pure catholicas, regiones extenduntur.

Praeadductis rei sacrae adiunctis permoti Eppi tum a. 1867 tum initio anni 1868 *pastorales* ad Clerum populumque suum epistolas et instructiones dirigebant, quarum argumentum fuit tum *Concordati* defensio, tum clarior notionum ac principiorum Ecclesiae, doctrinaeque de legibus Ecclesiae per Consilium Imperiale successis expositio et explicatio, item argumentorum adversae partis refutatio, verbo solida quoad haec omnia institutio, et gregis dominici in fide catholica, sola salvifica, et adhaesione erga S. Matrem Ecclesiam confirmatio. Praestitere id Praesules Austriae insigniter: unde eorum Instructiones et pastorales literas tamquam conspicua et perenni memoria digna zeli ac fortitudinis Eppalis documenta maiori ex parte (omnium enim Praesulum documenta obtinere haud licuit) inter Monumenta recensemus, eo praenotato, quod praesente loco exmissis iis, quae „matrimonium" concernunt, et in alio volumine nostro distincte exhibentur, reliquam dictorum documentorum partem vel per extensum, vel in completo extractu vulgemus. Comparent igitur inter Monumenta nostra Epistolae ac Instructiones: *Card. AEppi Viennensis;*[84]) — *Card. AEppi Pragensis;*[85]) — *Eppi S.*

---

[83]) *Mon.* 1703. pag. 660.

[84]) *Mon.* 1704. pag. 665.

[85]) *Mon.* 1705. pag. 669.

Digitized by Google

Hippolyti;[86]) — Eppi *Linciensis*;[87]) — Eppi *Brunnensis*;[88]) — Eppi *Brixinensis*;[89]) — Eppi *Lavantini*;[90]) — *Card. AEppi Viennensis* altera;[91]) — Eppi *Seccoviensis*;[92]) — AEppi *Salisburgensis*;[93]) — Eppi *Tridentini*;[94]) — Eppi *Reginaehradecensis*;[95]) — Eppi *Vratislaviensis*;[96]) — Eppi *Linciensis* altera.[97]) — Eppus *Linciensis* praeter suas pastorales ad Clerum populumve dioecesanum literas, dedit ad civilem quoque iurisdictionem *Memoriale contra rescriptum Ministeriale de agitationibus Cleri adversus leges civiles matrimoniales et scholares.* In Memoriali refutat Ministri asserta et suppositiones de Clero suo, quasi is praetensivis agitationibus indulgeret; et, postquam reflexisset civilem iurisdictionem ad verbum Imperatoris de fideliter exequendo Concordato a. 1856 enunciatum, declarat: Clerum apprime nosse suam obligationem, et legibus civilibus, quatenus Dei Ecclesiaeque praeceptis non adversantur, paritionem debitam praestare, in casu autem conflictus alioquin stringi non posse, ut legem Deo et Ecclesiae iniuriosam observet.[98])

Anno 1868 proiectum legis de matrimonio et de negotio institutionis in scholis popularibus, in inferiore Parlamento (ut supra meminimus) 1867 acceptatum, in *superiore Consilii Imperialis Parlamento* discussioni subiectum extitit. In *Commissione* Parlamenti super memoratis legum proiectis maioritas Commissionis pro acceptandis inferioris Parlamenti votis, ac proinde pro avulsione iurisdictionis ab Ecclesia, et arcendo eiusdem Ecclesiae in institutione popularium scholarum influxu ac directione, sensa sua depromsit; e contra minoritas pro iuribus Ecclesiae utrobique servandis ac manutenendis se enunciavit. Sententia maioritatis Commissionis occasione publicae in pleno Parlamento discussionis, non obstantibus tum Praesulum tum nonnullorum e seculo virorum egregiis

---

[86]) *Mon.* 1706. pag. 670.
[87]) *Mon.* 1707. pag. 677.
[88]) *Mon.* 1708. pag. 686.
[89]) *Mon.* 1709. pag. 689.
[90]) *Mon.* 1710. pag. 693.
[91]) *Mon.* 1711. pag. 694.
[92]) *Mon.* 1712. pag. 695.
[93]) *Mon.* 1713. pag. 702.
[94]) *Mon.* 1714. pag. 706.
[95]) *Mon.* 1715. pag. 710.
[96]) *Mon.* 1716. pag. 712.
[97]) *Mon.* 1717. pag. 715.
[98]) *Mon.* 1718. pag. 721.

Digitized by Google

sermonibus apologeticis, in decisionem abivit, atque pro sanctione Imperatori substrata fuit. Discussionis et polemiae tam in Commissione quam plena Parlamenti Sessione partem praecipuam effecit meritum Conventionis sive Concordati cum S. Sede, siquidem utraque praemissa lex in sanctiones Concordati manifeste impingeret; cuiusmodi circumstantia uberrimam suppeditavit occasionem, de Concordato disserendi, eiusque vim ac vigorem omni ex obtutu illustrandi ac propugnandi. Acta praecipua huc spectantia in serie nostrorum Monumentorum exhibemus, et quidem I. *Votum separatum minoris partis Commissionis* de lege matrimoniali, quatenus in eo *Concordatum* ipsum attingitur, altera parte ad Monumenta matrimonii relegata, subnexo etiam *voto partis maioris* eiusdem Commissionis; [99]) — 2. *Sermo Cardinalis AEppi Viennensis* in Sessione plena pronunciatus, e quo status quaestionis apprime intelligitur;[100]) — 3. *Declaratio Epporum ad Praesidem Superioris Parlamenti* de eo: quod adeuta vi Concordato, in consultationibus de rebus Ecclesiae partem capere non possint;[101]) — 4. *Eorundem Praesulum declaratio ad Praesidem Ministerii pro manutenenda Ecclesiae iurisdictione*, subnexo simul responso Praesidis Ministerii;[102]) — 5. *Votum separatum minoris partis Commissionis de lege scholari*, cum adiecto voto *maioris partis.*[103])

Dies 25 Maii 1868, in Annalibus Ecclesiae Cath. Austriae atro notanda lapillo, peperit tres funestas leges, sanctione Imperatoris munitas: de *matrimonio*, de *relatione Ecclesiae ad Scholam*, et de *relationibus civium religionariis*, — omnes principiis Ecclesiae adversas, et Concordato e diametro oppositas. Ex his duae posteriores huc pertinent. Per legem de *Scholis* omnis Ecclesiae vis destruitur, ac decernitur: supremam literarum disciplinarumque institutionem, et in scholis inspectionem ac vigilantiam ad Statum pertinere, uniceque religiosam institutionem in popularibus scholis a

---

[99]) *Mon.* 1719. 1720, pag. 733.
[100]) *Mon.* 1721. pag. 739.
[101]) *Mon.* 1722. pag. 750.
[102]) *Mon.* 1723. 1724. pag. 751.
[103]) *Mon.* 1725. 1726. pag. 757.

Digitized by Google

cuiusque cultus auctoritate dirigi, scholas proprias quamlibet societatem religiosam erigere posse, doctrinae libros ab auctoritate civili approbari debere, iis solum demtis, qui religiosae institutioni inserviunt. Per aliam legem *de relationibus civium religionariis*, ad omnes Imperii populos extensam, apostasia tum a catholica tum christiana religione ad ius civile elevatur, omnis Ecclesiae auctoritas in sacra coemeteria de medio tollitur, catholicis cadavera haereticorum in suis coemeteriis humare obligatis.[104]) Leges has *Minister Cultus* 1 Iunii 1868 cum Eppis Imperii communicavit.[105])

Altera mox post impertitam legibus his sanctionem die, quippe 26 Maii, *Nuntius Apostolicus* Viennensis adversus easdem solemnem nomine S. Sedis interposuit *protestationem*, ad Ministrum Externorum et Imperii Cancellarium directam. In ea, omni cum dignitate et gravitate, Sedi Sanctae propria, primum recenset historiam diuturnarum inter ambas supremas Potestates negotiationum Concordato anni 1855 praemissarum; tum refutat omnia argumenta contra Concordatum in medium adducta; demum analisat infaustas leges et adversus illas velut iuribus Summi Ecclesiae Pontificis, item iuri tam divino quam ecclesiastico contrarias protestatur, omneque responsionis onus a S. Sede amolitur.[106]) *Summus* autem *Pontifex*, qui iam in literis ad *Eppum Linciensem* mense Aprili datis molimina Concordato infesta gravibus castigaverat verbis, in Allocutione Consistoriali 22 Iunii 1868 apostolicam adversus memoratas leges Austriacas extollens vocem, primam admirationem suam exprimit et moerorem, quod inimicorum hominum opera Ecclesia Catholica in Imperio Austriaco miserandum in modum affligatur ac divexetur: tum deplorat summam Sedi Apostolicae iniuriam per id illatam, quod Conventio ante 13 annos cum Imperatore inita destructa sit; recenset porro leges tum fundamentales mense Decembri 1867, tum memoratas tres mense Maio 1868 latas, et funda-

---

[104]) *Mon.* 1727. 1728. pag. 767.
769.

[105]) *Mon.* 1729. pag. 770.

[106]) *Mon.* 1730. pag. 771.

Digitized by Google

mentalem quidem de plena cultuum, artis librariae etc. libertate *infandam*, ceteras vero *vehementer reprobandas et damnandas atque abominabiles* compellando, enunciat: *eas Ecclesiae Cath. doctrinae, eiusque venerandis iuribus, auctoritati, divinaeque constitutioni, Sedis Apostolicae potestati, et Concordato, imo ipsi naturali iuri maxime adversari.* Proinde Apostolica auctoritate praefatas leges et omnia, quae sive in his sive aliis rebus ad Ecclesiae ius pertinentibus ab Austriaco Gubernio aut inferioribus quibusque Magistratibus decreta, gesta, et quomodolibet attentata sunt, *reprobat, damnat, irrita prorsus, nulliusque roboris fuisse et fore declarat;* auctores vero eorum, qui se catholicos esse gloriantur, et memoratas leges vel acta proponere, condere, approbare, et exequi non dubitarunt, obtestatur, ut meminerint *censurarum poenarumque spiritualium* contra *invasores iurium Ecclesiae* inflictarum. Praesulibus Austriaci Imperii laudes tribuit, quod eppali robore tum voce tum scriptis Ecclesiae causam Concordatumque impavide tueri ac defendere et gregem officii sui admonere non destiterint. Denique optare se ait, ut Eppi *Hungariae* quoque, Austriacorum imitantes exempla, pari studio et alacritate suam in Ecclesiae iuribus tutandis, et propugnanda Conventione impendant operam. — Allocutionem hanc unice e ratione supremi Apostolici Ministerii profectam fuisse, quae quippe Ecclesiae doctrinae ac iurium contra leges Austriacas propugnationem postulaverit, enunciavit Summus Pontifex in Brevi ad Eppum Brixinensem 18 Ianuar. 1869 dimisso.[107])

Eppi Imperii Austriaci post conditas funestas leges religionarias ministerium suum seposito omni humano respectu fidelissime exequi gloriae sibi duxerunt. Iis, quae quoad legem *matrimonialem* et *mixta connubia* acta sunt, hic praetermissis, et ad distincta desuper tractantia volumina nostra relegatis, unice rem Concordati in genere, et ea, quae in legibus novis religionariis quoad relationem inter Ecclesiam et Statum continentur, prae oculis habentes, vulgamus praestantissimas Praesulum Austriacorum pastorales epistolas et instructiones

---

[107] *Mon.* 1731 — 1733. pag. 779.

Digitized by Google

partim ad Clerum partim ad fidelem populum editas. In his convictionem suam et sensum Ecclesiae impavide et concordissimis animis enunciant, cum fideli populo communicant, et Clerum opportunis instructionibus ad prosequendum sine offensione munus pastorale provident. Declarant cetera inter: summe dolendum esse, rem in Catholico Imperio Austriaco eo devenisse, ut leges conderentur pro Religione et Ecclesia funestissimae; quemlibet Catholicum sancte obligari ad obtemperandum legibus s. matris Ecclesiae, ac proinde ea, quae per leges civiles unice permissive proponuntur, aut iura, quae illic tribuuntur, pro catholico non praebere cynosuram et normam agendi, quamprimum cum Dei eiusque sanctae Ecclesiae legibus collidunt; per civiles huiusmodi leges conscientiis fidelium vim non inferri; eum, qui actus legibus divinis aut Ecclesiae praeceptis adversos ponit, eo ipso excludere semet a communione Ecclesiae; Concordatum tamquam legem ecclesiasticam porro quoque firmiter obligare quemlibet fidelem Ecclesiae filium; plura obiecta in legibus novis civilibus commemorata eius esse generis, quae ad iurisdictionem Ecclesiae pertinent, ab eaque auferri haud possunt, uti scholae, coemeteria etc. Quemadmodum adhortationes ad fideles directae, ita Instructiones Clero datae prorsus eximia constituunt zeli ac fortitudinis eppalis documenta Ex his inter Monumenta nostra collocantur: Eppi *S. Hippolyti* duplex;[108]) — Eppi *Vratislaviensis* duplex;[109]) — AEppi *Tragensis*;[110]) — Eppi *Brunnensis*;[111]) — AEppi *Olomucensis*;[112]) — Eppi *Seccoviensis*;[113]) — Eppi *Linciensis*; (adnexis simul actis memorabilibus, confiscationem politicam Pastoralis epistolae de 7 Sept. 1868 tangentibus, adnexa quoque hac ipsa pastorali epistola)[114]) — Card. AEppi *Viennensis*;[115]) — AEppi *Salisburgensis*;[116]) — Vicarii Apostolici *Cracoviensis*;[117]) — Eppi

---

[108]) *Mon.* 1734. 1735. pag. 782. 786.
[109]) *Mon.* 1736. 1737. pag. 798. 801.
[110]) *Mon.* 1738. pag. 809.
[111]) *Mon.* 1739. pag. 810.
[112]) *Mon.* 1740. pag. 812.
[113]) *Mon.* 1741. pag. 815.
[114]) *Mon.* 1742—1748. pag. 823.
[115]) *Mon.* 1749. pag. 874.
[116]) *Mon.* 1750. pag. 893.
[117]) *Mon.* 1751. pag. 894.

Digitized by Google

Brixinensis duplex;[118]) — Eppi *Tridentini*;[119]) — Eppi *Gurcensis* duplex;[120]) — Eppi *Labacensis*;[121]) - AEppi *Goritiensis*;[122]) — Eppi *Tergestini*;[123]) — Eppi *Vegliensis*;[124]) — AEppi *Iadrensis*;[125]) — Eppi *Spalatensis*;[126]) — Eppi *Sibenicensis*.[127])

Pro coronide documentorum anni 1868 vulgamus adhuc tria maioris momenti Monumenta Austriaca: primum exhibet declarationem et respective protestationem Eppi ac Vicarii *Vorarlbergensis in Tiroli* quoad novam legem scholarem, iuribus Ecclesiae oppido repugnantem;[128]) alterum sistit energicam protestationem *Facultatis Theologicae Vindobonensis* contra electionem et confirmationem *Decani acatholici* Facultatis Medicae in Universitate catholica Viennensi;[129]) tertium pandit *Breve Pii IX ad Redactorem Ephemeridis catholicae in Tiroli*, qui ob propugnatam libertatem Ecclesiae per Iudicia Civilia ad custodiam condemnatus extitit. Breve Pontificium et consolationem in persecutione ob iustitiam, et collaudationem propter strenuam veritatis et libertatis Ecclesiae defensionem continet.[130])

---

[118]) *Mon.* 1752. 1753. pag. 896.
[119]) *Mon.* 1754. pag. 901.
[120]) *Mon.* 1755. 1756. pag. 903.
[121]) *Mon.* 1757. pag. 911.
[122]) *Mon.* 1758. pag. 917.
[123]) *Mon.* 1759. pag. 920.
[124]) *Mon.* 1760. pag. 921.
[125]) *Mon.* 1761. pag. 929.
[126]) *Mon.* 1762. pag. 934.
[127]) *Mon.* 1763. pag. 937.
[128]) *Mon.* 1764. pag. 941.
[129]) *Mon.* 1765. pag. 942.
[130]) *Mon.* 1766. pag. 953.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONUMENTA.

Pontificatus Pii IX. a. 1864—1868.

I. Monumenta Romana.

1565.

Pii IX Encyclica ad Eppos universos cum Syllabo errorum praecipuorum huius temporis, signanter de iuribus Ecclesiae, et de relatione Ecclesiae ad Civitatem: quos iam antea proscriptos denuo damnat Summus Pontifex. 1864.

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves numquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac iustitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Literis, et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum homi-

num molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac iustitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim iuventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Iam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio illustria Praedecessorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima Encyclica Epistola die 9 Novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 Decembris anno 1854, altera vero 9 Iunii anno 1862. in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, eiusque salutari doctrinae ac venerandis iuribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos huiusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae

Digitized by Google

causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione, et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris [1]). Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque n a t u r a l i s m i, uti vocant, principium applicantes audent docere, „optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.“ Atque contra sacrarum Literarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, „optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet.“ Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro d e l i r a m e n t u m appellatam [2]), nimirum „libertatem conscientiae, et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare

---

[1]) Gregor. XVI. Epist. encycl. M i r a r i 15. aug. 1832.

[2]) Eadem Encycl. M i r a r i.

Digitized by Google

ac declarare valeant.“ Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod libertatem perditionis[1]) praedicant, et quod „si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare, et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini Nostri Iesu Christi institutione cognoscat“ [2]).

Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis, posthabitisque audeant conclamare, „voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione, vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt vim iuris habere.“ Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae iustitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re christiana, civili, ac literaria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat „regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos sus per altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates“ [3]). Atque etiam impie pronunciant,

---

[1]) S. Aug. Epist. 105. al. 166.

[2]) S. Leo Epist. 164. al. 133. §. 2. edit. Ball.

[3]) Epist. ad Card. De la Rochefoucault 10 Martii 1791.

Digitized by Google

auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem „qua eleemosynas christianae caritatis causa palam erogare valeant,“ ac de medio tollendam legem „qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur“ fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum C o m m u n i s m i et S o c i a l i s m i docentes ac profitentes errorem asserunt „societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cumprimis vero ius institutionis, educationisque curandae.“ Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a iuventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque iuvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim iuventutem decipiendam, ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum „utpote vero, utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum.“

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent, Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subiicere, et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet

Digitized by Google

affirmare „Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas [1]), quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate muletantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principiis, bonorum proprietatem quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare." Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim „Ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem, et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis." Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt „illis Apostolicae Sedis iudiciis, et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura." Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Do-

---

[1]) Clement. XII. „In eminenti" Benedict. XIV. „Providas Romanorum" Pii VII. „Ecclesiam" Leonis XII. „Quo graviora".

Digitized by Google

mino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis iustitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Iesum Christum negare, eiusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae, et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem, et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis

Digitized by Google

prospicere, ut fideles curae vestrae concredit i „abstineant ab herbis noxiis, quas Iesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris“ [1]). Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, eiusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus eius [2]). Docete „catholicae Fidei fundamento regna subsistere [3]), et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra iam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri obliti, eius potentiam, ut nos ostendamus liberos, abiuremus [4]). Atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam [5]), et nihil esse quod civitatum Principibus, et Regibus maiori fructui, gloriacque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam catholicam .... sinant uti legibus suis, nec libertati eius quemquam permittant obsistere ..... Certum est enim, hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre“ [6]).

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum lu-

---

[1]) S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.

[2]) Psal. 143.

[3]) S. Caelest. epist. 22. ad Synod. Ephes. apud Coust. p. 1200.

[4]) S. Innocent. I epist. 29. ad Episc. conc. Carthag. apud Coust. pag. 891.

[5]) S. Leo Epist. 156 al. 125.

[6]) Pius VII. Epist. Encycl. Diu satis. 15. Maii 1800.

Digitized by Google

minum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Iesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, Einsque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos caritatis victimam enixe iugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Eius ambulent digne Deo, per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, iccirco caelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, eiusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Iubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis Novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium „Arcano Divinae Providentiae consilio“, et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Literis praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri iussimus.

„Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens:

Digitized by Google

misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus, et lacrimae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio . . . . unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit“ [1]). Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater „tota suavis est . . . ac plena misericordiae, . . . omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu“ [2]), atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Iesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate nihil est, quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui facti iam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique caelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus. — Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris anno 1864, decimo a Dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae, Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

S y l l a b u s E n c y c l i c a e a d n e x u s. Syllabus complectens praecipuos Nostrae aetatis errores qui notantur in

---

[1]) S. Cyprian. Epist. 11.

[2]) S. Bernard. Serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex verbis Apocalyp.

Digitized by Google

allocutionibus consistorialibus in Encyclicis aliisque apostolicis litteris sanctissimi domini nostri Pii Papae IX.

§. V.

Errores de Ecclesia eiusque iuribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. Singulari quadam — 9 Decembris 1854.

Alloc. Multis gravibusque — 17 Decembris 1860.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. Meminit unusquisque — 30 Septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Lit. Apost. Multiplices inter — 10 Iunii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coaretatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. Tuas libenter — 21 Decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Lit. Apost. Multiplices inter — 10 Iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Lit. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Lit. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

Digitized by Google

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. Numquam fore — 15 Decembris 1856.

Epist. encycl. Incredibili — 17 Septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. Numquam fore — 15 Decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. Numquam fore — 15 Decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Litt. Apost. Multiplices inter — 10 Iunii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. Acerbissimum — 27 Septembris 1852.

Alloc. Nunquam fore — 15 Decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur ; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. Singularis Nobisque — 20 Sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. Tuas libenter — 21 Dec. 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

Digitized by Google

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. Multis gravibusque — 17 Decembris 1860.

Alloc. Iamdudum cernimus — 18 Martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. Qui pluribus — 9 Novembris 1846.

Alloc. Quibus quantisque — 20 Aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant exequatur, sed etiam ius appellationis, quam nuncupant, ab abusu.

Litt. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. Ad apostolicae — 22 Augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo Concordata) super usu iurium ad ecclesiasticam immuni-

Digitized by Google

tatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. In Consistoriali — 1 Novembris 1850.

Alloc. Multis gravibusque — 17 Decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. In Consistoriali — 1 Novembris 1850.

Alloc. Maxima quidem — 3 Iunii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. In Consistoriali — 1 Novembris 1850.

Alloc. Quibus luctuosissimis — 5 Septembris 1851.

XLVI. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. Numquam fore — 15 Decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae literis severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. Quum non sine — 14 Iul. 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Digitized by Google

Epist. ad Archiep. Friburg. Quum non sine — 14 Iul. 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. Nunquam fore — 15 Decembris 1856.

LI. Imo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. Multiplices inter — 10 Iunii 1851.

Alloc. Acerbissimum — 27 Septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. Numquam fore — 15 Decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas eas-

dem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. Acerbissimum — 27 Septembris 1852.

Alloc. Probe memineritis — 22 Ianuarii 1855.

Alloc. Cum saepe — 26 Iulii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. Multiplices inter — 10 Iunii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Alloc. Acerbissimum — 27 Septembris 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

Epist. encycl. Quanto conficiamur — 10 Augusti 1863.

LIX. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1863.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. Maxima quidem — 9 Iunii 1862.

LXI. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. Iamdudum cernimus — 18 Martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de non-interventu.

Alloc. Novos et ante — 28 Septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.

Epist. encycl. Qui pluribus — 9 Novembris 1846.

Alloc. Quisque vestrum — 4 Octobris 1847.

Digitized by Google

Epist. encycl. Noscitis et Nobiscum — 8 Decembris 1849.

Litt. Apost. Dum catholica — 26 Martii 1860.

LXIV. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. Quibus quantisque — 21 Aprilis 1849.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. Nemo vestrum — 26 Iulii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. Acerbissimum — 27 Septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. Numquam fore — 15 Decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. Iamdudum cernimus — 18 Martii 1861.

1566—1576.

Declarationes Praesulum Italiae et Hungariae ad Encyclicam Pontificis, eique adnexum Syllabum. 1865.

1. Eppi Neapolitani Summo Pontifici. **Admirabilem Encyclicam tuam ‚Quanta cura' et literas Apostolicas in forma Brevis die 20 Nov. 1846. nec non Syllabum errorum, quos alias iure damnasti, veneranter suscepimus, gratanter in corde nostro servabimus, et fideliter ore profitebimur. Absit enim a nobis, ut cum modernis Capharnaitis dicamus: ‚durus est hic sermo, et quis potest eum audire?' Imo quo importuniora, et tamquam deliramenta verba tua visa sunt illis: eo opportunius in hoc ‚tohu vavohu (Gen. 1, 2.) errorum et systematum huius seculi cum Apostolis ingeminamus: ‚Ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes?' Siquidem lucerna pedibus nostris est verbum tuum in caliginoso hoc seculo lucentissima; non enim caro et sangvis revelavit tibi, sed idem ille Spiritus Patris et Filii, spiritus sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, qui olim Petro arcana Dei revelavit, idem et in te, successore eius meritissimo, atque super sedem eius legitime sedente, praestat quaerentibus fidei veritatem, uti loquitur Chrysologus. Idcirco quaecunque in laudatis literis tamquam potestatem habens vel affirmas, vel damnas, eadem unanimiter nos quoque affirmamus, approbamus, condemnamus. Vivas itaque, aeternumque vivas, Beatissime Pater; perge quo coepisti, certus, quod sicut a principio, ita et nunc et in posterum sequemur te, quocunque iveris, in vitam et in mortem tecum ire parati. Et quoniam fluctibus feri maris undique iactamur, ea, in qua tam dives es, caritate ad nos conversus, confirma, ne cesses, fratres tuos tum magisterio tuo falli et fallere nescio, tum prece tua ad Iesum Christum D. N. et B. Matrem Immaculatam efficacissima, tum benedictione apostolica super nos et super filios nostros in Christo Iesu, quibuscum venerabundi sanctos deosculamur pedes tuos, quippe et esse et dici gloriamur obsequentissimi addictissimi et obstrictissimi** servi et, si digni iudicamur, in Christo filii. Neapoli die Purific

Digitized by Google

B. V. Imm. 1865. (Subscripti 21 AEppi, 61 Eppi, 3 Abbates, 15 Vicarii Capit.)

---

2. Eppi Umbriae Summo Pontifici. Summa animi nostri laetitia literas tuas encyclicas datas die 8 Dec. anni proxime elapsi accepimus, unaque cum ipsis Syllabum propositionum, quas Spiritu S. afflante reprobas, proscribis, et damnas. In tanta enim, quae undique offunditur, delirantium opinionum caligine, inter tot tantasque fraudes, machinationes, insidias, quibus impiissimi veritatis et lucis osores, omnia humana et divina susdeque evertere commoliuntur, profecto a nobis optatum erat, ut vox tua sapientissima iterum sese extolleret, atque errores omnes, qui speciatim hac nostra aetate grassantur, distinctis propositionibus enunciatos proscriberet, ne homines bonae voluntatis deceptionem ab impiorum fraudibus pati ullo modo possent. Hoc dum nobis erat in votis, a te praestitum est, qui ardenti erga Deum et homines caritate inflammatus nihil omittis, quod in Ecclesiae et societatis bonum cedat, ac nullis neque curis neque consiliis, neque laboribus parcis, ut omnes oves pretiosissimo Christi sangvine redemtas a venenatis pascuis arceas, a luporum rapacium insidiis defendas, et ad aeternae salutis portum deducas. Infernus exeutitur, undique impiorum turba, ira et livore tabescens, verba tua sapientissima fallacibus argumentationibus obscurare contendit, et potentes huius seculi illorum propagationem per nos, qui in tuae sollicitudinis partem vocati sumus, impedire conantur, probe intelligentes te ad malae arboris radicem securim misisse, et per verba tua nefanda ethnicorum commenta, quae cath. Ecclesiae, ss. principiis, et doctrinis substitui vellent, prorsus labefactari et prosterni. Sed frustra molitur, quidquid contra Deum et Ecclesiam suam molitur. Et revera ingenti omnium nostrum consolatione perspicimus, vesanam christiani nominis hostium superbiam nihil aliud effecisse, nisi maiorem, quae unquam excogitari potuisset verbis tuis propagationem donare, ac super ea attentionem omnium vocando altius in fidelium cordibus ipsamet defigere. Eppi vero omnes, tibi et isti S. Ap. Sedi

firmiter coniuncti, potentium minas divina ope freti nil penitus pertimescentes propriam vocem extollere non dubitarunt, unanimiter declarantes, obtemperandum esse potius Deo quam hominibus. Interea dum de hoc S. Ecclesiae praeclarissimo et in dies percrebescente triumpho in Domino gloriamur, iterum atque iterum declarare nobis iucundum est, nos Tibi tamquam Capiti membra vinculo arctissimo coniungi, nos tecum in omnibus consentire, nos verba tua humillima reverentia excipere, iisque plenum assensum praestare. Hinc propositiones omnes pestiferas, quas in Syllabo ad nos misso iure merito proscribis et damnas, nos pariter damnamus, proscribimus, reiicimus, et detestamur, et in eam spem erigimur, fore, ut infelices illi, qui in viam perditionis abierunt, ad rectum salutis tramitem revertantur, et coelestibus thesauris, quos omnibus apostolica liberalitate reserasti, vera fide et sincera animi resipiscentia fruantur. Hoc enixis precibus implorare a Deo totius consolationis et bonitatis fonte numquam cessabimus, et deprecatricem apud eum adhibebimus SS. Deiparam V. Mariam ab origine Immaculatam, a qua sicut tu, Beatissime Pater, ita et nos pacem mundi, et plenum Ecclesiae triumphum omni fiducia expectamus. Unde, Pater Sancte, Beatissima Virgo originalis labis nescia a te decem abhinc annis dogmatica definitione huius insignis privilegii condecorata, in cuius anniversaria decennali recordatione Encyclicam et Syllabum promulgasti, et indulgentiarum thesauros in forma Iubilaei aperuisti, illa Virgo, quam tu usque ab initio gloriosissimi Pontificatus tui dulcissimam Matrem, mediatricem, advocatam, et spem fidissimam appellabas, illa Virgo, quae in hac nostra Umbriae provincia thronum misericordiae suae erigere sub titulo ‚Auxilium Christianorum' est dignata, tuis nostrisque votis quam citissime obsecundabit, haereses aetatis nostrae cunctas interimet, et dirum draconis caput iterum confringet. Dum hoc ex toto corde exoptamus, ad tuos ss. pedes provoluti te obsecramus, Beatissime Pater, ut apostolica ac paterna benedictio tua super nos et super fideles nostrae curae commissos large et copiose descendat. — Spoleti in die festo Purif. B. M. V. 1865. (Subscripti 1 AEppus et 7 Eppi, item 1 Vic. Cap.):

Digitized by Google

3. Eppi Marcarum et Umbriae Summo Pontifici. Divino prorsus consilio factum est, Beatissime Pater, ut Encyclicas literas die 8 praeteriti Decembris datas, eisque adiunctum improbatorum errorum Syllabum ad nos amantissime mitteres, quae omnia summo obsequio ac reverentia, ut par erat, accepimus. Quum enim perditi homines, qui libertatem iactitant, dum ipsi miserrime vitiis quibuscunque inserviunt, civilem christianamque rempublicam tum factis tum scriptis susque deque vertere conantur, id profecto sapientissimum ac opportunissimum fuit, eorum prava impiaque commenta retegere ac profligare. Nemo est qui non videat, quot quibusque malis affligimur, ac pene obruimur, eaque ex falsis potissimum opinionum sententiis originem ducere cuique cogitanti manifestum est. Corruptissimi undique mores nedum nullis cohibentur impedimentis, verum etiam ut magis magisque in dies ruant in peius, incitamenta quaelibet nanciscuntur. Pessimorum librorum colluvies, turpissimarum imaginum copia, obscoena spectacula, ephemerides effroenae, quae nihil est sanctum, nihil venerandum, quod non probris, irrisione, contumeliis afficiant, passim circumferuntur, atque imperitorum iuvenumque animos veluti quotidiano veneno imbibunt. Quumque nefariis hominibus minime obsistatur, ne in conventicula se recipiant, ac dicteria et blasphemias etiam publice palamque effutiant, religiosae utriusque sexus familiae e sacris domibus exturbantur, expoliantur bonis omnibus ac ludibrio habentur. Quin et Ecclesiae iura quaecunque pessumdata; sacri eiusdem ministri modis omnibus divexati exiliis, carceribus mancipantur; christiana templa seu deleta, seu in profanos usus conversa; ecclesiastica bona, quae sunt patrimonium pauperum, pretia peccatorum, ablata, divendita; atque incredibili amentia obstacula comparata, ne fideles, si fieri posset, spiritualibus quoque indulgentiarum lucris fruerentur. Refugit animus, Beatissime Pater, singula persequi, quae in Ecclesiae Christi detrimentum ac perniciem infensissimi hostes excogitant, moliuntur. Profecto de hac miserrima aetate nostra dici potest, quod S. Leo M. de ethnica Roma, ubi diligentissima superstitione habebat collectum quidquid usque fuerat vanis erroribus institutum. Etenim fallaciae o-

Digitized by Google

mnes, quae anteactis temporibus prodierunt, modo quasi in unum coalescere videntur, adiecta hypocrisi. Hinc passim evenit, ut bonum malum, et malum bonum dicatur, et simplicium atque adolescentium mentes, quod maxime dolendum est, facillime pessimis doctrinis in transversum agantur; hinc progenies vitiosior effingitur. Itaque firmitatis ac sapientiae tuae Beatissime Pater, hoc fuit, ut tu nihil pertimescens improborum obtrectationes, iniurias, contumelias, Beati Petri vestigiis insistens, sylvam hanc frementium bestiarum ac turbulentissimum profunditatis oceanum constanter ingredereris. Scilicet hoc quoque aevo conculcandae philosophiae opiniones, dissolvendae terrenae sapientiae vanitates, omnium sacrilegiorum impietas destruenda. Quod autem vere securim radicibus arboris funestissimae ac digitum turpissimo vulneri misisses, potissimum liquet ex clamoribus, conviciis, vituperationibus, quibus providentissima tua monumenta scelesti homines cumularunt. At tanta est veritatis vis ac claritas, ut hi quoque viri, qui a catholica communione infeliciter seiunguntur, te summis laudibus prosecuti sint, et Syllabum quasi civili societati beneficium tributum acceperint. Nos ergo Beatitudini tuae arctissimis unitatis, obedientiae et devotionis vinculis indissolubiliter obstricti, quae reprobas reprobamus, condemnamus quae condemnas, quae doces firmiter tenemus, eaque gregibus curae nostrae commissis fideliter inculcamus. Tu enim Princeps Magister fidei morumque, tu maximus Doctor Ecclesiae Catholicae, cuius es Caput, tu beati Petri successor, cui datum a Christo Domino fratres tuos confirmare. Sic te Deus O. M. sospit et ac tueatur Ecclesiae civilisque societatis bono et felicitati. Sic te Beatissima Virgo sine labe concepta, cuius solemni die nova haec sapientiae tuae documenta in lucem prodiere, patrocinio suo roboret ac defendat, et te duce ac magistro cunctas haereses interficiat. Haec ferventissimis votis urgebimus etiam ob grati animi significationem, quum preces ac pia opera peragemus ad plenariam indulgentiam consequendam adinstar Iubilaei, quam encyclicis ipsis literis concessisti. Denique tum nobis, tum clero et populo dioecesium nostrarum apost. benedictionem, quam enixe

Digitized by Google

humiliterque petimus, clementer impertiaris. Die festo Purific. B. V. M. 1865. (Subscripti 19 Praesules, et 11 Vicarii Capit.)

---

4. Eppi Hetruriae Summo Pontifici. Ne impii ignorantiam simulent, nos a Spiritu S. atque a Beatitudine tua positi has oves nostras regere, omnium rerum nobis dilectissimas, solemniter declaramus; errores, quos Tu, Sanctissime Pater, damnasti, et nos damnamus: novas doctrinas Deo Ecclesiae, ac societati infensas, iniustas, mendaces, libertati, qua Christus nos donavit, inimicas, iura sanctissima adgredientes, omnia profanantes, sordideque turpantes, detestamur et reiicimus; sacrilegia, iniurias, rapinas, infandaque omnia contra Christi sponsam et istam Apost. Sedem verbis operibusque patrata reprobamus et damnamus. Haec fidei nostrae confessio, sed nedum nostrae, imo etiam fidelium nobis concreditorum, qui ipsi veritatis cathedrae obsequentes, semper et toto corde eam venerantur. O! vere nunc tempora illachrymanda! Eppi auctoritate destituti, sacerdotes in vincula coniecti, sacrae virgines a suis penetralibus avulsae, monachi e coenobio pulsi, sacramentum magnum probrose foedatum, Ecclesiae bona direpta; ubique mendacia, ubique humanae divinaeque auctoritatis despectus, ubique effroenatae turpitudines, ubique intoleranda superbia. Ecquis enim e tam foedo horribilique barathro christianam societatem tandem cripiet? Tu, Pater sancte, divino, quo donatus es, magisterio. Tu, qui Christi es Vicarius in terris; qui turbinem ab inferis suscitatum, omniaque iam miscentem impavido cernis animo qui aemulator existis invictissimorum Pontificum Bonifacii VIII, et Gregorii VII; Tu es spes nostra. Nos in Deo confidimus, et in Te. Perge igitur, precamur, falsas et perniciosas profligare theorias, quae despumantes in Deum superbiam, eius revelationem pessumdant, populisque specie libertatis illudentes eos crudeliter opprimunt atque miserrime perdunt; perge oves agnosque pane veritatis pascere et aqua potare sapientiae coelestis; quia tu es magister sanae doctrinae, tu unitatis centrum, tu Ecclesiae Iesu Christi petra et fundamentum. Pedibus tuis advoluti humiliter petimus, ut nobis fideli-

Digitized by Google

busque curae nostrae commissis apostolicam benedictionem impertire digneris, quae dolores nostros mulceat, infirmitatem erigat, labores foecundet, atque Ecclesiae Dei res secundas imploret ac festinet. Mense Februario 1865. (Subscripti: 4 AEppi, 11 Eppi, et 8 Capitulares Vicarii.)

---

5. Eppi provinciae Mutinensis Summo Pontifici.— Ineffabilem ex tua proxima Epistola Encyclica Syllaboque adnexo cepimus laetitiam, cuius quidem participes iam sunt omnes, quibus ecclesiasticae et ipsius civilis societatis bonum est cordi. Quis enim cum videat tot ac tanta errorum monstra, quibus impietas non modo ss. religionis nostrae dogmata, sed etiam omnem recti honestique rationem conatur subvertere, non iure ac mirandum in modum laetetur, audiens ad hanc perniciem pestemque humani generis depellendam vocem attolli ab eo, quem firmiter credit successorem beati Petri principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et Christianorum Patrem et Doctorem existere? Nemo profecto ignorat, te, Beatissime Pater, speculatorem pro domo Israel constitutum numquam muneri tuo defuisse; imo vero maxima te admirabili vigilantia, fortitudine invicta, et coelesti sapientia partes officii tui semper implevisse praedicant omnes, et divinitus factum fuisse animadvertunt, ut hoc tam feraci errorum ac iniuriarum seculo tam assiduus et acer veritatis iustitiaeque assertor Summus Pontifex inveniretur. Attamen tanta est impiorum et facinorosorum hominum nequitia, ut ex una parte suas falsas ac perversas opiniones, Ap. Sedis iudicio identidem reprobatas, pervicaciter retineant ac tueantur, ex altera vero quo facilius incautos decipiant reprobationis elevare fidem ac labefactare per impudentissima studeant mendacia, novosque praeterea errores, qui implicite et abscondite in reprobatis iam continebantur, expediant et proponant in publicum. Nihil igitur optatius, nihil opportunius poterat accidere, quam tua catholica epistola et syllabus; hoc enim omnes praecipui aetatis nostrae errores, qui a Beatitudine tua fuerant subinde notati et proscripti, in unum coacti exhibentur, et in lucem totius

Digitized by Google

orbis iterum proferuntur, illa vero alii, qui ex iisdem erroribus veluti ex fontibus deducti novissime fuerunt, ante oculos omnium ponuntur et apostolica auctoritate reprobantur, proscribuntur atque damnantur. Itaque illi catholicae Ecclesiae filii bonae voluntatis et simplicis cordis, qui in praesenti rerum omnium perturbatione et mendaciorum colluvie poterant in fraudem adduci, seu quia parum conscii vel etiam immemores superiorum damnationum essent, seu quia recentiorum errorum nondum apostolica sententia damnatorum turpitudinem et venenum non penitus perspicerent pleneque cognoscerent, nunc tua voce admoniti cavebunt laqueos, et praescientes se custodient, ne insipientium errore traducti excidant a propria firmitate. Fremunt quidem et frement, qui resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus. Imo expectamus tempus (idque ut Deus Pater misericordiarum, Deus totius consolationis mature adducat, impense precamur) quo non pauci animorum aestu sedato et restincta novarum rerum cupiditate paulatim resipiscant, et agnita deliramentorum suorum stultitia, tuam sapientiam, fortitudinem, constantiam mirabuntur, qui unus omni humano auxilio destitutus, et cunctis seculi insanientis viribus obsistentibus non solum divinam Ecclesiae doctrinam sed etiam naturalem legem omnium cordibus impressam a pestilentia errorum vindicasti, ipsamque societatem civilem ab efferata, in quam ruebat, barbarie revocasti. ‚Quis autem, patere B. P. ut iure ac merito apud te iisdem verbis utamur, quibus praedecessorem tuum Leonem M. Antistites Galliarum alloquebantur, nihil enim aptius et gravius ad animi nostri sensus significandos, — quis, inquimus, apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quo totum mundum, velut quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, dignas aestimet gratias posse persolvi? Doctrinae post Deum vestrae debet fidelis, ut constanter teneat quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, et apostolicae institutionis luce perfusus erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur et credat quod per os vestrum D. N. I. C. docet, quam id tenear, quod diabolus, humanae salutis et veritatis inimicus instillat.‘ Nos igi-

Digitized by Google

tur Petri cathedrae ex intimo cordis affectu adhaerentes, non modo quas tu B. P. errorum pestes damnas, proscribis, reprobas, et nos damnamus, proscribimus, reprobamus; sed pro muneris quoque nostri ratione omne studium omnemque sollicitudinem in id ponemus, ut populi nostrae curae concrediti eosdem errores abhorreant ac detestentur, supremoque tuo indicio qua par est reverentia obsequentes numquam a catholica veritate desciscant. Ast ut necessaria divinae gratiae auxilia obtineamus in tanto salutis animarum periculo, utque Deus tandem tot calamitates, quibus Catholica Ecclesia premitur, ipsaque civilis societas in discrimen adducitur, avertat, providentissimis tuis monitis obsecundantes nos indesinenter fideles cohortabimur, ut una nobiscum enixis precibus et obsecrationibus, adhibito etiam validissimo SS. Virginis ab origine immaculatae patrocinio, divinam opem impensiori in dies studio implorare non cessent. Cumque gratiores efficacioresque apud Deum sint preces, quae a puro corde procedunt, optimo sane consilio paternaque vere benignitate providisti B. P. qui liberaliter reseratis Ecclesiae thesauris, dies salutis et annum remissionis indulsisti, ut omnes a culparum maculis sese emundare properent, sicque fidentius preces ad Deum attollant, et uberiora divinae misericordiae dona consequantur. Quocirca acta Beatitudinis Vestrae nos (liceat ob eandem quam supra diximus causam hic iterum verba ab iisdem Galliarum Eppis mutuare) ‚ante oculos semper habentes, non desinemus Domino ac Deo nostro gratias agere et pariter supplicare; gratulantes quod tantae sanctitatis, tantae fidei, tantaeque doctrinae Apost. Sedi Antistitem dederit: petentes etiam, ut datum concessumque munus Pontificii vestri longissima aetate custodiat. Nos autem etsi impares meritis, pari tamen fide parati sumus, confortante Domino, cum Beatitudine Vestra pro veritate fidei animas nostras ponere, et vitam hanc auctori salutis nostrae et largitori aeternitatis impendere.‘ Nos ad pedes Sanctitatis tuae provoluti eosque humiliter deosculantes apost. bened. pro nobis totoque grege nostro instanter expostulamus. Die 28 Febr. 1865. (Subscripti 1 AEppus, 5 Eppi, 2 Vicarii Capit.)

Digitized by Google

6. Eppus Tarvisinus Summo Pontifici. Encyclica ‚Quanta cura' quam Emin. D. Card. Antonelli iussu Sanctitatis tuae mihi pariter ac ceteris Eppis cum Syllabo errorum ad id usque temporis in glorioso Pontificatus tui decursu damnatorum transmisit, summa perfudit me laetitia. Erigitur revera Catholici Eppi animus, intuens, quomodo S. Apostolica Sedes, cuius doctrinae sunt lucerna pedum suorum, cuius nutus sunt norma suis actibus, dum vehementer circumpulsatur fluctibus, qui inani impetu in ipsam feruntur, immoti speciem praesceferat scopuli, e cuius vertice ea vox attollitur, quae regulas tradit certissimas, unde salus eidem illi paratur societati, cuius nomine acerrimum ipsi Sedi bellum indicere praesumeretur. Veritatem a Te proclamatam perspectam habere satis est; talis enim in ea inest vis, quae ipsos percellit sectarios, quorum prolatae identidem confessiones et cum falsis impiisque doctrinis mala adeo fide traditis illos pugnantes ostendunt, et docent simul eos ad instar daemonum credere ac contremiscere; quod sin minus cheu! ad ipsorum salutem confert, mirabiliter tamen fidei triumpho inservit. Videris iam ab aeterno, Beatissime Pater, ad id Providentia Divina praeordinatus, ut genuinam afferres gravissimis veritatibus lucem, quae etiamsi deposito fidei includebantur, attamen non eo omni ex parte splendore fulgebant, ut quibusdam insano consilio deceptis, qui eisdem perinde ac Verbo Dei infallibili non obsequebantur, nulla sese excusandi ratio superesset. Tu assignata Tibi a Providentia provincia praeclare perfunctus es, illius divinae sapientiae lumine illustratus, qua Te Spiritus S. perfundit; Tu opportunum nactus es tempus. Opportunum dixi: nonne enim veritas tum opportune promulganda est, cum acrius ei movetur bellum? vel cum multorum pavor obviam sternit viam audacibus ad suas hac illac erroneas disseminandas doctrinas? aut cum impietas de triumpho sibi plaudendum existimat, aut humanis praesidiis subtractis illud elingve os reddere praesumit, quod sectariorum sceleratas fraudes tamdiu evertere valebit, quamdiu e Vaticana Sede liberam attollat vocem? Quantum in me fuit, documenta Apostolica mihi transmissa celeriter evulganda sategi, Beatissime Pater; literas vero pastorales meo gregi

Digitized by Google

tune datas Tibi subiicio, eum utique in finem, ut tali etiam obsequio meas in errores a Te damnatos animadversiones, nisi Tuae respondeant menti, nulli faciendas declarem. — Tarvisii die 2 Martii 1865.

---

7. Ripanense Capitulum nomine sui Praesulis Summo Pontifici. Lamentabilium eventuum hactenus completorum, et qui in dies complentur, primam originem perscrutanti facile patet, ut iam patuit Beatitudini tuae, a falsis theoriis quaquaversus grassantibus illam esse derivandam. Intellectum quippe voluntati facem praeferre, et ad quam optionis partem inflecti debeat innuere nemo est quem lateat. Hinc fit, quod si intellectus rite iudicet, voluntas rectum velit, si falsa iudicia intellectus proferat, deliberationes malae a voluntate procedant. At non minus in comperto est, humanae mentis aciem undequaque limitibus circumscribi, ac diversarum opinionum fluctibus agitari, quin saepe pervideat, ubi sita sit veritas, in qua tuto quiescat, et quam sententiam sequi fas sit, et quam amplecti nefas. Atque hoc maxime locum habet, cum theses in adversa abeuntes magno animorum aestu defenduntur, et eae, quae veritati contradicunt, veritatis specie exornantur, omnique sophismatum genere bonarum ratiocinationum faciem aliquando mentientium vaferrime propugnantur. Quae cum ita sint, colluctationibus numquam desituris discerperemur, ac tot pene extarent sententiae, quot capita, cum inaestimabili civilis convictus, religionis ac moralitatis detrimento, nisi post supernaturalem revelationem a Deo benigne concessam adesset aliquis, qui ab ipso Deo infallibilitatis praerogativa donatus, eiusdemque revelationis interpres, et veritatis assertor ac vindex constitutus quaestiones passim pullulantes definiret et falsa dogmata profligaret. Si huiuscemodi auctoritatis inappellabiliter definientis necessitas continuo apparuit, ea nunc temporis meridiana luce manifestior claresceit, cum innumeri insurgunt errores, seu novi mox primitus prodeuntes seu veteres novella veste induti, qui tum voce tum scripto tum privatim tum publice tum aperte tum callide multifariam multisque modis in-

Digitized by Google

sinuantur, omniumque mentium, si fieri possit, dominationem adipiscendi conatum adhibent. Tu, Beatissime Pater, ad quem catholicorum oculi prospiciunt, cui est commissum officium docendi omnes gentes, et qui fundamentum cum sis et columna veritatis, confirmare debes fratres tuos, et agnos atque oves pascere, errorum serpentium catervam intuitus, eos distinctis lucidisque formulis traditos solemniter reprobasti, ut decepti resipiscant, et qui Dei opitulante gratia doctrinam sanam et irreprehensibilem adhuc sectantur, ab insidiis et laqueis omnino caveant. Encyclicae divinam sapientiam spiranti datae die 8 Dec. anni proxime elapsi, adnexoque Syllabo unanimi consensu sacrorum Antistites plauserunt, atque una cum ceteris plausit etiam ille, qui diutina infirmitate laborans, quam evanituram speramus, in dioecesi ad proximas oras Adriacas moratur, nobiscum licet absens coniunctissimus, quique hanc Ripanam Ecclesiam sedulo prudenterque administrans utrumque documentum hic typis impressum ad nos misit et ab animarum pastoribus evulgari iussit. Venerabili Epporum coetui se uniunt quotquot extant vere catholici, imo etiam plurimi, qui quamvis extra catholicam communionem reperiantur, tamen adeo sana mente perfruuntur, ut perspicere valeant, qua falsitate turpentur propositiones a Sanctitate tua reprobatae, quantamque perniciem sint allaturae, si profundiores radices agant. His omnibus nos quoque, qui veritatem sincere colimus ac tua sapientissima placita reveremur, comites ex animo nectimur, tam Encyclicam quam Syllabum summis laudibus celebrantes; eoque libentius id facimus, quo impudentius increduli vesanique homines hunc et illam despiciunt atque execrantur. Interea ad pedes, quos osculamur, humillime provoluti apost. benedictionem velut pignus coelestium favorum, quibus summopere egemus, instanter efflagitamus. Ripaetransonis die 25 Mart. 1865.

---

8. **Eppi Iaurinensis Pastoralis ad Clerum.** Adversarii, qui hodie in exitium religionis et Ecclesiae christianae coniuraverunt, non iam ut aetate superiore, occulte et per cuniculos sed palam et aperta fronte rem agunt.

Digitized by Google

Multitudine sodalium freti, audacia insolentes, protectione securi, id sibi esse propositum aiunt, ut sublato illaetabili, qualis in praesentiarum est, rerum ordine, novus stabiliatur, qui libertati, aequalitati, atque fraternitati, prout nimirum ipsi has voces intelligi volunt, innixus, maximam, cuius mortales capaces sunt, felicitatem terrenam, ad quam alioquin nascendo quisque ius nactus est, procuret; quod quum sine violenta rerum conversione, seu, ut vocant, revolutione obtineri nequeat, hanc ciere, propagare, et correptis etiam armis fulcire officium esse cuiusvis. Mirum, quam improbo labore nefandum hoc consilium exsequi connitantur. Nullum est medium tam indignum ac dedecorosum, nullum facinus tam immane, quod, ut finem consequantur, adhibendum non putent. Homines corrupti mente et reprobi circa fidem, qui quaecumque quidem ignorant, blasphemant; quaecumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpantur, stipendiis occultarum societatum servientes, operosa sedulitate stringunt calamos, ut quicquid sanctum ac verendum est, in coenum detrahant; omnem auctoritatem invidiae ac contemtui populari obiiciant; pravis cupiditatibus lupata laxent facesque subiiciant. In ephemeridibus, quas ut opinionis publicae interpretes venditant, quarumve potiorem ad se partem pertraxerunt, eiusmodi propinant principia, quibus, si ea universim adoptari contingeret, non modo divina humanaque misceri, sed ipsam legem aeternam, quam vel prisci gentiles, velut a Deo profectam, omnis recti honestique normam suspexerunt, obliterari, omnemque nexum, quo societatem humanam natura colligatam voluit, penitus dissolvi foret necesse. In libris, quos vulgo certatim obtrudunt, quaesito verborum lenocinio doctrinas insinuant, quae ingenia falsis imbuant ideis, et fidem pietatemque ex animis evellant. Paucis, ut phrasi utamur Tertulliani: „Nihil interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent.“ Quum autem probe conscii sint, incolumi Ecclesia catholica et Cathedra Petri omnes id genus conatus in cassum recidere: tota virium contentione in id incumbunt, utramque ut subruant funditusque evertant. Quare phreneticо perciti furore in Ecclesiam debacchantur, et quicquid ad eius essen-

Digitized by Google

tiam vitamque pertinet: disciplinam, cultum, iuventutis institutionem, intercipere, aut saltem impedire ac infructuosum reddere satagunt. Catholicismum, ceu ultimum quod superest aevi medii vestigium, abolendum, et ministros eius proscribendos vociferantur; ut iure cum S. Gregorio M. dici queat: „Contra Ecclesiam publice de iniquorum cordibus omne serpentinum virus aperitur.“ Praecipue vero sanctam Sedem Apostolicam, in qua velut centro unitatis universa colligitur Ecclesia catholica, admotis omnibus arietibus prosternere contendunt, nihilque omnino est, quod in illam moliri nefas ducant. Ditiones pontificias invadere et sacrilega manu occupare, ipsum Pontificem ad incitas redigere, minis terrere, utque loco cedat, et abdicato temporali dominio, independentiae ad recte administrandam Ecclesiam necessariae nuntium mittat, stolida importunitate urgere; quodve merito mirere, haec inspectante Europa catholica impune fiunt, imo non desunt principes, qui icto cum revolutione foedere, socias cum illa in opprimendo Christi Vicario iungant dexteras, maiorem inde solii firmitatem, et dominationis incrementum sibi pollicentes.

Tot inter fluctus tempestatesque sonoras, Sanctissimus Pontifex Pius IX. non queritur de iniuriis, quibus lacessitur, non de patrimonii exspoliatione, non de acerbitate doloris, quo paternus eius animus exulceratur: verum proiecta in sinum Providentiae divinae omni futurorum eventuum sollicitudine, solumque de periclitante gregis sibi crediti salute trepidus, inter circumstrepentes hostiles assultus, tranquilla maiestate vocem attollit: et datis ad totius orbis catholici sacrorum Antistites literis encyclicis, errores miserae huius aetatis, quos iam antea singillatim censura notaverat, nunc velut sub unum collectos obtutum sistit, sapientiae zeloque Praesulum relinquens, ut pro re nata, et pro locorum temporumque adiunctis populum curae suae commissum contra recensitos errores praemuniant, et quantum ea opinionum deliramenta fidei divinae non minus quam rectae rationi obluctentur, sedulo edoceant, moneantque, ne per homines superba vanitatis loquentes et libertatem promittentes, in fraudem se induci patiantur. — Sublime sane spectaculum, Deo et Angelis dignum! In communi vertigine et perturbatione spirituum, silen-

Digitized by Google

tibus ac otiosis iis, quorum maxime interesset impendens propulsare discrimen, solus Pontifex, aetate fessus, inermis, adversitatibus obrutus, monitor surgit, et designatis quae falsi nominis scientia extudit commentis, ea cum veritate aeterna non posse componi, omni cum auctoritatis pondere pronunciat; quod dum facit, simul indirecte morbos, queis societas civilis laborat, retegit, et ad desiderandam adhibendamque medelam tacitus hortatur. Id enimvero est, quod encyclicae de 8 Decembris summum momentum, et Pio IX. immortalis gloriae fulgorem conciliat, nulla umquam vetustate delendum. . . . . Diximus paulo ante Pontificem inermem; at liceat vocabulum hoc retractare, aut saltem temperare. Sunt namque etiam Pio IX. arma, non quidem carnalia, sed potentia Deo: id est arma, non quibus homines carnales et politici utuntur, uti sunt: opes, astutia, simulatio; sed per Deum et virtute Dei valida ad destruendas munitiones (errorum), consilia, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.

Atque hoc ipsum est, quod liberales, ut dici amant, vehementius perculit. Somniabant illi Summum Pontificatum senio effoetum, iamiam tumulo inferendum. Dum igitur verbis Pontificis, quibus ipsorum principia et molitiones propalantur reprobanturque, tantum inesse vigoris ac energiae virilis advertunt, ut ea per totum qua late patet orbem terrarum personent; dum advertunt innumeros ubique gentium et locorum verbis illis reverenter assurgere, et morem alacriter gerere: inexspectato hoc phoenomeno attoniti fremunt, et alii encyclicam frivolis commentariis aut cavillationibus persequuntur, alii veteres naenias fabulasque recantant. „Sed inceptus clamor frustratur hiantes.“ Milliones namque catholicorum fidelium, quorum tessera est: „Ubi Petrus, ibi Ecclesia,“ audita summi Pastoris et Magistri voce, eam prona excipiunt docilitate, totoque mentis assensu amplectuntur. Reprobatas ab illo doctrinas, tamquam a veritate alienas, et ipsi reprobant detestanturque; persuasum quippe habent, summam de rebus fidei decernendi, et veritatem salutarem docendi auctoritatem penes Romanum esse Pontificem, qui in beato Petro divina ordinatione constitutus sit fundamentum et caput Ecclesiae, ad conspicuam eiusdem Ecclesiae unitatem tum

Digitized by Google

exhibendam, tum efficiendam; cui proinde adhaerere omnes debeant, ni circumferri velint omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris; atque inde intelligunt, piaculum fore eius refragari sententiae, „cuius terrestre iudicium, praeiudicata auctoritas sit in coelo.“ Milliones item catholicorum gratulantes applaudunt Pio IX., eique intimiore caritatis et pietatis affectu devinciuntur, quod demandato sibi per Christum fratres confirmandi officio, inter difficillima rei catholicae et Sedis Apostolicae adiuncta, tam praeclare perfunctus fuerit. Milliones denique catholicorum exsultantibus animis grates Deo Optimo Maximo dependunt, quod eius beneficio membra sint Ecclesiae, quae divino tuta praesidio, nullis obscuratur erroribus, nullis succumbit periculis; licet enim oppugnata haeresibus, vexata persecutionibus, ab ipsis adeo infernae potestatis heroibus impetita, non modo semper illaesa persistit; sed ex omnibus adversitatum procellis vegetior quoque atque illustrior emergit; ut eleganter S. Ioannes Chrysostomus declarat: „Non cessat Ecclesia oppugnari et vincere; insidiis impeti, et superare insidias. Quanto magis alii insidiantur, tanto magis illa augetur; fluctus dissipantur, et petra stat immobilis . . . Verbum Dei est: inconcussa est Ecclesia. Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Qui impugnat illam, se ipsum profligat ipsamque fortiorem ostendit; qui impugnat illam, vires suas deiicit, nostrumque trophaeum reddit illustrius.“

Ecquid ergo causae est, quod liberales Pontificis encyclicam tam indignanter accipiant? An eam vulgando, novum quiddam et hactenus inauditum molitus est Pontifex? Atenim non aliud egit, quam quod inde a principio semper in Ecclesia factum fuisse constat; ut scilicet, quoties doctrina nova in deposito fidei non contenta, aut eidem opposita caput extulisset, ea ad Sedem Apostolicam, tamquam supremum controversiarum fidei iudicem examinanda proscribendaque deferretur, proscripta vero universitati fidelium publicaretur, ut sic omnibus innotesceret, cavendum sibi ab eiusmodi doctrina esse, siquidem fidem orthodoxam sartam tectamque vellent servare. Accedit, in syllabo, dictae encyclicae annexo, ne unam quidem occurrere propositionem, quae iam prius sive

Digitized by Google

in allocutionibus, sive in encyclicis aliis confixa non fuisset; ut adeo nihil plane novi nunc statuatur, sed recapitulentur dumtaxat alibi et alias fusius pertractata atque reiecta. Quod a Summis Pontificibus toties, quoties salus fidelium deposcebat, factum fuisse Historia comprobat. Vel cui ignotae sunt Pontificum Martini V. Leonis X. S. Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Innocentii XI. Alexandri VIII. Innocentii XII. Clementis XI. Benedicti XIV. Pii VI. contra sui temporis errores directae Constitutiones? — An Pontifex egressus auctoritatis suae terminos, usurpati iuris alieni reum se fecit? Sed quis hoc asserere ausit? Dum enim Pontifex elenchum texit errorum, de quibus merito ambigas, sintne civitati an religioni et Ecclesiae magis infesti ac perniciosi; qua communis christianorum Pater laqueos indigitat, qui eorum fidei et saluti tenduntur, quos proin, si sapiant, vitare oporteat. De iis vero quae ad sphaeram pertinent potestatis civilis, nihil plane decernit, nisi quod doctrinas nonnullas politicas, quae aut ex principiis irreligiosis sunt deductae, aut ad evertendam omnem religionem et moralitatem tendunt, perstringat: quod quidem ab eius potestate alienum esse, nemo prudens dixerit; nam ut recte observat Melchior Canus: „Tantam habet summus a Christo institutus Pontifex in Ecclesia auctoritatem, quanta ad continendos christianae reipublicae cives in fide, religione, officio est necessaria.“ — Neque ius cuiusvis personale, indagandae cognoscendaeque veritatis, ullo modo laesisse censendus est; imo dum devia monstrat, quae a veritate abducunt, negotium huius cognoscendae insigniter adiuvat. Non enim rationis humanae in illustrandis provehendisque notionibus religiosis, nedum in scientiis naturalibus industriam; sed eius solum in rebus etiam divinis omnem auctoritatem superbe fastidientis intemperantiam vult coercitam. Et profecto ea, quae per revelationem divinam certa sunt et explorata, indagatione non indigent: dum ergo haec pio fidei obsequio, ut par est, credantur, in aliis omnibus amplissima relicta est ingeniis sese exercitandi libertas; unde apposite Tertullianus: „Unius, inquit, et certi instituti, infinita inquisitio non potest esse . . . Omnem prolationem quaerendi et inveniendi, credendo fixisti; hunc tibi

Digitized by Google

modum statuit fructus ipse quaerendi: hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec quaerere .... Regula a Christo instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt, et quae haereticos faciunt. Ceterum manente forma eius in suo ordine, quantumlibet quaeras et tractes, et omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari.“ Non itaque est, cur adversarii ob vulgatam encyclicam Pontifici succenseant. — Quodsi eo non obstante magistratus alicubi litteras pontificias ab Episcopis publicari vetent, concessa incredulis ephemeridum scriptoribus easdem cavillandi licentia, id consentaneum omnino arbitramur spiritui illi, qui passim libellos blasphemiis in Christum eiusque sanctissimam religionem infames palam ac libere distrahi patitur: ex adverso quae ad eos confutandos, vindicandamque religionis dignitatem lucubrantur, praetextis, nescio quibus in ecclesiasticae libertatis praeiudicium confectis organicis articulis, aut simulato turbandae tranquillitatis publicae metu, interdicto gravat, et ne vulgentur, omni qua potest ratione impedit; quod quidem turpissimum est despotismi genus. Occurrunt heic viri ab eloquentia clarissimi verba: „Quamdiu vel una superstes est anima iusta, quae impavide quod sentit proloqui audeat, despotismus inquietus est; agitatur namque suspicione, aeternitatem in caput ipsius conspirare.“

Ceterum sanctissimus Pater encyclicam, quam mox daturi sumus, concludens, ad excitandam fidelium pietatem, Deique misericordiam calamitosis hisce temporibus efficacius impetrandam, Indulgentiam plenariam in forma Iubilaei apostolica liberalitate concedit. Qua de re dum mentem nostram propius expromere, et quae opportuna videbuntur disponere, in aliud tempus differimus: illud hac occasione praetermittere non possumus, quin advertamus, sapienti plane consilio a Pontifice urgentibus gravibusque aevi nostri indigentiis prospectum fuisse. Experientia certum est, axiomata fidei moribusque pestifera, omneque genus errorum plerumque non tam ex intellectu, quam ex corde scaturire. Animus sceleris purus, et virtutis honestatisque studio deditus, ultro ac lubens veritatem

admittit: at passionibus in transversum actus, et cupiditatibus fascinatus, veritatem sibi molestam repellit, praecepsque ruit in errores, quibus splendorem illius offuscet, seque contra illam tueatur; sua nempe interest, ut, quae divina docet, praecipit, minatur religio, credere abnuat, eisque sua opponat sophismata. Pius IX. itaque una ex parte, dum falsis dogmatibus, quae luis instar late hodie grassantur, personam detrahit, eaque respuere monet: intellectum a contagione retrahit; altera ex parte, dum ad expiationem conscientiae, et ferventiorem in Deum pietatem hortatur: cor animumque ad sanitatem revocat, atque ita nobilissimo humanitatis bono egregie consulit.

Nostrum iam est, Venerabiles Fratres et Filii Dilecti, vocem summi Ecclesiae Doctoris, ea qua pios decet discipulos reverentia audire, eique irrestrictum praestare obsequium. „Roma locuta est causa finita; utinam et error finiatur.“ Unde nemo sibi integrum existimet, propositiones in syllabo per Summum Pontificem vulgato notatas, inconsulta levitate defendere. Irrefragabili sanctae Sedis Apostolicae oraculo illae reprobatae, proscriptae, damnatae sunt. Quisquis proinde in animum induceret illis adhuc suffragari, is unitatem laederet corporis Christi, quod est Ecclesia, eiusque se faceret exsortem. Quam se dignum commiseratione praeberet sacerdos, qui gradus et officii sui immemor, cum hostibus Sedis Apostolicae, qui iidem infensissimi sunt nominis christiano catholici hostes, eborum ducere, et in eorum concedere sententiam non vereretur. Summa auctoritas, quam divinus Salvator Petro contulit, dum ei suas in terris vices obeundas demandavit, haud exolevit, neque lapsu saeculorum deminuta est. Eadem illa hodie in Pio IX. est, quae fuit in Petro, quemadmodum id Philippus Sedis romanae legatus in Synodo Ephesina, annuentibus Patribus solemniter declaravit in haec verba: „Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, princeps et caput Apostolorum, fidei columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo . . . claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet.“

Quare nostrarum esse partium putemus, impias insanientis hodiernae sapientiae doctrinas omni vocis ac laterum contentione debellare, et fideles, quorum animas supremus Pastor aliquando de manibus nostris requisiturus est, contra eas tutos praestare. — Interim „levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos,“ supplicesque exoremus Patrem luminum et misericordiarum, ut Ecclesiae suae tot fluctibus iactatae, ope sua, uti pollicitus est, adesse, eique respirium a tribulatione malorum et dolore concedere, atque optatam reddere dignetur tranquillitatem. Pii IX. vero, Parentis amantissimi ac desideratissimi invictam in perferendis adversis constantiam, apostolicum in profligandis erroribus zelum, intrepidam in asserendis vindicandisque Ecclesiae catholicae et Sedis Apostolicae iuribus fortitudinem, grata prosequamur mente; atque in tesseram gratitudinis pro exantlatis in commodum et salutem gregis dominici laboribus, „preces ei rependamus, quam unam gratiam iis, qui bene de nobis merentur, referre possumus.“ Concludimus cum S. Petro: „Vos igitur fratres praescientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis.“ Datum Iaurini die Conversioni S. Pauli sacra, 25 Ianuarii 1865.

---

9. Eppi Weszprimiensis Pastoralis ad Clerum. Ordinatione divina viguit semper in Ecclesia catholica, ut ad auctoritatem Romanae Ecclesiae referrentur laesiones fidei et omnes iniuriae Christi, patrum probra et contemptus, praesentium scandala et pericula posterorum, ut optime ibi resarcirentur damna fidei ubi fides nunquam potest sentire defectum. In hunc inter ceteros finem constituit Christus Dominus in persona Principis Apostolorum et successorum eius Sibi his in terris Vicarium, cuius munus prout religione sanctissimum, ac auctoritate et rerum procurandarum amplitudine nullis orbis terrarum limitibus circumscriptum, ita stabilitate contra superbas inferorum portas coelesti praesidio communitum esse voluit, nullis seculorum aetatibus in-

Digitized by Google

teriturum. Divini huius praesidii clarissimum ac continuatum prodigium est mirabilis ea conservatio quae Cathedram S. Petri inter tot seculorum vicissitudines a subiectione temporali non minus quam a contaminatione doctrinae immunem tuebatur; quae superna ac perennis assistentia luculentissimo documento se denuo testatam fecit dum aetate nostra ad supremum Ecclesiae gubernaculum vocavit Summum Pontificem Pium IX, qui qua agendo qua patiendo fortia inclytum reddidit suum Apostolatum. Multa quidem bona opera suoque dignissima Apostolatu ostendit seculo nostro illustris hic Pontifex Maximus, pectore omni fortuna maiore perferendo tam adulationis venenum et hypocrisis malum, quam potentatuum rapinam, sed nulla in corona meritorum eius pretiosior est gemma zelo illo quo se fidei defensorem, doctorem gentium, oculum coecorum, lingvam mutorum, malorum metum, bonorum gloriam, orbis lumen et salem terrae omni opportunitate et in omni tribulatione comprobare nunquam intermittit. Laetatur optimus quisque quod audeat invictissimus Pontifex se pro causa Dei sicut potentissimis hostibus ita fraudulentis adversariis opponere, iustamque eidem laudem et gratiarum actionem tribuit pedibus eius provolutus fidelis orbis quod recentissime periculose non siluerit, non dissimulaverit, non quieverit, potius efferbuerit ut debuit, percusserit sed ut sanet. Quum enim advertisset perversa figmenta et annuas novitates transire maria, transilire alpes, et per omnes provincias et regna deferri, praedicari et libere defendi, ab exordio gloriosi sui Pontificatus pro sua benignitate et nostra utilitate saepe quidem saepius, novissime vero advolutis hisce encyclicis suis ddto 8. Dec. 1864. extulit vocem quam et longinquae gentes et secula futura percipient, quae veritatis vox bonas et candidas penetrabit mentes, efficietque ut „qui esuriebant iustitiam, reficiantur; qui minus, compungantur; qui minime, confundantur.“ (S. Bern. epis. 273.)

Tempori huic maxime hoc utique congruit, idque ipsum exposcit miserabilis dilacerati gregis Dominici afflictio, et civilis societatis inter tot aerumnas fatiscentis clamor ut Beatissimus Pater quosvis errorum assertores impietatis admoneat, proscribatque opiniones temerarias et falsas, quas par-

Digitized by Google

tim olim, partim recentius novaturiendi libido et audiendi levitas procrearunt, et quae per latissimos alveos diluvii adinstar sese usquequaque diffundunt. Praestitit hoc Sanctissimus Papa vulgando adnexum hisce Syllabum in uno exhibentem conspectu praecipuos aetatis nostrae errores, per eundem Summum Pontificem alias iam seorsum damnatos, eo scopo ut ubi necessitas fuit normae sentiendi et agendi, haec summa stabiliatur auctoritate, quo iam non relinquatur locus contentionibus, fluctuantibus sententiis, perplexitati et aliis tristissimis sequelis, quas post se trahunt discordantes opiniones et studia partium.

Nemo Vestrum est qui nesciat dilecti in Christo Filii! fulcris fidei et bonorum morum inniti universam fabricam, in qua populorum residet felicitas, iisque concussis turbini licentiae et cupiditatum furentibus ventis relinqui omnia. Omnes perinde una mecum ingemiscitis hostilem complurium animum universo corpori Christi mortem adeo nunc temporis intentare et omnia sancta ea rabie impetere ut quotidianis assultibus aut resistere fortiter, aut turpiter cedere compellamur.

Homines namque pessimis intentionibus et sodalitiis cohaerentes, qui sempiternarum rerum iacturam ne in animum quidem admittunt, coelestiaque omnia calcant, totam salutis, quae in Christo est, oeconomiam iniquo et implacabili persequuntur odio, atque reiecta divina revelatione fatuos potius hallucinantis humani cerebri igniculos sectantur, et de fermento corruptionis suae fidem evertere et lepra adinventionum suarum incautos inficere connituntur. Dum Summus Pontifex antiquas Materialismi, Pantheismi, Atheismi et Indifferentismi doctrinas, exquisitissimis artibus et fraudibus hodie commendatas et propagatas, quae tam foeda tamque saeva semper post se reliquerunt vestigia, sacro configit iaculo, suspiriis omnium bonorum respondet, et ad exigentiam muneris sui fidem, quam Christus suo nobis sangvine sacravit, pro qua Apostoli et martyres usque ad mortem pugnarunt, quam sancti Doctores duris laboribus defenderunt, in faece nostrorum temporum integram et incorruptam servat.

Ad mali cumulum porro eadem obstinatissima improba voluntate subvertuntur eodem tempore dogmata quoque mo-

Digitized by Google

rum. Praecepta Christi non amplius normae instar inserviunt, sed dominatur caro et sangvis, non alia regula quam voluptas praesens, non alius stimulus quam privatum cuiusque commodum, pro consilio furor, pro ratione impetus; protervo pede conculcantur aeterni illi limites qui bonum a malo, probum ab improbo secernunt; eliminatur e commercio securitas, e thalamo fidelitas, e tribunalibus iustitia, e castris honor, e populorum cordibus submissio et legum reverentia; discordiae et rebellionis spiritus evocatur sonatque tuba seditionis. Ni Apostolica auctoritas sic se extollentes reprimeret, excedentes corrigeret, miseri mortales per virtutis, iuris omnis et aequi ruinam ad omne flagitiorum genus consectandum per avia deviaque raperentur, „iuxtaque esset profecto dies perditionis et adesse festinarent tempora.“ Deuter. 32.

Reliqui Apostolica fortitudine proscripti errores Ecclesiam potissimum respiciunt, et iura eius ac S. Sedis, relationem item Ecclesiae ad civilem societatem, genium praesentis aevi et sic dictum liberalismum hodiernum. Eo enim diriguntur cuncta eorum, qui in exitium rei catholicae conspirarunt, studia ut Ecclesiam catholicam, quae omnis publicae et privatae felicitatis validissimum constituit fundamentum, multiplici eoque salutari, quem in statum civilem exercere debet influxu, ac omni benefica vi ad dirigendas fidelium conscientias privent. Quam flebilem idearum, principiorum ac iurium quae huc spectant perversio in animis hominum operetur stragem, quotidiana loquitur experientia, quae docet id nunc iam agi ut Ecclesia a statu civili penitus seiungatur, ita quidem ut illi de salutifero in leges ferendas influxu, in fidelibus foedere matrimonii copulandis, in tenera iuventute instituenda et educanda ne minimum quidem tribuatur. Demum homines tyrannica freti potestate sub larva libertatis versutissimam et periculosissimam, quae contra Ecclesiam Iesu Christi commoveri umquam posset, abscondunt persecutionem, aptissimam ad eandem confundendam, imo etiam, si fieri posset, destruendam. Liberum namque, teste misera Italia, relinquunt Sacrum Ecclesiae regimen et saluberrimam disciplinam ecclesiasticam, ritus item sacros, ipsa adeo fidei et morum dogmata moliminibus perversissimarum consociationum et ope pessi-

Digitized by Google

marum elucubrationum impugnare, sed iniuriose subtrahunt quidquid ad defendendam sanctissimam rem conduceret; liberam membrorum cum Capite suo communicationem iniquis sanctionibus constringunt, sacros Antistites ac integras religiosas familias insultibus exponunt, sedibus pellunt, sceleribus plenam grassandi licentiam concedunt, et dum fallaci crudelitate vulnera vulneribus infligunt, Romano Pontifici, et qui sub eo causam Dei agunt, pro huius causae aequitate, licet idoneis testibus et tabulis plus quam satis sint instructi, licet lacessentis iniuria et innocentia patientis patula sit, illi qui fideles se mentiuntur ut opportunius fidentibus noceant, nil praeter convicia relinquunt.

Haec sunt fere portenta errorum quae Beatissimus Pater Apostolica quam praessura probat, virtute et libertate damnat, horum errorum contagium ab Ecclesiae finibus arcet; hi sunt iniqui ausus quos pro muneris sui ratione reprehendit. Pupugit multos libertas haec quia quae scelus recondita abstrusaque esse cupit, in lucem protrahit, quae vafro ac versuto designata sunt in mente consilio in patulum ducit; ideirco tumultuosa verborum acerbitate debacchantur, osque eorum maledictione et amaritudine plenum est. Nunc iam foras mittit impudentia quod intus latet in conscientia. Quippe qui oderunt lucem, quia mali sunt, impegerunt in lucem. In viis horum infelicitas est. Quod nos adtinet dilecti in Christo Filii! instet licet adversarius quotidianus die ac nocte, nos sine turbatione versabimur in maximis his turbis, paterna enim Sanctissimi Patris verba, quibus hostium vires enervat, nobis una bene gradiendi viam ostendunt, animisque nostris robur addunt ut irremisso atque adeo multiplicato studio discutiamus ignorantiae tenebras et errorum tempestates, piasque ad coelum adtollamus palmas quo veniat auxilium de montibus sanctis ut Pii IX Pontificis tantae fidei tantaeque puritatis in hac temporum calamitate exantlati pii labores in maiorem Ecclesiae utilitatem et immortalem S. Sedis gloriam cedant. Ceterum ratione celebraudi ad implorandum divinum auxilium Iubilaei tenore pastoralium lingva patria concionatarum congrua dispono. Dominus noster Iesus emittat Spiritum Suum Sanctum ut renovetur

Digitized by Google

facies terrae, Cuius gratia sit cum omnibus Vobis. Amen. Datum Veszprimii,festo Purificationis B. Mariae Virginis 1865.

---

10. Eppi Rosnaviensis Pastoralis ad Clerum. Inter memorabiles anni paulo ante defiui eventus — in quantum hi semet ad praesentem Ecclesiae cath. et reipublicae civilis statum referunt, facile praecipuum locum sibi vindicat encyclica per Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX pontificem maximum ddto 8-ac Decembris a. p. ad cunctos orbis catholici episcopos dimissa eique adnexus 80 thesium syllabus, quibus praecipui nostrae aetatis errores damnantur.

Ecquidem Sanctissimus Pater de commissi sibi gregis dominici salute et de sana doctrina in sua puritate servanda maxime sollicitus ab ipso pontificatus sui exordio numquam destitit partim epistolis encyclicis, partim allocutionibus in consistorio habitis, partim aliis apostolicis literis in vulgus editis, dominantes infaustissimae huius aetatis errores ac falsas doctrinas proscribere et damnare; sed postquam exspumantes exundantis iniquitatis et corruptionis fluctus Ecclesiae catholicae, quin imo ipsi societati humanae maiora in dies pericula minarentur, censuit hac vice istiusmodi errores in uno complexu cum provocatione ad praecedentes encyclicas, allocutiones, et alia scripta apostolica — in quibus de illis proscribendis ex professo agebatur — episcopis transmittere, pastoralem illorum vigilantiam et sollicitudinem excitando, ad pravas et perversas opiniones non solum Ecclesiae cath. eiusque salutari doctrinae ac iuribus, verum etiám legi naturali a Deo omnium hominum cordibus insculptae, rectaeque rationi adversantes, et ipsius civilis societatis fundamenta saccutientes, — quantum in ipsis est — profligandas.

Encyclica haec epistola non est manifestum politicum, quemadmodum illam alii e praeoccupata opinione, alii ex ignorantia, plurimi e malevolentia in devium sensum detorquere, eique hostilem contra omnem praesentis aevi socialem et politicum ordinem tendentiam subindere adnisi sunt. Argumentum eius est instructivum et doctrinale, pro omni vero catholico, qui in hac principiorum et opinionum religiosarum

Digitized by Google

aeque ac politicarum confusione orientationem quaerit: directivum; — qui vero falsa et erronea de his persuasione laborat: correctivum; — pro illis demum qui in oppositione cum proscriptis thesibus salutem regnorum et populorum in practica neotericorum principiorum executione reponunt, iisque absolutum triumphum vindicant: monitorium simul et censorium.

Sanctissimus Pater dum contra dominantes falsas et erroneas opiniones vocem suam attollit, non damnat in globo omnes praesentis aevi seu materiales progressus, seu omnes politicas et sociales institutiones — in quantum hae legi divinae et naturali non repugnant, aeternisque et immutabilibus recti et insti principiis non adversantur. Quod damnat et vi competentis sibi in universa Ecclesia supremi magisterii damnare debet, est: subversivus ad convellendum ordinem moralem — cui omnis hominum societas religiosa aeque ac civilis innititur, nisus: est negatio iuris divini in gubernatione rerum humanarum, et in huius locum voluntatis populi ab omni divino iure solutae instar supremae legis pronunciatio. Est porro quod damnat: revelationis divinae velut unice infallibilis veritatis fontis aut plena repudiatio, aut damnabilis de illius imperfectione, progressivaque perfectibilitate assertio: est rationi humanae vindicata supremi et normativi omnium cuiuscumque generis veritatum principii adtributio: est crassi ultimum hominis finem et destinationem in sola rerum temporalium fruitione, et animalis sensualitatis satisfactione reponentis materialismi glorificatio: est falsorum religiosorum systematum cum vera a Deo revelata religione identificatio, impiaeque illius opinionis: quasi homo in quovis cultu certam salutis aeternae viam reperire, aeternamque salutem assequi posset, professio: est hostilis iurium, independentiae, ac immunitatis, temporalis Ecclesiae possessorii, eiusque ministrorum aggressio, arrogataque contra omne ius et nefas in spoliatione bonorum Ecclesiae legalita'is decretatio: est denique libertatis individualis ab omni auctoritate — libertatis politicae in loquendo et scribendo ab omni restrictiva lege emancipatio. Hi sunt in nucleo illi errores, et quae cum illis nexum habent falsae opiniones in syllabo ube-

Digitized by Google

rius recensitae, quae obiectum constituunt reprobationis per Summum Pontificem in encyclica enunciatae.

Principiorum horum, quae ceu triumphus modernae civilisationis et libertatis per multos proclamantur, originem ab infausta luctuosae memoriae anni 1781 epocha repetere lubet; de quibus nuper quaedam ephemerides gallicae illam depromserunt crisim: quod sint iustificatio hominis per semetipsum, et illimitata conscientiae libertas ab omni externa vi, et ab omni obiectiva lege — praeter subiectivam iuxta suum cuiusvis genium et beneplacitum formatam independens. Hoc pacto status publicus praemissa principia pro norma et systemate regiminis adoptans, redemptionem per Christum factam inficiando, et conscientiam ab omni legis moralis influxu emancipando, cessavit christianum typum praeseferre.

Et reipsa ab illa catastrophe, et hanc paulo ante praecedente illuminatismi epocha sicut e pyxide Pandorae effusa sunt multiplicia, sub quibus Europa actu gemit, moralia, socialia et politica mala. — Quod Europa in stadio socialis et politicae evolutionis utinam legali, et non tumultuaria via perficiendae constituatur; nemo est, qui non videat. Populi convulsiva quadam febri correpti, et inconscio quodam novationis pruritu capti, dum parte ex una veteres sociales et politicas institutiones ceu genio temporis incongruas subvertere nituntur; parte ex altera in labyrintho politicarum opinionum et doctrinarum, dimisso filo Ariadne errantes vagantur: existimantes se contra omnia existentia mala universalem panaceam invenisse in novis systematum, quas „Constitutiones" vocant, formis ad modulum contractus socialis Rousseaunis, et recentioris scholae politicae exactis.

Quod institutiones humanae sint mutationi obnoxiae et perfectibiles, in ipsa rerum humanarum natura situm est. Sed si cuiuslibet rei et institutionis bonitas et practica utilitas ab eius successu metienda est; profecto ingemiscere cogimur, dum cernimus: a medio et ultra seculo tam multa fuisse in sphaera politico-socialis regenerationis tentata, et tam pauca optato effectu coronata! — Quod hodie tumultuario opere perficitur: cras pari petulantia destruitur. Quod vetus est,

Digitized by Google

etiamsi bonum esset, ipsa sua vetustate displicet; quod novitatis rationem habet, ipsa sua novitate arridet. Certum diuturnitate temporis probatum publicae administrationis systema, reiicitur: ut problematicis et specie sua plausibilibus experimentationibus locus detur. — Tanta haec populorum inquietudo, tam palmaris inter realem et idealem felicitatem dissonantia patulum reddit: non in variabilibus politicarum institutionum formis; verum in, eas penetrante spiritu, ethicoque illarum momento quaerendam esse temporalem populorum prosperitatem. — Quemadmodum materia nisi spiritu ei inhaerente animata potest vitales exserere operationes naturae suae proprias: ita et institutiones humanae, spiritu eas vivificante destitutae, exanimis cadaveris speciem praeseferunt.

Quid valent optimae quaevis constitutionum politicarum formae, quantocumque humanae perspicaciae ac sapientiae apparatu conditae, si eae in altiori rerum ordine non fundentur: si iis desit religiosae auctoritatis, conscientiam et legislatorum et lege obstrictorum regulantis, sanctio? — Quid iuvat talem generationem optimas habuisse civiles institutiones, cuius omnium actionum unicus elater est egoismus: quae ultimum vitae suae finem in voluptuosa rerum temporalium fruitione, et sensuales stimulos exsatiandi cupidine reponit; quae sua tantum quaerit commoda, ad sua tantummodo incumbit lucra, nullam habens christianae suimetipsius abnegationis ideam, et nullam in ipso penetrali cordis et animae nostrae personantis iudicii diviui conscientiam?

— Origo itaque chronicae illius infirmitatis, qua aevum nostrum laborat, alibi quaerenda est. Diagnosis morbi non est iuxta externa apparentia symptomata diiudicanda, neque reconvalescentia ab applicatione externorum dumtaxat remediorum speranda. Phoenomena corruptionis ethico-politicae sunt saltem manifestatio internae depravationis. Cuius arboris frondes, folia et flores flaccescunt, proximus eius interitus in radice latet. In quo gradu vis vitalis a peripheria ramorum recedit, in illo gradu truncus arboris marcescit et siccatur.

— Huic legi naturae subiecta est vita hominum, prout individualis ita socialis et corporativa. Principium vitae en-

tium moralium est ipse Deus, iuxta illud Ioannis 15, 5—11. „Ego sum vitis vos palmites; qui manet in me, et ego in illo, hic fert fructum multum; qui in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet .... Sine me nihil potestis (salutaris) facere.“ Quo magis ab hoc principio receditur, eo magis societatem humanam in sua morali et physica existentia labefactari oportet; quae profecto in sua organica compage penitus dissolvi deberet: si unquam a supremo illo existentiae suae principio plena separatio locum habere posset.

Et tamen dum homo hunc inter principium omnis vitae, et ethicam hominis naturam nexum plene dissolvere non valet, eumdem contra meliorem internum sensum saltem negare velle affectat. Ratio humana ab omni revelationis divinae influxu emancipata, censoriamque supremationem in regulandis ad suam decempedam hominum inter se correlationibus sibi vindicans, ipsum supernaturalem rerum ordinem suo voluit subordinare imperio, praesumtuose repudiando, quidquid limitatum rationis conceptum superaret, et postquam vehiculo exultae mentis multa naturae arcana eidem detegere successisset, voluit illa quoque supernaturalis ordinis mysteria comprehendere, de quibus scriptura ait: „Iudicia Domini abyssus multa,“ immemor divini illius effati: „qui scrutatur maiestatem, opprimetur a gloria.“ Prov. 25, 27. Quae siquidem infiniti et aeterni entis attributa constituant, ideoque finitae, ac insuper peccato originali labefactatae rationi humanae impervia sint, hanc sui humiliationem aequo animo ferre non valens, quia potius se supra creaturae conditionem extollens voluit videri ut Deus!

In hac suimetipsius deificatione homo nullum agnoscens supra se altius dominium, nullam auctoritatem, nullam legis moralis obligandi vim pronus ruit in omne nefas, et protoparentibus nostris simulato serpentis ore factum exitiale promissum „eritis sicut Dii“, versum est in parem perduellis contra Deum attentati vindictam, et degeneris a scopo suo humanitatis maledictionem et miseriam!

Quemadmodum protoparentes dato ipsis libero arbitrio abutentes per inobedientiam a Deo creatore suo aversi sunt; ita posteri illorum avertunt se a Deo reparationis illorum

Digitized by Google

auctore, dum praescriptis per Redemptorem Christum salutis mediis aut non utentes, aut plane abutentes, originalemque et haereditatam culpam personali reatu cumulantes in primitivo filiorum irae statu perseverant; non perpendentes: dedisse quidem Deum homini liberam voluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluisse esse impunitam. In Adae peccato partem habere, et iustificationis per Christum Salvatorem partae participem nolle esse; significat: sibi-ipsi scienter ac spontanee aeternam damnationem consciscere.

Gentium Apostolus in epistola ad Rom. cap. VII. funestam illam in homine repugnantiam: „vi cuius non quod vult bonum hoc agit; sed quod odit malum, hoc facit," velut deplorandam peccati originalis sequelam adumbrans, ipseque se mente legi Dei; — carne autem legi peccati servire professus, ingemiscendo exclamat: „infelix ego homo, inquit, quis me liberabit de corpore mortis?" ac tum sibi ipsi respondet: „Gratia Dei, — ait — per Iesum Christum Dominum Nostrum!"

Itaque unica conditio salutis, et verae ac genuinae illius felicitatis, quam homines a Deo aversi incassum quaerunt, est: reditus ad illud aeternae veritatis principium, a quo factus est recessus: est regeneratio in Christo, qui de se ipso ait: „ego sum via, veritas et vita:" qui est Salvator omnium hominum, et non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. (Act. Apost. IV. 12.)

Salutem autem velut „unum necessarium" in nomine Iesu quaerere et invenire, est illam in eo reparationis nostrae ordine requirere et ad assecutionem eiusdem contendere: qui ab ipso Christo Salvatore nostro constitutus est. Hoc salutis institutum pro toto genere humano est visibilis Ecclesia a Christo fundata, et pretioso eius sanguine acquisita. Quapropter extra illam, sine illa, aut plane contra illam non datur salus pro ullo hominum. Solummodo in illa, et per illam potest genus humanum ad suum ultimum finem, videlicet aeternae salutis consecutionem pervenire.

Iam vero licet ipse Christus sit caput corporis Ecclesiae (ad Coloss. I, 10.); nihilominus regimen illius in his

Digitized by Google

terris commisit Petro, cui ceu fundamento Ecclesiam suam voluit superaedificatam, eaque stabilitate donatam, ut nec portae inferi adversus eam umquam praevalere possent. Mira profecto divinae providentiae dispositione factum est, ut Petrus Romae in principe imperii Romani urbe sedem figeret: ut quae fuerat magistra erroris, praedicatione principis apostolorum fieret discipula veritatis. (S. Leo Papa.) Et quia ubi Petrus ibi Ecclesia: sicut Petrus vivit Romae in suis successoribus; ita etiam vera a Christo fundata Ecclesia ibidem quaerenda est. — Quemadmodum omnis structurae compages cum omnibus suis superaedificatis partibus fundamento innititur; ita Ecclesia Christi cum omnibus suis membris, ac ipsis etiam episcopis, quos Spiritus s. posuit regere Ecclesiam Dei, per successorem b. Petri et visibilem Christi in terris vicarium sustentatur. „Soliditas enim illa — ait s. Leo Papa — quam de Petra Christo etiam ipse Petra factus accepit, in suos se quoque transfudit haeredes, et ubicumque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo pastoris.“

Hinc suapte consequitur, quod iuxta praestabilitum regenerationis humanae ordinem, quicumque salutem aeternam consequi anhelant, vivae illi Petrae per summum Romanum pontificem repraesentatae eodem fidei vinculo adhaerere, atque ab illo unice percipere debeant: quidnam ad ultimum hominis finem et destinationem conducat; quid item ab illa abducat? Quid autem homini qua enti intellectuali conveniat, qualesnam eidem qua enti morali respectu Dei, respectu sui et aliorum obligationes incumbant; quid item naturae eius ethicae repugnet, quidve hoc sub obtutu vitandum habeat, huius clavis quaerenda est in ordine veri, iusti ac recti totidem normativis legis moralis postulatis. Quidnam porro in quovis triplicis huius ordinis genere saluti aeternae consonum, vel ab illa alienum sit, pendet a subiectivo hominis liberi arbitrii aut recto usu, aut eius abusu in cogitando, loquendo et agendo, in modo et habitu sentiendi et vivendi, non modo singulorum per se, verum etiam multorum, et omnium in aliqua communione viventium, aut laxiori, vel arctiori quodam sociali nexu ad invicem coniunctorum. — Quotiescumque igitur

Digitized by Google

Summus Pontifex — dum agitur de genuino veri, iusti et recti sensu — declarat: hoc vel illud esse aeternae saluti consentaneum, vel vero huic adversum; sit illud obiectum cogitationis, sermonis vel actionis — aut concernat privatae vel publicae vitae relationes; seu demum se referat ad singulos, vel in societate cum aliis viventes; — praestabilitus per Christum Redemptorem salutis ordo exigit: non saltem audire vocem summi pastoris, verum etiam conformiter edictis apostolicis, monitis et adhortationibus sentire, loqui et agere.

Quisquis igitur naufragium salutis evitare cupit, quisquis potestati tenebrarum, spiritui mendacii et erroris, et perditionis succumbere, — atque a regno Christi, lucis et veritatis, a sanctificatione et aeterna felicitate excludi non vult; invincibili et inconcussae illi Petrae coniunctissimo animo firmiter adhaereat, oportet.

Qui spreta Christi in terris vicarii voce suas vias pergere vult, in bivio a recto tramite aberrabit, devenietque ad inextricabilem errorum labyrinthum et fluctuans circumferetur omni vento doctrinae in nequitia et astutia hominum. Papa in persona Petri accepit a Domino potestatem portas regni coelorum aperiendi humilibus in fide et obsequio, et claudendi discolis ac pertinacibus. Ille est: cui dedit Christus potestatem ligandi et solvendi, non solum in terra, verum etiam in coelis valituram. — Illi competit ius in iis, quae ordinem salutis, doctrinam, mores et disciplinam adtinent, suprema cum auctoritate decernendi. —Ad illius apostolici muneris partes pertinet universum gregem dominicum pascere sano doctrinae divinitus revelatae, veritatis et iustitiae pabulo ac simul a noxiis et pestiferis pascuis arcere. — Qui proinde gregi Christi adnumerari desiderat, summi illius pastoris vocem audiat, est necesse: cui in persona Simonis filii Ioannis Christus bonus pastor post trinam de praeferente erga se dilectione percontationem, ter repetita iussione oves suas et agnos pascendos commisit.

Hac sibi a Christo delata supremi pastoralis muneris provincia pontifices Romanos inde ab exordio Ecclesiae usque ad novissima tempora inter constantes easque diversissimas contra hostes regni Dei — quales numquam defuerunt —

pugnas, nullo non tempore strenue ac viriliter perfunctos fuisse, atque super commisso sibi grege dominico vigilanter excubasse, analecta cunctarum nationum, et populorum orientis aeque ac occidentis affatim testantur.

At vix umquam patuit luculentius ac nunc successorem Petri in Sede Romana actu esse providentialem illam Petram, in qua orbem christianum, et meliorem humanitatis partem, consistere oportet, ne in plenam anarchiam degeneret, neve in abyssum barbariei et exitialem generis sui interitum praeceps ruat. — Vix umquam fuit tempus, in quo potestas clavium et iudicialis auctoritas summi pontificatus fuisset magis decretoria in discriminandis ab invicem doctrinis, principiis et aphoristicis sententiis tenebrarum et perditionis: — ab illis quae sunt lucis et salutis! — Vix umquam fuerit aliquis Romanorum pontificum, qui in tantis temporum angustiis et periculis magis intrepide, ac vere apostolica libertate animique fortitudine pro grege Christi in arenam descendisset, ut commissas sibi oves a noxiis et venenatis pascuis, ad quae adversarius regni Christi cum suis asseclis eas pellicere nititur, abducat; quemadmodum id gloriose Ecclesiam Christi gubernans Pius Papa IX in omne aevum memorabilibus apostolicis suis literis ddto 8-ae Decembris a. p. editis partim stupente, partim fremente universo orbe fecerat!

Probatio, quam Petrum principem apostolorum subivisse, e verbis Domini Lucae XX, 31—32. discimus: „Simon, Simon, ecce Satanas expetiit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos“, in nullo successorum luculentiore eventu iteratur; at una divini praesidii praesentia, sub cuius solius aegyde, absque omni humano auxilio Sanctissimus Pater, multiplicibus tam apertis, quam clancullariis hostibus in utroque campo spirituali aeque ac temporali Sedem Petri oppugnantibus exsplicatam frontem opponere pergit, haud umquam in evidentiore luce collocabatur.

Cribratio, quam Satanas permissione divina in omni hominum classe instituit, est horribilis; at ex advero stat sub aegyde absque macula conceptae Virginis, quae est terribilis ut castrorum acies ordinata, venerandus Romae pontifex, ar-

Digitized by Google

matus clypeo veritatis, velut alter Moyses, qui descendens ex monte Sinai aureum vitulum adorantibus legem decalogi promulgavit. Dum videlicet praesens seculum veneno incredulitatis et irreligiositatis soporatum, vixque iam suarum a destinatione sua deviationum conscium, ac temulentia vigentium falsarum opinionum crapulatum in eo sibi gloriabunde complacet, quod recta culturae ac civilisationis via gradiatur; summus sacrorum antistes, qua legum mundi moralis custos et manutentor facem aeternae iustitiae ac veritatis accendere pergit, ut in illius lumine videat a tramite veri aberrans ratio humana, cernatque infra se patere baratrum, ad cuius profundum eamdem fata morgana vanae scientiae ac illuminationis perduxit.

Quod hac Sanctissimi Patris voce alii attoniti, alii qui in syllabo proscriptarum thesium proprias suas doctrinas specie veri delarvatas condemnatasque viderunt, exterriti, imo efferati fuerint; documento est: eos in hac summi pontificis enunciatione non vulgarem opinionum suarum censorem, — quis enim inermis, aetate et curis confecti, undequaque angustiati, et lacessiti hominis vocem seu attendat seu metuat? — verum humana auctoritate eminentiorem Prostaten inconscios suspexisse: „Vox enim ista — ait S. Leo Papa, — vox vitae est, et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad inferna demergit . . . Manet ergo Petri privilegium: ubicunque ex ipsius aequitate fertur iudicium, nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligaverit aut solverit.“

Nos itaque qua ingenuos Ecclesiae cath. filios Sedi apostolicae corde et animo deditos non saltem enunciato per Sanctissimum Patrem iudicio omni cum submissione acquiescere, damnata per eum damnare, rem veri, iusti, recti et aequi pro virili defendere, et falsas sophistarum doctrinas ac opiniones confutare oportet; verum in eo insuper gloriari nos convenit: esse nos membra illius corporis, cuius caput non saltem in medio fluctuantium temporis hallucinationum semet ad vorticem errorum quasi iam communem hominum persuasionem constituentium praecipitem agi non sinit, quin potius saevienti procellae impenetrabilem proclamatae veri-

Digitized by Google

tatis aggerem opponendo, creditam sibi naviculam, ne tempestatis vehementia saxo incredulitatis allisa mergatur, versus securum revelationis divinae ab omni adulteratione praeservandae portum imperterritus dexterrime dirigit, ita ut qui se apostolici huius navarchae tutelae committit, eiusque ductui obtemperat, periculum submersionis haud habeat metuendum.

Sensum singularum in syllabo contentarum thesium uberius illustrare supervacaneum esse duxi, cum in ipso suo contextu cuivis cultioris classis catholico in principiis religionis catholicae quadamtenus versato satis pervius sit; rudis plebecula autem, quae implicita fide credit, quidquid Ecclesia catholica ex institutione Christi ad credendum proponit, et quae ceteroquin dicta et iussa supremi Ecclesiae capitis in simplicitate cordis irrefragabiliter pro veris et obligantibus habere gestit, commentatione rerum, subiectivum suum captum transcendentium alioquin opus non habet. Illi demum, quos res proprie ferit, qui damnatas per Sanctissimum Patrem erroneas propositiones in crisim vocare ausi, genuinum encyclicae huius sensum aut apprehendere nolunt, aut vero illam quasi actum otiosum, imo omnem culturae et civilisationis progressum anathemate ferientem petulanter explodentes in odium ipsius auctoris convertere in proposito habent, — si capacitationi locum dare, atque de genuino iteratofatae encyclicae et contentarum in adnexo eidem syllabo thesium sensu animo non praeoccupato edoceri volunt; invenient eloquentissimum illarum commentarium in lucubrationibus praeclarissimorum et in toto christiano orbe meritam celebritatem consecutorum Ecclesiae catholicae antistitum ingeniose non minus quam dialectica cum praecisione conscriptis, ac his admodum diebus in vulgus editis. Prorsus autem iniuriosum est asserere: quasi tenor encyclicae huius omnis christianae caritatis expers esset, et cultissimas quasque nationes ab enunciatis in encyclica principiis dissidentes in massa condemnaret. — Quin potius propensissimae caritatis est: alios ab errore abducere, — a periculis praemunire, — rectamque veritatis viam monstrare. Alioquin neminem — qui sapit — latere potest: Ecclesiam catholicam homines ab

Digitized by Google

erroribus quibus obnoxiantur semper distinxisse et dum hos damnat, — pro illis ad agnitionem veritatis perducendis Deum orare. — Sed non minus patulum est: Ecclesiam cath. civilem tolerantiam, politicaque iura hominum alia religiosa et politica principia profitentium non impugnare, quin exinde consequatur, quod principia haec approbare aut plane illa pro irrefragabilibus societatis humanae postulatis proclamare seu debeat, seu possit.

Dum itaque tam toties memoratam encyclicam, quam et ei adnexum syllabum iuxta originalem textum typis recusum pro singula dioecesis parochia in uno exemplari idiomate latino communico, facio id non eo scopo, ut scripta haec apostolica secundum literam e sacro suggestu populo promulgentur, verum ut sacri curiones illa studiosius relegendo, ruminando, rectumve eorum sensum penetrando, sciant erga proponendas sibi nefors eatenus in communi vitae commercio quaestiones et dubia sciscitantibus congruum ad quaesita dare responsum, conscientiam fidelium tranquillando, dubia resolvendo, lacessitamque per malevolos sophistas Sanctissimi Patris auctoritatem tuendo et vindicando.

Cum nihilominus quod totius orbis christiani publicitatem subiit, et communis discussionis obiectum evasit, non possit penitus populo celari, e re censebam mentionata scripta apostolica hisce meis pronunciatoriis literis instar directivae instructionis valituris comitari: ne quid in sermone sacro eatenus ad populum instituendo incongrui dicatur, utve hac in parte in tota dioecesi aliqualis uniformitas observetur. Singuli proinde sacri curiones poterunt ex his meis literis obiectivum promere faciendi hoc in merito ad populum sermonis argumentum, quale nimirum captui fidelium curae suae commissorum, et spiritualibus eorum indigentiis quam maxime convenire existimaverint. — Sermo iste deberet constituere prolusorium prologum publicationis literarum apostolicarum de indicendo universali in orbe catholico iubilaeo, quale Sanctissimus Dominus Noster in illa ipsa forma, et cum pari coelestium gratiarum largitione, prout id in exordio supremi sui pontificatus anno 1846. concesserat, celebrandum omnibus Christi fidelibus eo fine denunciat: ut in communi hac cala-

Digitized by Google

mitate, concordibus precibus, ieiuniis et exercitio bonorum operum peccata redimentes ac pia sacramentorum susceptione malitia hominum offensum supremum Numen nobis propitium reddentes, misericordiam eius pro errantibus, ut ad agnitionem veritatis perveniant, non secus et pro Ecclesiae ac Sedis apostolicae adversariis, ut impia illorum plana et consilia confundat, Ecclesiaeque suae pacem donare dignetur, instanter imploremus!"

---

11. Card. AEppi Zagrabiensis Pastoralis ad Clerum. Nemini, qui eventuum sui temporis haud rudis sit, ignotum esse potest, Sanctissimum Patrem, Summum Pontificem nostrum, Pium IX. die 8. Decembris, id vero est festo immaculatae conceptionis Beatae Mariae Virginis, solennes edidisse ad cunctos Antistites catholici orbis literas encyclicas, quibus crescentem in dies principiorum morumque corruptelam, apostolica libertate, pioque cum fervore describendo, varii generis praeiudicia ac errores, temporaneae non minus, ac aeternae humani generis prosperitati perniciosos, reprobat, proque plenitudine sibi, qua capiti Ecclesiae, summoque Christi in terris vicario, competentis auctoritatis, perstringit ac reprobat, sollicitudinem cunctorum sibi subordinatorum Praesulum paterne provocando, ut creditos suae fidei christianos populos eatenus attentos reddere, et a venefica eorum contagione, omni, quo licet, meliore modo, arcere, ac, qui iis iam infecti forent, resanare contendant. Quo vero hi eorum conatus feliciorem sortiantur effectum, commissos sibi gratiarum thesauros novitus reserando, indulgentiam plenariam cunctis Christi fidelibus benignissime concedit, qui lapsu anni currentis 1865. certo, per Antistites designando mense, praestitutas idgenus gratiae impetrandae conditiones rite expleverint.

Ad episcopalis mei muneris partes imprimis pertinere existimabam, earundem encyclicarum tenores, in toto suo complexu, ad vestram, Venerabiles fratres, filiiqne dilectissimi, perferre notitiam; quod facio praesentibus, eas per extensum hisce vobiscum communicando.

Digitized by Google

Dum has vobiscum, venerabiles fratres, filiique dilectissimi, communico Apostolicas literas, ad meam cumprimis obligationem pertinere arbitror, ea vobis indicare, quae ad modum, conditionesque benigne concessae Indulgentiae plenariae referuntur. — Quod adtinet ad reliquos Encyclicarum tenores: culpabilis parte ex mea audaciae foret, iis vel addere vel demere velle quidpiam, aut in qualemcunque eorum me immittere commentationem. Ubi enim ipsum venerandum Ecclesiae caput, in rebus ad fidem et mores pertinentibus, locutum est: ibi cunctis ceteris Antistitibus non minus, ac fidelibus, gloria tantum obsequii relicta est. Cum tamen, ut praevideri in tanta mundi corruptela potuit, haec quoque, sapientissima Summi Pontificis nostri effata, innumeris sciolorum, malegue Religioni affectorum hominum impetantur contradictionibus et crisibus: temperare mihi non potui, quin eas saltem memorarem, inque genuina sua luce vobis dilecti filii, exhiberem obiectationes, quibus potissimum impetitur haec sedis apostolicae manifestatio, quaeve speciem aliquam veri praeseferre videntur, ac incautos facile in errorem possent inducere. Quae quidem, opinione mea, ad ea, quae sequuntur, possunt reduci.

I.

Declarationes pontificiae, de quibus agimus, ita passim sistuntur per inimicos Religioni homines, quasi vero earum tenoribus cunctae damnarentur regiminis formae, quae non sunt imperia, vel regna legitime coronatis, ac se divina gratia constitutos agnoscentibus Principibus parentia. Quam id a veritate sit alienum? quivis se potest convincere, qui vel obiter annales praeteritorum, ac nostrorum quoque temporum inspexerit. Fides catholica tantae amplitudinis gaudet sinu, ut in eo cunctae orbis nationes quamcunque illae nactae sint politici regiminis formam, in pace et prosperitate possint degere; id quod non tantum catholicitatis, hoc est universalitatis eius documentum, sed et unum ex indubiis veritatis, ac divinitatis eius argumentis constituit. Ecclesia catholica, nunquam pronunciavit omnium populorum regiminis formam de-

Digitized by Google

bere esse monarchicam; nunquam reprobavit alias formas, nec ipsam democraticam, in quantum ea citra laesionem alieni iuris ac institiae fuit locum sortita. Sedes apostolica penes Helveticam, aliasque respublicas, saeculorum lapsu habuit, actuque suos habet Nuncios, ac earum vicissim recipit legationes. Non pridem legimus in pagellis publicis, Summum Pontificem nostrum, Statuum Americae meridionalis ad se missam legationem paterna prorsus cum benignitate excepisse. Scimus, quanta cum affectus teneritudine receperit novum Mexices Imperatorem, quamvis probe sciret, eum non virtute legitimae, ab antenatis in se devolutae successionis, sed populari voto determinatum, solium imperiale capessivisse. Scimus etiam eundem Sanctissimum Patrem nostrum contra modernum Gallorum Imperatorem nullas obmovisse difficultates, nullas reclamationes; quamvis probe perspectum teneret, eum in sequelam deprompti per populum universalis suffragii, thronum conscendisse. Nec pensi duxit Sua Sanctitas palam etiam, iteratisque vicibus declarare, eidem taliter electo Imperatori, ceu actuali, sic permittente divina providentia, Principi, omnimodam a subditis venerationem et obedientiam esse exhibendam. Imo neonatum eiusdem Imperatoris filium e sacro baptismatis fonte levare haud dubitavit, eique ac toti ipsius familiae, plus vice simplici, paternam suam impertitus est benedictionem. Quod sane tanto aestimari debet amplius quanto certius constat omnibus, deplorandae prorsus, in qua idem piissimus Pontifex noster actu constituitur sortis, principalem causam ad eundem, Galliarum Imperii habenas actu manibus tenentem virum esse referendam. Nam, ut missa faciam caetera, nemo nisi in media luce caecutiens, vel minus probandis animi affectibus agitatus, negare potest, unice ab eius dependisse nutu, Status Pontificii conservare integritatem. Quemadmodum enim uno verbo impedire poterat, ne patrimonium S. Petri, proprie sic dictum, in praedam cederet sacrilegorum praedonum: sic eodem potenti suo verbo, absque ulla etiam aeris, aut sangvinis profusione, efficere poterat, ut integer ille, sat caeteroquin exiguus Status, porro sub sedis apostolicae sceptro remaneat. Quod quidem universus et desiderabat, et sperabat catholicus

Digitized by Google

orbis; tanto avidius quanto sciebat certius, eundem modernum Gallorum Imperatorem, totamque paene eius familiam, Apostolicae Sedi, vel ob exercitam olim, difficillimis temporibus, in se hospitalitatem, haud exigua sane obstrictam esse gratitudine; tanto item magis, quanto convenientius fuit, ut Princeps catholicus, throno eius nationis insidens, quae inde a saeculis se christianissimam, suumque Principem primogenitum Ecclesiae Catholicae Filium amabat compellare, summum eiusdem Ecclesiae caput in possessorio modici istius terreni principatus conservet, quem illud a decem, et amplius saeculis optimo tenebat iure; sine quo nec suam tueri dignitatem, nec sublimis sui muneris indigentiis potest debite respondere; pro cuius demum conservatione et pientissimi olim Galliarum principes, et ipsa generosissima Gallorum natio in haec usque recentissima tempora, innumera tulèrunt sacrificia.

Iam ex his satis impatescit, summum Pontificem nostrum, procul ab ea, iniuriose sibi supposita intentione abfuisse, convellendi cuiuscunque legitime constituti Status fundamenta. Alio prorsus respiciebat eius, populares electiones, publicique ordinis convulsiones perstringentis, tendentia. Nullo quippe negotio et absque peculiari etiam ingenii acumine, perspicere quisque potest, eum prae oculis habuisse novissimas istas miserae Italiae phases. Novimus, tot illic legitimos thronos eversos, tot rapinas, ac iniquitates omnis generis commissas, ipsum etiam, vetustate, ac sublimi sua destinatione venerabilem pontificium Statum sacrilego ausu invasum, longeque maximam eius partem a suo, in quem eum divina providentia destinaverat, scopo avulsum fuisse, ne communi quidem cultarum gentium iure servato: utpote ipsa belli indictione intermissa. Ad tegendam tantae iniquitatis turpitudinem, opus fuit larvis et coloribus, qui maxime accomode desumi posse censebantur e procusis nunc admodum nationalitatis, unitatis regni, et universalis suffragii principiis. Itaque ad praefixum scopum quoquo modo impetrandum omnis generis artes, irreflexe vel ad communis leges honestatis, adhibebantur. Et testimoniis fidedignissimis, certissimisque documentis demonstratum est, praetensam illam vo-

torum popularium maioritatem, speciosis promissionibus, pecunia, variisque fallaciis, ac potissimum armatae vis praepotentia fuisse conflatam. Haec sane talia sunt, ut nemini, qui non ipso naturalis iustitiae, humanitatisque sensu exutus est, probari possint. Quod quidem vel inde satis dignoscitur, quod inter ipsos a fide catholica alienos, secus eruditione et characteris firmitate praeditos viros, reperti sint nec pauci, qui huiusmodi enormitates publice reprobare haud quidquam pensi duxerint. Et haec sunt, hisque similia, quae encyclicarum suarum tenoribus reprobat Summus Pontifex noster. Quis vero ausit affirmare, eum iure destitutum fuisse, adversus tantam, vixque antehac auditam audaciam, abiectae vafriciei iunctam, apostolicam suam vocem elevandi. Imo vero id ad strictam eius obligationem pertinuisse agnoscamus oportet: utpote cui, qua Christi in terris vicario, supremoque moralis ordinis vindici, maxime et convenit, et incumbit reprimere iniquitatem, praesertim si ea in perniciem innocentiae suum erigat caput, atque adeo virtutis audeat larvam usurpare.

II.

Sunt nec pauci, qui Summum Pontificem nostrum inimicae arguunt tendentiae erga quasvis politicas constitutiones, quarum virtute populus legum ferendarum potestatem cum regnante principe partitur; hocque inimicum eius studium ex ea, de qua nobis sermo est, Encyclica patescere. Ac exinde repetendum esse asserunt, quod non obstantibus iteratis etiam exterarum potentiarum consiliis, absoluti regiminis insistat placitis, nec ad ullam condescendere velit formam liberaliorem. Sed vero insimulationem idgenus nemini iniquius, quam Pio IX. impingi, quivis vel exinde cognoscere potest, quod ad publicam constet notorietatem, eundem Sanctissimum Patrem, in primis statim pontificatus sui auspiciis, omnino concessisse populis suis Constitutionem, et quidem tam liberalem, ut omnis paene eapropter mundus in admirationem raperetur, imo multi hunc ipsum tam insignis liberalitatis actum, eidem vehementer succenserent. Qui tam generosi capax est consilii, absque summa iniuria, constitutionalis regiminis hostis

Digitized by Google

dici non potest. Sed vero constat, quales ei pro hac magnanimitate redditae fuerint gratiae? Constat, quod post varii generis strepitosas, sed simulatas aggratulationes, et hypocriticas demonstrationes, ferox, ac tam impia in tantae benignitatis Principem excitata fuerit rebellio, ut is cum manifesto vitae suae periculo, salutem in exteris oris quaerere debuerit. Sed et facile quivis perspicere potest eundem piissimum Pontificem, proprio periculo, acerbissima sane experientia doctum, ad nova hac in parte tentamina, nonnisi summa cum circumspectione posse condescendere; ne positis iisdem causis, eosdem rursum, ac fortasse acerbiores adhuc provocet effectus. Id vero tanto magis, quanto amplior docet experientia, constitutionalia corpora, quae tam abundanter parit aetas nostra, paene nunquam intra iustos se continere limites, sed citius tardius ad postulationes, aususque prorumpere, dignitati ac iuribus regnantis Principis non minus, ac publico ordini, patriaeque prosperitati periculosos, usque adeo exitiales. Sed et quivis aequus rerum aestimator perspicere debet, aliam esse Romani Pontificis, aliam caeterorum regnantium Principum conditionem. Quippe cum ille Summus una sit Pontifex, totiusque caput Christianitatis; haec sublimis et peculiaris eius dignitas, singulares, etiam relate ad politicam rerum coordinationem, deposcit respectus. Caeterum, quantum sub regimine Pii IX. ad constabiliendam subditorum pontificii Status sobriam libertatem, quantum item ad promovendam popularem institutionem, ad scientiarum et artium liberalium, infinitorum paene, quae Roma numerat, humanitatis et beneficentiae institutorum, ipsius etiam commercii efflorescentiam praestitum sit? sciunt omnes, qui vel aliquam rerum Romanarum sibi procurarunt notitiam; sciunt etiam ea, quae de despotismo, illiberalitate, duritie aliisque pontificii regiminis naevis, tanta cum animositate per mundum sparguntur, ad calumnias passim, et irreconciliabile erga Sedem pontificiam, ipsamque religionem odium esse referenda; quod quidem odium vix unquam exarsit ferventius, quam his tristibus temporibus nostris. Eos, qui de his per me allatis, dubitarent, aut de eorum veritate se uberius convincere vellent, relego ad revolvendas pastorales meas literas, anno 1857

Digitized by Google

die 16. Iunii editas, et collectioni selectiorum encyclicarum mearum pag. 187. et sequent. insertas alterius item ordinis 1860 die 19. Februarii scriptas, ac in eadem collectione pag. 92. et sequent., conspicuas.

III.

Magna cum acerbitate, fere dixissem, furore, obiectatur Encyclicae de qua nobis sermo vertitur, eam repugnare culturae, in quam humanum genus saeculorum lapsu est eluctatum ; favere tenebris medii aevi, nec ullam eius, quem mundus recentioribus temporibus in scientiis fecit progressus habere rationem, eoque tendere, ut priscorum saeculorum revehatur ruditas et ignorantia. Quam haec itidem a vero aliena sint, quam iniuriosa? facile quisque perspicere potest, qui verae culturae conceptu haud destituitur, et cuius mentem nondum praeiudicatae opiniones tristem in modum obfuscaverunt. Dici sane cum veritate potest, nullum dari in orbe terrarum institutum, quod ad scientiarum, et artium incrementa, ad veram, et ingeniorum et cordium, culturam plus contulisset, quam contulerit, actuque conferat Sedes pontificia. Agnoverunt hoc plures etiam a fide catholica alieni, sed veritati repugnare haud volentes, et acrioris ingenii viri. Nequaquam genuina, sed praepostera illa, ac periculosa cultura impugnatur encyclicis his pontificiis, quae de humanae rationis infallibilitate falsam sibi adscivit opinionem, et propriae sufficientiae, ac excellentiae suae persvasione tumida, omne reiicit divinae revelationis lumen, tamque miserandum in modum caecutit, ut ipsum abneget rerum omnium creatorem, nec amplius seu animae humanae agnoscat immortalitatem, seu discrimen virtutem inter et vitium admittat, sicque humanam societatem in imum moralis corruptionis, omnisque infelicitatis genus praecipitet. Cuius quidem rei triste, sed luculentum praebet documentum adnexus Encyclicae errorum, mundum hodiernum devastantium, cathalogus. Humani generis docet historia, veram culturam tam arcto vinculo esse fidei christianae, cuius genuinum complexum, in integritate sua, sola possidet Ecclesia catholica, copulatam, ut illa nec

reperiri possit ubi haec deficit, nec deficere, ubi haec in pleno suo consistit vigore. Scimus, quid respectu veri nominis culturae moralis potissimum fuerit gentilis mundus, antequam beneficum christianae fidei astrum ei illuxisset; scimus quid sint hodiedum cunctae orbis nationes, ad quas necdum divinum hoc pertigit lumen; scimus denique, in quem miserandum decidant statum ipsae christianae nationes, si eas quoquo infelici casu, hoc lumine privari contingat. Omnium loco memorasse suffecerit nationem Gallicam. Certo nemo unus, humano adhuc sensu praeditus, absque horrore audire, vel legere potest illas barbariei immanitates, in quas, tam altae secus culturae populus, incidit, postquam sublata ex altaribus Christi crucifixi effigie, humanae rationis idolum, in forma prostitutae mulieris, ei exhibitum fuit adorandum.

Contra haec, et contra principia, quae suapte natura tales operantur enormitates, apostolicam suam vocem elevat Caput Ecclesiae, vindicandoque adversus ea incomparabilem veritatis christianae thesaurum, verae culturae rationibus magis profecto inservit, quam inserviant cuncta philosophorum systemata, quae absque divinae revelationis lumine, humani generis volunt culturam promovere. Similia sunt systemata ista domibus, quas pueri e pictis construere solent chartis, et quae ad levem corruunt afflatum; similia sunt tempestuosis illis procellis, quae reparente sole conticescunt, relictis tristibus furoris sui vestigiis.

IV.

Impugnatur, nec minus acriter quam copiose, haec pontificia Encyclica, ceu iniqua respectu caeterarum a fide catholica alienarum confessionum. Existimant, aut saltem aliis persvadere conantur bene multi, pontificio hoc documento improbari omnem aliter sentientibus exhibendam non tantum charitatem, sed et iustitiam ac aequitatem. Imo non desunt, qui affirment, Encyclicas has literas spiritu esse animatas persecutionis, erga omnes, qui non profitentur fidem catholicam. Sed qui tam iniuriose de sede pontificia, benignoque Pii IX corde cogitant vel loquuntur, non videntur unquam eius erga aliarum confessionum homines agendi modum ex-

Digitized by Google

pendisse. Si enim attendissent, quod sedes pontificia Principum quoque, a fide catholica alienorum, legatos recipiat, nec momentanee tantum, sed pro constanti Romae residere admittat; si attendissent, millia Protestantium, aliorumque diversis confessionibus addictorum hominum, in urbe Romana, humanissime ac liberalissime tractari; si reflexissent ad eos, quos pontificia sedes, relate ad mixta matrimonia recentissimis cumprimis temporibus, concessit favores; si recordati fuissent, ab antiquo non modicum Romae degere Hebraeorum numerum, nec minus liberaliter tractari, quam tractentur in quocunque alio, etiam Protestantico, Statu; si inquam ad haec, hisque similia reflexissent, qui inhumanitatis ac intolerentiae erga alienas a fide catholica confessiones, tam acerbe arguunt pontificiam sedem, ipsumque ei actu insidentem summum Pontificem: hanc ei iniuriam vix ausi fuissent inurere. Sedes certe pontificia, principalis haec iuris et iustitiae propugnatrix, nulli vult inferre iniuriam, et cuique quod suum est, et tribuere ipsa solet, et per alios tribui desiderat, nec unquam cessat profiteri: omnes omnino homines esse proximos nostros, eiusdem coelestis Patris filios, eodem pretioso Christi Salvatoris sanguine redemptos, adeoque et pari, qua nos ipsos complectimur, charitate diligendos. Nec in obversum horum assertorum quidquam ponderant, quae de singularibus casibus, exempli causa de pueris Mortara et Chon allegantur: siquidem ex genuina idgenus casuum evolutione, manifeste impatescat, illic quoque, penes omnem principiorum repugnantiam, non modo nihil duritiei aut inhumanitatis fuisse commissum, sed genuinae potius dilectionis data fuisse specimina.

Sed vero aliud est, non laedere iura eorum, qui non eiusdem nobiscum sunt religionis; aliud cunctis eorum, instos non raro limites excedentibus, praetensionibus velificari. Hae quippe praetensiones, in Austriaco etiam Imperio, eum iam assecutae sunt gradum, ut non pauci se offendi putent, si Principes nostri, se catholicos profiteantur, aut Gubernium eadem utatur compellatione. Qui expenderit Augustam dynastiam nostram inde a saeculis non modo usam semper fuisse hac compellatione, sed in ea non exiguam reposuisse gloriam;

Digitized by Google

utpote quae ab antiquissimis temporibus una e firmissimis fuerit Religionis et Ecclesiae catholicae fulcris et praesidiis; qui parte ab altera reflexerit, Reges ac Reginas Magnae Britanniae, Regesque Borussiae non modo non ambigere se Protestanticas profiteri potentias, sed voce in altum vibrata, idipsum omni occasione, nec absque aliqua ambitionis specie, proclamare; qui expenderit idem facere alios quoque Principes a fide catholica alienos signanter Russiae Imperatorem, qui non potest satis frequenter repetere, se ecclesiae, quae Principis Apostolorum, eiusque successorum auctoritati se tristem in modum subtraxerat, caput esse et defensorem; qui inquam ad haec animum reflexerit: non poterit non indignitatem idgenus praetensionis agnoscere, et ei, invito etiam, incident illi gratitudinis obliti filii familias, qui, ut frequenter, temporibus praesertim nostris, evenit, genitores suos omnimode e possessorii communione excludere contendunt, in in quam tamen unice e paterna benevolentia fuerunt adsciti. Sed et fundamentum, cui haec, similesque superstruuntur praetensiones, tam debile est, et a vero alienum, ut illo non modo non imminuatur, sed magis etiam adaugeatur arrogantiae audaciaeque reatus, qui idmodi postulatis subesse passim dignoscitur. Dicunt quippe, Statum publicum nullam debere profiteri religionem: utpote qui cunctis subditis eandem teneatur iustitiam administrare, eandem impertiri protectionem, nec proinde ipsummet certam aliquam adoptare posse religionem. Sed vero hoc, e recentioris subversivae philosophiae scaturiginibus desumptum principium et impium esse, et humanae societati perquam periculosum, quisque facile perspiciet, qui necdum revelatae fidei, ipsiusque sanae rationis placitis renuntiavit. Vel potestne quisquam prudenter inficiari, axioma tale recta ducere ad indifferentismum religiosum, qui uno tantum passu distat ab atheismo, perniciosissima illa humani generis peste ex obtutu quoque temporaneae nationum prosperitatis? Indifferentismus nequaquam est iusti boniqne regiminis requisitum, sed infelix vitium; quod initio e falso tolerantiae conceptu suam traxisse videtur originem. Certo regimen potest firma catholica fide esse animatum, seque tale profiteri, quin propterea erga alienos ab eadem

fide subditos suos iniustum sit, durum aut iniquum; quemadmodum privatus quisque homo toto corde potest esse catholicae fidei deditus, quin propterea aliter sentientibus quae aequa iustaque sunt, aut vel quae ad charitatis leges referuntur, pergat denegare. Imo quemadmodum privatus quisque eo certius, teneriorique cum conscientia erga omnes exequetur ea, quae iuris sunt, aequitatis ac fraternae charitatis, quo magis est spiritu Catholicae fidei penetratus: sic et Status publicus eo erga cunctos suos subditos erit iustior, mitior, et humanitatis charitatisque plenior, quo sincerius eidem catholicae fidei, quae ipsa lex est iustitiae et charitatis, placitis adhaeserit.

Eandem subit considerationem principium aequalitatis, quod relate ad confessiones religiosas, ab aliquo tempore, cumprimis in Monarchia austriaca, tam acriter propugnatur, tantisque contentionibus inducendum postulatur. Quippe vera libertas, ipsa adeo aequalitas hominum variis confessionibus addictorum, nequaquam in eo consistit, ut cuncti irreflexe ad sua, quae profitentur principia, iisdem subiiciantur politicarum legum sanctionibus; sed in eo est reposita, ut leges et politicae dispositiones tales sint, quas quivis observare possit salvis suae religionis placitis, suaeque confessionis principiis. Quodsi id non obtineat: identitas legum nequaquam libertatem et aequalitatem, sed non raro veri nominis oppressionem, atque adeo tyrannidem parit. Res in exemplo fit clarior. Urgent continuo Protestantes, ut lege civili sanciatur, progenitas e mixtis matrimoniis proles, irreflexe ad religionem coniugum, sic esse educandas, ut masculae quidem patris, femellae vero matris confessionem sequi teneantur, vel, ut aliis praeplacet, cunctae proles in patris religione educentur. Cynosura idmodi Protestantibus quidem nullum inferret praeiudicium, sed vero catholicis coniugibus summe foret iniuriosa. Protestantes etenim tuta conscientia, et citra laesionem principiorum confessionis suae, possunt consentire in prolium suarum educationem extus ecclesiam propriam; sed vero Catholici id facere non possunt, quin aperte laedant religionis suae placita et praecepta, gravemque incurrant conscientiae reatum; a quo nec sacramentaliter absolvi possunt,

Digitized by Google

nisi sincera facti sui tangantur poenitentia, promittantque, se commissum errorem suum, omni, quo licuerit licito modo, reparare adnisuros. Idem tenet quoad nonnulla alia etiam puncta, in quibus lex eandem pro Catholicis et aliarum confessionum asseclis decernens regulam, relate ad posteriores manifestam saperet iniuriam, ac reapse oppressiva foret ac tyrannica, similis illi lecto, quem Procrustes, praedo aliquando in Attica, construi iussit, eandem corporum longitudinem inter infelices, qui in manus eius inciderant, homines, inducturus. Absolutam quippe leges idmodi iis imponerent necessitatem vel civiles ordines, vel suae religionis praescripta violandi.

Re ex hoc, quod solum genuinum esse potest, visus puncto considerata, nemo adversus Encyclicae tenores, in quantum ea correlationes diversarum religionum ac confessionum attingit, quidquam fundate potest excipere.

V.

Multum porro et acriter impetitur eadem Encyclica, quod inimica sit preli libertati, quae tamen summe necessarium sit progressus humanae societatis in scientiis, omnique genere culturae subsidium. Qui rem penitius inspexerit, convincatur est necesse, hoc quoque accusationis genus nulli solido niti fundamento. Quippe nemo prudens negaverit, nec sedes pontificia unquam inficiata est, preli institutum inter praecipua promovendae humanae culturae media esse referendum, itaque magnopere optandum esse, ut necessaria ei constet libertas, nec ultra iustos limites constringatur. Sed nec diffiteri quisquam sobriae mentis homo, beneque humanitati cupiens, poterit, hanc libertatem non posse esse omnibus solutam repagulis. Ipsa etenim rei natura, et magis adhuc tristis, nostri praesertim aevi, experientia docet quam manifestissime, irrestrictam, vel laxam nimis preli libertatem passim in licentiam degenerare, religioni, morum probitati, ipsique publico ordini et patriae saluti, perquam perniciosam. Caecus omnino sit, qui non videat, quanta ex irrefrenata id. genus preli licentia in humanam societatem dimanaverint, actuque dimanent pericula et detrimenta; ut adeo nemo sa-

Digitized by Google

piens ambigere queat, quemadmodum prelum, si inter iustos se contineat limites, pro vero humani generis reputari debere beneficio: sic, si ruptis vinculis, in licentiam degeneret, veram eiusdem pestem evadere. Nec iuvat allegare innatum humanae naturae ius, libere suas ideas, seu verbo seu scripto expromendi. Sicut enim praetextu naturalis huius iuris, nemini licitum esse potest, cuicunque privatae personae, publice in platea insultare, scommatibus eam aut calumniis afficere: sic, in Statu bene ordinato, cultaque hominum societate, indulgeri non potest, ut quiscunque religioni, sub legum tutelam receptae, ac praesertim ei, quam maxima civium pars profitetur, impune insultare, regnantem Principem publicosque magistratus contumeliis ac falsis accusationibus audeat afficere, vel talia in vulgus spargere seu principia, seu dicteria, quae animos civium laedere, corda inquietudine replere, pacemque, ac tranquillitatem seu privatarum familiarum, seu publicam queant interturbare. Concedere talia idem foret, ac ipsum humanae societatis scopum intervertere. Verissima haec esse inter permulta alia, non modico nobis deservit argumento, ipsum moderni Gallorum Imperatoris exemplum, qui quamcunque liberalia secus profiteatur principia, et quantumvis ipsum suum thronum universali civium debeat suffragio; tamen, non obstantibus etiam tot, tantisque in contrarium reclamationibus, prelum hodiedum tergiversatur solvere iis, quibus illud constrinxerat indaginibus: probe perspiciens, si id fecerit, cuncta iterum in Gallia susque deque permistum iri, et se vix aliquot mensibus aut hebdomadibus, suo, quem usurpat, throno insessurum. Quae itaque prelo inimicari videntur in Encyclica: non ad eius sobriam libertatem, sed ad eam, quam undique fere affectat, irrefrenem licentiam sunt referenda.

VI.

Non minori cum animositate impetitur Encyclica obtutu eorum, quae relate ad institutionem iuventutis, scholasque publicas, in ea memorantur. Incunctanter asseveratur per eius impugnatores, quod sedes pontificia scholas penitus ecclesiasticae iurisdictioni subiicere, et regimen civile omni in

eas influxu privare velit. Sed nec huic accusationis puncto plus inest veritatis, quam insit caeteris superius memoratis insimulationibus. Imo tam parum subsistit haec accusatio, ut potius in ipsos recidat accusatores. Nunquam etenim incidit Ecclesiae catholicae, Gubernium civile a directione scholarum publicarum, iustoque in eas influxu velle arcere, sed ipsi potius, qui talia Sedi pontificiae, et Ecclesiae imperant, reapse volunt, idque omnibus, directis et indirectis viis ac artibus, Ecclesiam hoc naturali suo, saecularique usu roborato iure exuere. Ecclesia non aliud sustinebat, actuque sustinere pergit, quam sibi quoque in educatione et institutione iuventutis, competere partes, et quidem virtute concessae sibi ab ipso divino Ecclesiae Fundatore auctoritatis, impositique muneris. Illud enim Salvatoris ad omnes Apostolos, eorumque successores directum mandatum: Docete omnes gentes servare omnia quaecunque mandavi vobis, non minus succrescentem iuventutem respicit, quam aetatem adultiorem. Imo potiori etiam ad illam refertur iure: siquidem nemo negare possit, tenellis inventae cordibus iniectam fidei et morum probitatis sementem, profundiores passim agere radices, salubrioresque subin operari fructus, quam si adultorum, non raro induratis iam, variisque zizaniorum generibus infectis pectoribus admoveantur. Et id quidem a fidei christianae incunabulis principii instar obtinuit, nec cuiquam, longo saeculorum lapsu incidit, hanc iuris praerogativam Ecclesiae controvertere. Haec gloria reservata est novis istis aevi nostri reformatoribus, qui eo magis humani generis prosperitati consultum iri existimant, quo longius Sacerdotium ab influxu in mentes cordaque studio literarum operam navantis iuventutis successerit removere. Nec inconsequens dici potest haec eorum cogitandi ratio. Cum enim maximam humani generis prosperitatem in omnis, ipsius adeo divinae auctoritatis depressione, inque libertate, omnibus repagulis soluta, reponant; cum multi ipsorum e publici ordinis perturbatione non modica in se sperent promanatura emolumenta: cum parte ab altera probe norint, his suis finibus succolandis nulla se aptiora reperire posse instrumenta, quam sit iuventus omnis religionis sensu expers, ac in iis, quae falso libertatis compel-

Digitized by Google

latione solent insigniri, principiis educata: nil antiquioris habent, nil maioribus animis agunt iidem Religionis et Ecclesiae inimici, quam ut Ecclesia, omni in publicas scholas influxu exuatur. Liceat mihi in huius meae assertionis confirmationem, inter multa, quae possem allegare, unum, idque non minimi sane ponderis adducere argumentum. Legi recentissime in certis bonae notae pagellis publicis: Liberos murarios in Belgio, firmum concepisse propositum, cum adiutorio Regiminis, ab ipsorum, ut scitur, arbitrio hoc momento dependentis, in vicem adhuc dum illic subsistentis liberae scholarum frequentationis, obligatoriam inducere sic, ut cuncti regnicolae sub reclusionis, aut mulctae pecuniariae castigatione, proles suas ad publicas, Regiminis impendiis sustentatas, scholas mittere obligentur. Inter Statuta sic constituendarum scholarum, puncto 2. disertis verbis exprimitur: dehinc omnem religiosam institutionem cessare debere. Quales ex idgenus scholis emersuri sint iuvenes, qualesque ex iis subinde exstituri patriae cives? nullus prudens vel momento potest ambigere. Ego plane mihi persvadeo, et Vos quoque, fratres et filii dilectissimi, haud dubito eiusdem mecum esse opinionis: produturos, paucissimis fortasse exceptis, iuvenes nonnullis quidem rerum notitiis superficialiter tinctos, sed vera fide christiana destitutos, mente praeiudicatis opinionibus turgida, corde omni teneriori affectu vacuo, moribus si non penitus adhuc corruptis, admodum saltem dubiis, et procul a vitae puritate et innocentia remotis. An vero ex his elementis patriae, atque adeo humanitati lucra speranda sint, vel potius praesentissima pericula metuenda? cuivis, qui adhuc serenos habet mentis oculos, iudicio decernendum tute relinquimus. Loquuntur sic dicti liberales nostri de intolerabili sacerdotii iugo, e cuius servitute scholas emancipandas esse, ipse cultior, et illuminatior saeculi genius suo iure deposcat. Sed vero Salvator dixit: Iugum meum suave est, et onus meum leve. Qui suave hoc iugum fidei et pietatis christianae excutiunt, proprio corruptae naturae humanae pondere incidunt sub iugum superbiae, concupiscentiae carnis, omnisque generis corruptelae. Tenet hoc relate ad omnes hominum classes. Sed tenet potissimum relate ad teneram aetatem, quam

Digitized by Google

ipse iuvenilis sangvinis ardor, imaginationis vivacitas, passionum, nulla adhuc experientia mitigatarum, aestus, in aberrationes corpori non minus, ac animae perniciosas abripiunt, nisi beneficentissimis religionis frenis contineantur. Consideremus studiosam aevi nostri iuventutem, et plenam de assertorum veritate acquiremus convictionem. Quae enim est principalis tristis eius, in quam iuventutem nostram passim incidisse videmus, dissolutionis causa, nisi quod in familiis, ipsisque scholis, etiam catholicis, religiosa eius institutio et educatio in dies extenuetur magis? Et, si iam relaxatio hac in parte, tam acerbos generat fructus: qualis subsequeretur desolatio, si e systemate educationis scholastico, ut saeculi poscit impietas, religio penitus eliminaretur? Sane emancipatio talis, deplorandam, ut pontificia nostra Encyclica non obscure arguit, pareret impietatis, ac vitiorum omnis generis servitutem.

Quae cum ita sint, iis, quae Encyclicis Summi Pontificis nostri, hoc sub obtutu depromuntur, homo bonus prudensque tam parum potest offendi, ut potius tenera se gratitudine, hoc quoque nomine, Suae Sanctitati obstrictum debeat confiteri.

VII.

Summus Pontifex noster, quemadmodum iam antehac data quavis occasione fecerat, huius quoque Encyclicae tenoribus, condigne perstringit tristes illas bonorum ecclesiasticorum invasiones, religiosorum Institutorum convulsiones, piarum utriusque sexus familiarum expulsiones, depraedationes, ac contra ipsius etiam Pontificiae sedis proprietatem exercitas sacrilegas violentias, fraudes, omnisque generis iniquitates, quas in Italia cumprimis, Russicoque Imperio, in dies paene, videt saeculum nostrum, tantis a humanitate, mansvetudine, lenitate laudibus celebratum. Hanc Sanctissimi Patris in tuendis Ecclesiae, suisque iuribus, ac legitima prorsus proprietate firmitatem, inimici Religionis gravissime subsumunt, obstinationis, obscurantîsmi, et variis idgenus sibi familiaribus compellationibus eam honorantes; egregie in hoc liberales, eo tantum cum discrimine, quod liberalitatem

ex aliena non sua exerceant bursa, e qua ne obulum unquam in Religionis fines impenderunt. Nec ambigunt asseverare teneri hi humanitatis amici, hac tanta Sedis Pontificiae constantia, vel, ut eorum lingua loquamur, asperitate exoptatam rerum nationalium coordinationem impediri, pacemque et prosperitatem publicam perturbari, ac quae temporum et eventuum ratio ad completi facti elevavit conditionem, novis convulsionum difficultatibus exponi, et periculis.

Permulta in hanc rem dici possent; sed, hac vice, sufficerit paucas fecisse observationes generales, quarum pondus omnis, vel tantillo iustitiae et acquitatis sensu praeditus, agnoscat est necesse. Si quis substantiae suae, virtute donationis inter vivos, vel in tabulis testamentariae suae dispositionis, haeredem constituat quampiam fabricam, mercantilem societatem, theatrum, aut eam in quoscunque alios profanos fines, etiamsi in dotationem personae, ad publicam notorietatem prostitutae vitae, assignet: dispositio eius communi opinione, coram ipsis adeo iudiciariis foris rata habetur, et si eam quis intervertere praesumeret, innumeris ansam daret reclamationibus. Sed si quis legitime acquisitae substantiae suae partem ecclesiae cuipiam, aut in augmentum cultus divini, vel in sacrificia pro refrigerio animae suae celebranda, aut in pios religiosorum Institutorum fines, aliaque christianae beneficentiae opera sucoolanda convertat: eotum dispositio, et solennibus etiam diplomatibus declarata eius voluntas, variis impetitur crisibus, imo iudicio liberalium nostrorum, aperte Gubernii civilis subordinatur arbitrio sic, ut hoc eam modificare pro lubitu possit, aut penitus etiam intervertere. Potestne talis cogitandi et agendi ratio componi, non dicam cum religiosa fide et pietate, sed vel cum iustitiae naturalis ac honestatis legibus? Nec iniquitates, ex idgenus principiorum perversitate profluentes, minorem subeunt considerationem, si agatur de proprietate Pontificiae sedis. Imo hoc in casu maior etiam est reatus, maior eorum impietas. Possessorium enim Summi Pontificatus totius per orbem terrarum sparsae Ecclesiae Catholicae proprietas est; idem peculiari divinae Providentiae suam debet originem; est mille et quod excedit annorum legitimo usu roboratum, totius Europae, in-

Digitized by Google

numeris vicibus declarato consensu stabilitum, tamque in praesentibus rerum adiunctis necessarium, ut sine eo, Ecclesiae universae caput sublimis sui muneris partes nec cum dignitate, nec cum requisita libertate, sed nec debita cum efficacia possit adimplere. Et quaerere licet: si quis liberalium, melius dixerim libertinorum, qui inimica idgenus erga Ecclesiam fovent principia, assultu praedonum sua privaretur proprietate; si violenti idmodi alienae proprietatis invasores, quocunque sub praetextu, eius, quam legitima haereditate ab antenatis suis acquisierat domum, armata invaderent manu, eamque in suos converterent fines, uno solum in usus proprietarii relicto conclavi, in quo is vitam degere cogeretur calamitosam, conflictans cum egestate, et mille afflictionum ac periculorum expositus iniuriis; si inquam tristem hanc subire deberet sortem quiscunque eorum, qui iniquitates idgenus respectu Ecclesiae, venerandique eius capitis, non modo excusant, sed et suis sophismatibus succolare praesumunt: num is acquiesceret dato sibi responso: novos possessores iam cuncta ad suam instruxisse commoditatem, factum completum esse, nec eos, citra ordinis pacisque convulsionem in sua posse turbari acquisitione? Non acquiesceret profecto inique despoliatus idgenus homo suaeque proprietatis restitutionem omni, quo posset, meliore modo porro postularet. Turpe, et illiberalis animi est, alia uti mensura dum de propriis, alia dum de alienis agitur commodis et iuribus.

Nec allegatae illae, e consideratione pacis ac prosperitatis publicae, completique facti argumentationes aliquam merentur attentionem. Facta enim, quae a peccaminoso iniquitatis promanant fonte, veram pacem et prosperitatem populorum nunquam possunt operari. Neque rapinae et iniquitates complemento facti, diuturnitateque sua possunt excusari; imo culpa et malitia earum tanto increscit magis, quanto earum reparatio in longius tempus protrahitur: perduratio enim in commisso flagitio, nova quodammodo in singula momenta eius est renovatio. Et paene inauditum est crudelitatis genus, summusque tyrannidis gradus, iniquitate praedonum despoliato ipsos, de illata sibi iniuria iustissimos que-

Digitized by Google

stus, vitio vertere, ac iniquis exprobrationibus ei silentium velle imponere.

Haec sunt praecipua, quae Encyclicae pontificiae obiiciuntur, quaeve aliqua possunt consideratione digna reputari. Caetera, quae allegantur, vel impia prorsus sunt, et sanae rationis non minus, quam Religionis christianae placitis plane adversa, vel ipso suo, quo promuntur modo, tam incongrua, debito sedi Pontificiae respectui tantopere adversa, tam manifeste odium et cordis perversitatem arguentia, tamque audacis procacitatis: ut ea verecundior calamus chartae mandare refugiat, et vel propterea seria replicatione indigna debeant existimari.

Venerabiles fratres, filiique dilectissimi! Ab incunabulis mundi, a fratricidae Caini temporibus, humanum genus in duas fuit acies divisum, quarum altera pro Deo, pro virtute, sanaeque rationis postulatis, altera pro eo, qui mendax fuit ab initio, pro lege quae est in membris nostris, pro cunctis, quae superbiae humanae, carnis et oculorum concupiscentiae favent, depugnabat, vario armorum genere, variaque fortuna, nec minore cum studio quam exasperatione. Paene omnis generis nostri historia enarrandis infesti huius belli phasibus absolvitur. Funestum idem bellum furit et hodie: imo nunquam fortasse maiore gerebatur contentione, quam inquieto hoc, tantisque, ac tam rapidis rerum eventibus abundante aevo nostro. Parte ab una divinum christianae fidei lumen, fidelisque eius comes, morum puritas et innocentia vitae; parte ab altera incredulitas, praeiudicatae opiniones, et perversarum doctrinarum systemata quaeve his indissolubili connexa est vinculo, corruptela morum, strictis invicem impetunt armis, pugnisque perpetuis. In hac aspera mutuarum impetitionum tempestate, unicum, quod tuto homines ad salutis portum ducere potest, sidus est, incomparabile illud Institutum, quod Salvator humani generis columnam esse voluit stabilitae per se fidei, et firmamentum veritatis; quocum se futurum promisit usque saeculorum finem, et contra quod nec portae inferi possunt praevalere. Intelligitis dilectissimi, loqui me de Ecclesia nostra Catholica, quae regitur, gubernatur, numine Spiritus Sancti sic, ut ab omni, in rebus fidei

Digitized by Google

et morum, errandi periculo sit immunis. Pro magno itaque, nec unquam satis aestimando beneficio est reputandum, quod eadem, infallibilitatis praerogativa divinitus instructa, sacrosancta Ecclesia nostra, voce visibilis sui capitis, id vero est legitimi successoris eius, cui, ceu firmae petrae est superaedificata, de tempore in tempus suam elevet vocem maternam, ostendendo mortalibus viam, quam in tanta errorum, perversorumque placitorum colluvie, tenere eos oporteat, ne tot inter periculosos fluctus syrtesque, naufragium fidei aut morum eos pati contingat. Salutaris idgenus tuba nobis recentissime intonuit in iis, quas praesentibus vobiscum communicamus, et de quibus hucdum nobis sermo fuit, literis apostolicis. Nec solum vox eae sunt attentionem nostram provocans, sed sunt alte eminens palladium, sunt vexillum, sub cuius umbra nos coadunari oporteat, quodve fideliter ac irremisse sequi debeamus, si prospere volumus adversus corruptum saeculi genium depugnare. Sub huius vexilli ducatu, citius tardius, certa nobis arridet victoria. Agite itaque fratres et filii dilectissimi! classicum intonuit, fervet pugna pro aris focisque, et quidem una ex acerrimis, quas unquam mundus vidit, et a cuius eventu temporalis non minus, ac aeterna humani generis dependet prosperitas. Non inferamus ignominiam nomini nostro, sed, abiecto omni metu et tepore, depugnemus fortiter, irremisso studio, et cum fervore: defendendi enim sunt adversus innumeros hostes, vafricia, odio, et audacia prorsus insignes, muri sancti Ierusalem, nostrae cumprimis fidei nostraeque virtuti dati in custodiam. Fixum nobis sit, non cedere in causa tam praeclara, nec ulla reformidare pericula, ullas adversitates, ipsam adeo, si opus fuerit, vitam immolare potius, quam vel turpiter deserere signa nostra, vel fortitudinis et perseverantiae defectu, cedere hostilibus armis. Ceterum meminerimus iugiter in medio etiam strepitu armorum, nos eius causam agere, eiusque esse milites, qui, licet invincibili animi robore sanctissimum suum propositum, coelestisque sui Patris voluntatem explere perrexerit: tantam tamen praesetulit animi mansuetudinem, ut pleno iure dicere potuerit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Eius inquam nos et milites esse, et discipulos, qui dixit: Estote pru-

dentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Eius milites et discipulos, qui, licet innumeris, acerbissimisque, durante sua in his terris commoratione, affectus fuerit calumniis et iniuriis: tamen iam ex cruce, in quam ingratum humanum genus eum egerat, pendens, coelestis Patris misericordiam pro ipsis carnificibus suis implorabat. Sit igitur et noster fervor semper et ubique iunctus humilitati et mansuetudini, ab omni alienus duritie aut spiritu persecutionis; sit zelus noster temperatus prudentia et moderatione: his enim destitutus, non modo nil operaretur boni sed destrueret potius quod aedificare deberet; sit denique studium nostrum Dei gloriam promovendi, intime iunctum genuinae proximi dilectioni, cui tota nostra superstructa est religio, ex qua lex pendet et Prophetae, quaeve vinculum constituit perfectionis. Invicta parte ab una animi fortitudine, infracta parte ab altera mansuetudine, ac fatigari nescia charitate, bismille paene annorum decursu gloriose superavit Ecclesia Catholica innumeros inimicorum suorum impetus; nos quoque, his instructi praesidiis, adspirante divina gratia, prospere pugnabimus, et beate moriemur. Gratia Domini Nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen. Datum Zagrabiae die 5. Februarii anno reparatae salutis 1865.

1577—1594.

Brevia Pii IX ad Praesules in nexu declarationum de Encyclica Pontificia. 1865.

1. Eppo Asculano. Novimus, ven. frater, ita te esse animo comparatum, ut avidissime iis utaris adiunctis, quae leniendis angoribus nostris opportuna videantur. Nec certe dubitare poteras, quin solatium reapse nobis essent allaturae significationes illae devotionis, amoris, obsequii, quas Clerus tuus submotis tandem obstaculis per te nobis mittendas curavit. Quod de eo sentiebamus, id non sine peculiari voluptate literis confirmatum vidimus, nempe, sic ipsum nobis obstringi caritatis et observantiae nexibus, ut ab huius S. Sedis documentis plane pendeat, totoque pectore amplectatur vel

Digitized by Google

reprobet, quidquid ipsa tenendum aut damnandum docuerit; ac profiteatur, nullis unquam aerumnis aut artibus ab hoc proposito se deduci passurum. Nec aliter profecto futurum spondet omnino praeclara illorum sententia, qui dum pro clero universo apud te legatione fungebantur, firmiter asseruerunt, numquam se commissuros, ut debitam tibi detrectent observantiam, et eo studiosius atque amantius datam fidem servaturos, tibique obsecuturos, quo maiori molimine ad excutiendum obedientiae iugum discessionemque faciendam incitentur: fieri enim non poterit, ut qui ita tibi iunguntur, eodem tecum constante caritatis nexu nobis non uniantur. Gratissima itaque nobis fuerunt officia cleri tui, eoque magis, quod cum validissimo nobisque optatissimo precum subsidio copulentur. Qua de re paterno affectu vicem filiali amori referentes Deum rogamus, ut eos in proposito confirmet, iisque augeat viribus, quibus non modo strenue decertare possint, sed et victoriam tandem assequi. Tibi vero ominamur, ut inter pericula, vexationes, et anxietates dulce semper solatium experiaris in hoc clero tuo, ac facile accomodatumque instrumentum ad salutem crediti gregis miserrimis praesertim hisce temporibus procurandam. Coelestium autem horum munerum auspicem et praecipuae nostrae benevolentiae pignus, tibi, ven. frater, totique Clero ac populo tuo benedictionem apost. peramanter impertimur. Datum Romae die 8 Febr. 1865.

---

2. Eppo Nitriensi. Tuas perlibenter accepimus literas die 2. huius mensis datas cum exemplari typis edito Pastoralis tuae Epistolae, qua isti tuo Clero populoque fideli communicandam curasti Encyclicam nostram Epistolam die 8 Dec. superiore anno ad omnes catholicos sacrorum Antistites scriptam, et Syllabum nostro iussu confectum. Quod quidem magis magisque ostendit, qua singulari nos et hanc Ap. Sedem pietate et observantia prosequaris, et quomodo tibi cordi sit, sanam tueri doctrinam, et damnare pestiferos errores, pravasque opiniones a nobis proscriptas atque damnatas. Et quoniam probe noscimus, qua eximia religione et eppali zelo praestas, idcirco certi sumus, nihil tibi potius futurum,

Digitized by Google

quam omni studio curare, ut fideles tibi potissimum traditi tot monstrosa opinionum portenta detestentur. Nec dubitamus, quin maiore usque alacritate pergas qua voce qua scriptis in hac potissimum tanta contra Cath. Ecclesiam et hanc Ap. Sedem conspiratione eiusdem Ecclesiae et Sedis causam, iura, doctrinam constanter propugnare, ac tot nefarias adversariorum insidias detegere, errores refellere, ac tela retundere, et istius tui gregis saluti advigilare. Tibi autem persuade, propensissimam esse nostram in te voluntatem. Cuius quoque certissimum pignus accipe apost. bened. etc. Datum Romae die 20. Febr. 1865.

---

3. Eppis Romaniolae. Dil. filiis nostris Presbyteris S. R. E. Cardinalibus Aloysio Vannicelli AEppo Ferrariensi, Caietano Baluffi Eppo Imolensi, et Henrico Orfei AEppo Ravennatensi et Administratori Eccl. Caesenatensis. Maximae quidem consolationi nobis fuerunt literae a vobis, dil. filii nostri, et a ven. fratribus Ioanne Eppo Faventino, Petro Paulo Eppo Foroliviensi, Vincentio Eppo Caesenatensi, Petro Eppo Brictinoriensi, atque a dil. filiis Vicariis Cap. Bononiae, Cerviae et Arimini die 30 proximi mensis Ianuarii ad nos datae. Namque in eisdem literis omni ex parte se mirifice ostendit vestra et eorumdem ven. fratrum ac dil. filiorum erga nos et hanc Ap. Sedem pietas, amor, et observantia, ac singularis laetitia et reverentia, qua a vobis et ab illis accepta fuit Encyclica nostra epistola die 8 mensis Dec. superiore anno omnibus catholicis sacrorum Antistitibus scripta, et Syllabus nostro iussu editus. Atque in eisdem literis undique elucet studium, quo tum a vobis, tum a commemoratis Eppis et Vicariis Capitularibus ex animo damnantur pestiferi errores, ac pravae doctrinae a nobis proscriptae et damnatae. Equidem non potuimus non vehementer delectari hisce egregiis vestris et ipsorum ven. fratrum ac filiorum sensibus significationibusque omni laude dignis. Ac summa voluptate affecti fuimus, cum ex eisdem literis noverimus, nihil vobis antiquius esse, quam omnem impendere operam, ut fideles propriae curae commissi detestentur tot monstruosa opinionum portenta,

Digitized by Google

quibus Dei hominumque hostes luctuosissimis hisce temporibus catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, in infelici praesertim Italia funditus evertere connituntur. Vobis autem et eisdem fratribus et vicariis summopere gratulamur, quod a vobis et ab ipsis inter gravissimas difficultates, pericula et insectationes Dei eiusque S. Ecclesiae causa strenue defenditur et animarum saluti consulitur. Futurum confidimus, ut divina adspirante gratia ex sacro Iubilaeo a nobis per eandem Encyclicam Epistolam concesso magnae spirituales utilitates in fideles redundent. Denique nobis gratissimum est hanc etiam occasionem amplecti, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam nostram in vos et praedictos Eppos ac Vicarios benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus apost. benedictionem, quam intimo cordis affectu vobis ipsis et ven. fr. Eppis et dil. filiis Vicariis Capitularibus, qui una vobiscum memoratas ad nos dederunt literas, et omnibus clericis laicisque fidelibus vestrae et eorum vigilantiae concreditis peramanter impertimur. Datum Romae die 27 Febr. 1865.

---

4. Clero Montisbarutii Dioecesis Aquensis. Etsi credentibus exploratum sit, omnia servire Domino, ipse tamen id manu quodammodo tangi voluisse videtur hac nostra aetate, in qua seculi sapientibus placuit, Divinae Providentiae actionem a terrenis rebus prorsus ablegare; eiusque rei perspicuo argumento sunt quae de nostra encyclica epistola contigisse commemoratis. Dum enim hostium Ecclesiae furor miro modo favit illius propagationi, simul ostendit, digitum reapse admotum fuisse ab hac S. Sede praecipuis humanae societatis ulceribus, eaque illis adhibita fuisse efficacia remedia, quae sine acri dolore ab aegris non tolerantur. Quo factum est, ut qui suae salutis curam omnem abiecerant, reiecta medicina exarserint in medicum; ceteri vero, qui sanandi erant, salutare pharmacum ultro libenterque excepерint, eiusque virtute senserint a se depulsum morbum, curanti plaudentes, qui aegritudinis indolem noverat et perniciem. Vobis igitur, qui horum vocibus vestras addidistis, gratulamur

Digitized by Google

ex animo, et dum gaudemus de vestro in Ecclesiam et hanc S. Sedem obsequio, fore confidimus, ut studio perciti religionis et veritatis, eosdem sensus ingerere nitamini illis, qui curae vestrae fuere concrediti. Id ut vobis feliciter contingat, ominamur, coelestisque auxilii ad hoc necessarii auspicem interim bened. nostram etc. Datum Romae die 4. Mart. 1865.

---

5. Eppis Umbriae. Inter angores, quibus undique premimur in hac pugna suscepta adversus potestates tenebrarum, quae catholicum delere nomen, et ipsius humanae societatis fundamenta convellere nituntur, svavissimum percepimus solatium ex iis fidei, caritatis, fiduciae, observantiae sensibus, qui dum a singulis pene literarum vestrarum verbis emicant, tam belle respondent ei magnanimitati, qua hostium Ecclesiae violentiae et insidiis restitistis, illiusque et istius S. Sedis iura strenue vindicastis. Nam licet abundaverint in vobis Christi passiones, nihilque intentatum relictum fuerit, ut abstraheremini ab obsequio debito huic veritatis cathedrae: minae tamen, angustiae, direptiones, carceres, pericula quaelibet nec a Christi caritate vos separare potuerunt, nec a nobis seiungere; imo libertate, qua Ipse nos liberavit, eo impensius legatione vestra functi estis, et eo arctiore nobis caritate copulati, quo validiore incursu oppugnati fuistis. Cuius quidem egregiae firmitatis splendidum etiamnum testimonium exhibuistis per datam epistolam, qua adeo libenti gratoque animo accepisse significatis documenta nostra, ut non modo plenissimo assensu iis adhaerere profiteamini, sed etiam spondeatis curaturos vos esse pro viribus, ut ita fidelium animis illa insideant, ut qui in viam perditionis abierunt, ad rectum salutis tramitem eorum opera revertantur. Vos profecto sicut et ceteri fratres nostri, qui vobiscum ita decertant, estis firmum Ecclesiae praesidium, estis corona, gaudiumque nostrum, quo tam iucunde afficimur, ut in vividiorem inde spem erigamur proximae illius victoriae, quam divina oracula in inferorum conatus prolata, et validissimum Immaculatae Deiparae patrocinium spondent Ecclesiae. Dignum hoc laborum vestrorum proemium vobis toto animo ominamur, et iuge in-

Digitized by Google

terim coeleste auxilium ad illud comparandum vobis a Deo adprecantes, divinae gratiae auspicem, praecipuaeque nostrae benevolentiae pignus unicuique vestrum, ven. fratres, omniumque dioecesibus benedictionem apost. peramanter impertimur. Datum Romae die 11 Mart. 1865.

---

6. Capitulo Ripanensi. Redditae sunt nobis observantissimae vestrae literae VIII Calendas huius mensis datae. Eisdem autem luculenter profitemini, vos, dil. filii, cum summo gaudio ac pari reverentia legisse Encyclicam Epistolam nostram die 8 mensis Decembris superiore anno ad omnes catholici orbis sacrorum Antistites scriptam, et Syllabum ea occasione nostro iussu editum. Ac vehementer laetamini, tot perniciosissimos errores, impiasque doctrinas a nobis fuisse proscriptas ac damnatas, quas ex animo reiicere, ac damnare gloriamini. Grati quidem nobis admodum fuere huiusmodi vestri sensus, ecclesiasticis praesertim viris omnino digni, ex quibus non mediocri voluptate intelleximus, qua singulari nos et hanc Ap. Sedem filiali pietate et observantia prosequamini, et qua religione praediti sitis. Quocirca ea profecto spe sustentamur, fore, ut vestrae vocationis, dignitatis, et officii memores, velitis quantum in vobis est sub propriis Antistitis ductu omnem operam, et industriam impendere, quo isti potissimum fideles studiosissime devitent, ac detestentur tot monstruosa errorum portenta, quibus Dei hominumque hostes omnium mentes animosque corrumpere, iura quaeque divina et humana dissolvere, ac ss. nostrae religionis et ipsius civilis societatis fundamenta, si fieri unquam posset, penitus evertere connituntur. Ne desinatis divitem in misericordia Deum humiliter enixeque orare, et obsecrare, ut exurgat et iudicet causam suam, et omnes Ecclesiae et Apost. huius Sedis inimicos humiliet, disperdat, eosque de impietatis via ad rectum iustitiae salutisque tramitem reducat. Denique paternae nostrae in vos caritatis pignus Apost. benedictionem toto cordis affectu vobis ipsis, dil. filii, peramanter impertimus. Datum Romae die 15 April. 1865.

Digitized by Google

7. Eppis Marcarum et Umbriae. Moerore quidem affecti sumus aliqua ex parte perlectis literis vestris, ubi tetricam malorum colluviem, quae per Italiam grassantur, graphice descriptam inspeximus. At laetitiae non mediocris et gratulationis sensus subiit animum nostrum, cum constantiam fidei, obedientiae, caritatis vestrae intueremur. Superabundavimus vero gaudio considerantes quosdam inter vos recenseri, qui vincula et persecutiones perpessi, catholicae veritatis confessores extiterunt, exemplum facti ceteris fratribus, ad quorum mores omnium vota et actus debent provocari; alios vero stationem suam tenere firmiter, licet difficillimo in loco positam et periculis obsitam, in qua specimen solidae virtutis egregium praebuerunt: omnes autem ad defensionem Evangelii paratos sanam doctrinam ultro complecti, quae ex hac arce veritatis illuxit, et una voce improbare errores, quibus depositum fidei, morumque sanctimonia corrumpitur. Id sane nos mirifice recreat et solatur, cum evidentem illam Ecclesiae notam exhibeat, a Christo ipso in caritate designatam, qua castra malignantium plane careant necesse est. Dum enim non est pax impiis, Ecclesia e converso in aeternum fraternitatis sibi cohaerentis veritate durabit. Utinam id animadvertant, qui incassum ipsam oppugnant, et stulti aliquando sapiant, ut poenitentia ducti fugiant venturam iram, et consentientis populi corpus unum gremio suo gaudens Ecclesia mater includat. Haec a Deo indulgentissimo enixe postulantes ne deficiamus animo, atque ut fiducia vestra augeatur, animusque ad optima quaeque petenda et expectanda erigatur, apost. benedictionem coelestis consolationis auspicem vobis, Clero et fidelibus sollicitudini vestrae concreditis peramanter impertimus. Datum Romae die 22 April. 1865.

---

8. Capitulo Firmano. Gratulamur vobis, quod licet iam diu egregio Pastore vestro viduati, sic praeclara eius vestigia sequamini, ut corpore tantum, non mente, vos ab ipso divulsos exhibeatis. Alacritas enim illa, qua excepistis documenta nostra; obsequium, quo damnandum tenendumve censuistis, quidquid a nobis proscriptum fuerat vel propositum;

Digitized by Google

gaudium conceptum ob profligatos errores, discussamque e fidelium mentibus ambiguitatis caliginem; grati animi sensus, quibus oblatos vidistis fidelibus indulgentiarum thesauros; ac studium, quod contulistis, ut populus huius dioecesis iis usus expiaret conscientiae sordes, divinamque sibi propitiaret clementiam: omnia sic referunt Antistitis vestri zelum et huic S. Sedi devotionem, ut vos plane dignos eius cooperatores ostendant, unoque cum ipso et eodem spiritu actos. Haec certe non minori illi solatio erunt quam nobis. Pergite impavidi, viriliter agite; inveniat ipse in vobis gaudium et coronam suam, et tandem gregi suo redditus, nullum ei vobis curantibus detrimentum illatum laetetur a circumeuntibus lupis. Proemium hoc nobilissimum sicuti firmitati eius et patientiae, sic fidei et laboribus vestris ominamur atque adprecamur a Deo. — Datum Romae die 3. Iun. 1865.

---

9. Eppo Fabrianensi et Matilicensi. Eo libentius excepimus novas observantiae caritatisque tuae significationes, quo facta verbis eloquentiora iis adstipulantur. Non enim satis esse duxisti proposuisse fidelibus tibi commissis documenta nostra per parochos, sed paratis ita animis et de rei gravitate monitis ipsas literas nostras posthabita temporum difficultate obvias esse voluisti. Quod sane obsequii testimonium ut nobis exhiberes etiam svavitate cumulatum, obtulisse etiam refers submittendam nobis stipem e proprio censu alienaque liberalitate congestam. Quam iucunde hac tua devotione afficiamur, et quam gratum tibi profiteamur animum, facile intelligere potes. Copiosam tibi Deus mercedem rependat, totique dioecesi tuae sic sua gratia faveat, ut e Iubilaeo praesertim, quod proposuisti, largam te messem referre concedat, et quae votis tuis plane respondens aperta praebeat auspicia copiosae illius misericordiae, qua tantopere egemus. — Datum Romae die 3. Iun. 1865.

---

10. Capitulo Tolentino. Periucunda fuere nobis vestri obsequii et dilectionis officia, quorum testem epistolam

Digitized by Google

elapso mense Maio datam habemus; ex qua perspectum nobis fuit, quanto studio huic Apost. Sedi, quam arcem veritatis Deus constituit, ac doctrinis, quae ex ea proficiscuntur, adhaereatis. Cum similia fidei et caritatis testimonia undique terrarum acceperimus, ex quibus non leve solatium in hac temporum calamitate nobis obvenit, profecto vobis in Domino gloriari licuerit, quod in eadem sententia et quasi concentu fidelium totius orbis coniuncti sitis, et pro virili parte ad levandum animum communis parentis caritatis vestrae officium contuleritis. Sit igitur gratia et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo, cuius nomine apost. bened. etc. Datum Romae die 7. Iun. 1865.

---

11. Capitulo S. Mariae Maioris Barulensi. Dum divino obsequentes praecepto ad fratres nostros errorum procella iactatos conversi eos confirmare nitimur, magno certe nobis solatio est, sic ab iis excipi documenta nostra et auxilia, ut non modo non ambigant de eorum utilitate et opportunitate, sed gratum etiam officiis nostris animum exhibeant. Idque eo iucundius nobis accidit, quod in huiusmodi obsequiis pignus tutissimum habeamus eorum fidei atque amoris, consertamque illam et firmam animorum unitatem videamus, quam et summopere expetimus, et Servator noster pro nobis instanter poposcit. At vos hisce devotionis testimoniis non contenti, sicuti iam alias iterum iterumque, sic nunc etiam collata stipe suppetias egestati nostrae afferre studuistis, eam scilicet propugnaturi regendae Ecclesiae docendique libertatem, quae a iuncta in nobis civili potestate munita, insidiose per illatam inopiam impetita fuit ab impiis. Dum itaque gratias agimus Deo per Iesum Christum pro omnibus vobis, in quibus fides ita se prodit, simul gratum vobis profitemur animum, et Patrem luminum rogamus, ut vobis semper praesto sit gratia sua, quo tandem exoptato iustitiae triumpho nobiscum laetari possitis. — Datum Romae die 10 Iun. 1865.

Digitized by Google

12. Capitulo Foro-Corneliensi. Absentes quidem corpore, spiritu autem praesentes, inter vos adhuc versari videmur, dum eandem in vobis experimur fidem, caritatem, observantiam, qua iam adeo delectabamur; imo eo obsequentiorem devotionem, quo potiore principalitate gaudet suprema ista Petri Sedes, ad quam, licet immerentes, fuimus elati. Nec leve nostris angoribus solatium est, quod non modo vos a nobis nullo pacto seiungere potuerint insidiae structae, adversi conatus, aerumnae: bene vero confirmaverint in data olim fide, eamque clariore luce perfuderint. Id tam aperte testantur postremae literae vestrae, addictissimique omnium animi comparationem ita significant, ut nihil iucundius exoptare valeamus. Confirmet Deus benedictione sua quod hactenus operatus est in vobis; nos certe id etiam atque etiam ab ipso poscimus, dum gratiae eius auspicem etc. Datum Romae die 10 Iun. 1865.

---

13. Capitulo Pactensi in Sicilia. Quem nobis moerorem ingerant illata ab impiorum artibus Ecclesiae detrimenta in ista praesertim meridionalis Italiae plaga, facile vos intelligitis, qui caritatis vinculo nobiscum iuncti ab ipso malorum aspectu dolorem hauritis. Nonnisi iucundum propterea nobis accidere potuit fidei vestrae atque observantiae testimonium, cum in atroci hoc bello religioni indicto Christi militum firmitas non levi solatio temperet dolorem a transfugis partum, aut ab iis, qui ignaviter terga dant hostibus. Summopere igitur delectati sumus officiis vestris ac votis, quibus ominamini, ut omnes tandem huius veritatis Cathedrae documentis obsequenter acquiescentes ei arctiore caritatis nexu iungantur. Sed vos quoque perficere conemini pro viribus, ac Patrem misericordiarum rogate, ut stantibus vires sufficiat, et offusas errorum tenebras ab eorum mentibus excutiat, qui a veritate defecerunt. Nos certe omnibus uberem a Deo gratiam adprecamur. — Datum ex arce Gandulphi die 18 Iul. 1865.

---

14. Capitulo Maceratensi. Laetitia ipsa, qua excepistis encyclicas literas nostras, adiectumque eis syllabum, aperte testatur, neminem e vobis esse, cuius menti obrepsisset error etsi fucatus, et qui detrimenta piis etiam animis ab illo inferenda averti non cuperet. Gratulamur itaque vobis, quod etsi proprio viduati pastore, et undique insidiis ac periculis circumsepti sic in bono malum vincatis ut nullam ex hoc infortunio noxam experiri videamini. Ceterum cum oculos habeatis iugiter intentos in hanc S. Sedem, eiusque documentis acquiescere proposueritis, id minime miramur; imo futurum confidimus, ut ista praelucente veritatis magistra omne deceptionis discrimen a fratribus etiam vestris amoliri valeatis, universumque huius dioecesis gregem incolumem sospitemque tandem exhibere futuro pastori. Non parum ad hoc contulisse speramus communem pietatem, qua Ecclesiae thesauros in animarum utilitatem et ad Deum propitiandum a nobis reseratos discimus exceptos; cetera a divina clementia ac sedulitate vestra expectamus. Rogamus itaque Deum, ut vos potentia sua tueatur, gratia confirmet, spiritu suo repleat, atque interim etc. Datum ex arce Gandulphi die 18 Iul. 1865.

---

15. Clero universo dioecesis Firmanae. Non possumus non vehementer gaudere et laetari, cum in hac praesertim tanta temporum perturbatione et iniquitate videamus viros ecclesiastico ministerio addictos, christiana inter se caritate coniunctos singulari erga sanctissimam nostram religionem amore, et immobili erga nos et hanc Apost. Sedem fide et observantia esse animatos. Hinc maxima cum iucunditate vestras accepimus literas, mense Iunio vertentis huius anni datas, quibus luculentas sane eximiae vestrae erga nos et hanc Petri cathedram pietatis et venerationis significationes uno ore edidistis, ac simul professi estis, cum summa laetitia ac reverentia vos excepisse encyclicam nostram epistolam die 8 Dec. superiore anno ad omnes ven. fr. totius catholici orbis sacrorum Antistites datam. Atque etiam significastis, in eadem encyclica vos eam salutarem lucem intueri,

Digitized by Google

quae in mediis seculi tempestatibus veritatis et iustitiae viam, ac salutis portum ostendit. Quocirca nihil vobis potius est, quam ex animo reiicere ac damnare tot perniciosissimos errores, ac pravas pestiferasque doctrinas a nobis damnatas et proscriptas. Equidem huiusmodi egregii vestri sensus, ecclesiasticis viris omnino digni, nos summopere delectarunt, ac non mediocri nobis solatio fuerunt inter gravissimas, quibus premimur, acerbitates. Ex eisdem autem vestris literis summa consolatione novimus uberes laetosque fructu-, qui divina adspirante gratia in istos fideles redundarunt ex sacro iubilaeo a nobis concesso, et per literas dil. filii nostri Philippi presbyteri S. R. E. Cardinalis de Angelis, aestantissimi vestri AEppi promúlgato, mense immaculata: Deiparae Virgini, Augustae coelitum Reginae potissimum sacro. Ea porro spe sustentamur, fore, ut vos omnes, vestrae vocationis et officii semper memores, et illustria commemorati vestri vigilantissimi Antistitis, qui propter Ecclesiae causam iamdiu carcerem et exilium patitur, exempla sectantes, velitis magis in dies summa alacritate et studio sub ipsius ductu omnia cuiusque propria sacri ministerii munia religiose obire, et animarum saluti accurate consulere, ac sacerdotali robore ss. nostram religionem eiusque doctrinam tueri, defendere, et nefarias impiorum hominum insidias, machinationes, errorcsque detegere, refellere, ac propulsare, et omnia conari, ut isti fideles in ss. nostrae religionis professione stabiles et immoti permaneant. Demum omnium coelestium donorum auspicem et praecipuae nostrae in vos caritatis testem apost. bened. etc. Datum Romae die 21 Sept. 1865.

---

16. Card. AEppo Pisano. Eae sunt postremae literae tuae, ut incerti haereamus, num ex fide et firmitate inde emicante, an e svavitate caritatis, qua scatent, dulcius perceperimus solatium. Sic enim amplecti profiteris, quidquid ab hac S. Sede praecipitur et traditur, adeo laetum te praebes ob demissum et alacre Cleri tui in eandem obsequium, sic te ad omnia pro veritate perferenda paratum exhibes, atque ita simul erigendo animo nostro studes, omnique ope

confirmando et fovendo, ut luculentiora magnanimitatis, zeli, dilectionis argumenta desiderare nequeamus. Quae sane officia iucundiora etiam facta esse sensimus a totius Cleri tui epistolis ideo ad te datis, ut per te nobis significaretur, omnes quotquot sunt, non modo sponte sed grato prorsus animo excepisse doctrinam nostram, facem in ea salutasse praelucentem inter tenebras monstrosarum opinionum ubique gliscentium, adhaesisse illi firmissime, execrari quidquid ipsa damnavit, tenere quidquid proposuit, eamque pro viribus et usque ad mortem constanter esse propugnaturos, ac indignanter idcirco foedissimam a se propulsare calumniam a nequam hominibus vulgatam, nempe ecclesiastica quidem auctoritate cogente invitos eos acquievisse documentis nostris, at intimo corde ea esse aversatos, idque, si licuisset, factis fuisse demonstraturos. Gratias Deo agimus, tibique gratulamur, quod huiusmodi Clero te plane digno fruaris, eiusque tam efficax experiaris auxilium, ut in adiunctis adeo trepidis ac miseris, et inter tot pericula et corruptionis artes, ipsius opera populum fere universum a saeviente quotidie errorum peste incolumem servatum esse laetari valeas. Significa illis, quantam ex hac eorum cum te et per te nobiscum coniunctione voluptatem hauriamus, et quanto perfundamur gaudio ab ipsorum tam sedula villicatione. Dominus agri certe dignam eis mercedem retribuet, ipsique tua corona erunt, cum te ab huius seculi laboribus evocatum in aeterna sua tabernacula recipiet. Nos universis et singulis toto corde bene precamur, et uberiores semper ominamur uniuscuiusque sedulitati fructus, dum tibi totique dioecesi tuae benedictionem apost. paternae caritatis nostrae praecipuaeque benevolentiae pignus peramanter impertimus. Datum Romae die 28 Oct. 1865.

---

17. AEppo Smyrnensi, Asiae Minoris Vicario Apostolico. Gratae nobis admodum fuere literae die 20 proximi mensis Octobris datae, atque a te dilectisque filiis istius metrop. templi canonicis, aliisque istius utriusque cleri viris per te in eundem locum in Domino congregatis subscriptae. Non mediocri enim animi nostri voluptate ex

Digitized by Google

psis literis novimus, quomodo tibi et eisdem eccl. viris, illustria apostolici viri et invictissimi Martyris S. Polycarpi, clarissimi Smyrnensium Antistitis vestigia sequi, ac summa pietate et observantia nobis et huic Petri Cathedrae, omnium Ecclesiarum matri et magistrae, et catholicae unitatis veritatisque centro firmiter constanterque adhaerere. Atque intelleximus etiam, quanto cum gaudio et reverentia fuerit a te, et commemoratis eccles. viris excepta Encyclica nostra epistola ad omnes totius catholici orbis sacrorum Antistites die 8 Dec. anno proximo superiore data, adiectusque Syllabus, et quomodo a te et ab eisdem eccl. viris ex animo reiiciantur et damnentur tot perniciosissimi errores, impiaeque doctrinae a nobis proscriptae et damnatae. Equidem huiusmodi tuae eorumque eccles. hominum declarationes omni laude dignissimae ingentem nobis attulerunt consolationem inter gravissimas, quibus premimur, acerbitates, a Dei hominumque hostibus excitatas, qui luctuosissimis hisce temporibus acerrimum Catholicae Ecclesiae, huic Apost. Sedi, nobisque bellum nefariis ac sacrilegis quibusque ausibus inferre, ac iura omnia divina et humana conculcare non desinunt. Cum autem haud ignoremus, quo sacerdotali zelo sis incensus, idcirco non dubitamus, quin divino auxilio fretus in istius dioecesis et Vicariatus regionibus ss. religionis nostrae causam doctrinamque magis in dies strenue tuearis, defendas, istosque fideles tuae curae traditos ab venenatis pascuis arceas, ad salutaria propellas, omnesque Christo lucrifacere studeas. Ac certi quoque sumus te nihil unquam intentatum esse relicturum, ut viri divino ministerio addicti, digne ambulantes vocatione qua vocati sunt, virtutum omnium exempla christiano populo exhibeant, ac te duce proprii ministerii munia sancte, scienter, seduloque obeant, et in sempiternam hominum salutem procurandam, in tot monstrosa opinionum portenta profligandа totis viribus incumbant. Ne omittas una cum tuo clero populoque fideli divitem in misericordia Deum indesinenter orare et obsecrare, ut exurgat et iudicet causam suam, et omnes Ecclesiae suae sanctae et apostolicae huius Sedis inimicos humiliet, illosque de iniquitatis via ad rectum iustitiae veritatisque tramitem reducat. Tibi autem persvade, praeci-

puam esse nostram in te benevolentiam. Cuius quoque pignus esse volumus apost. benedictionem etc. Datum Romae die 16 Nov. 1865.

---

18. Card. Eppo Anconitano. Ne quid de te dicamus, quem semper nobis addictissimum experti sumus, ipsa vetustas et constantia fidei huius Cleri tui adeo certam devotionem eius huic S. Sedi faciebant apud nos, ut nullo pacto dubitare possemus de obsequio ipsius in documenta, quibus serpentes proscripsimus errores, et de perfecta eiusdem adhaesione propositis doctrinis. Conceptum idcirco tuis illiusque literis observantiae testimonium libentissime excepimus, potius uti apertam professionem contestationemque, obiiciendam hostibus Ecclesiae iungendamque catholici orbis vocibus, quam uti vadem reverentiae, aliunde exploratae, in hanc Petri Cathedram. Gavisi sumus autem eo studio, quo idem Clerus tuus enixius adprecaturus sibi totiusque populi fidei integritati coeleste patrocinium, potestatem sibi fieri postulavit, colendi Sanctos Romanos Pontifices eo peculiari officio, quod die Dominico non impedito SS. Principum Apostolorum Octavae proximiore persolvi consvevit a Clero Romano. Libentissime propterea iam id indulsimus, SS. Decessores nostros, quorum memoria novo hoc apud vos celebrabitur honore, rogantes, ut validius semper Pastorem, Clerum ac populum universum e coelo tueantur, omnique perfidia a finibus vestris abacta, integrum servent et arctiore nobis caritatis nexu coniunctum. Caelestis autem huius favoris omniumque gratiarum auspicem bened. etc. Datum Romae die 29 Nov. 1865.

1595.

Pius IX Papa in Allocutione Consistoriali de 27 Mart. 1865. laudem tribuit Praesulibus orbis catholici, et signanter Eppis Italiae, quod iura Ecclesiae multipliciter laesa reclament, et defendant.

Nullo modo temperare nobis possumus, quin hac etiam occasione in amplissimo vestro consessu meritas summasque

Digitized by Google

laudes tribuamus ven. fratribus catholici orbis sacrorum Antistitibus, qui in tanta contra divinam nostram religionem coniuratione, tantaque multorum hominum depravatione luculentissimam nobis solatii, gaudii, et consolationis causam quotidie magis suppeditant inter gravissimas, quibus affligimur, acerbitates. Siquidem iidem ven. fratres nobis et huic Petri Cathedrae omnium Ecclesiarum matri et magistrae miro sane amore et obsequio ex animo obstricti, nullisque deterriti periculis, aerumnis, et omni respectu humano posthabito, planeque neglectis iniustis decretis a civili auctoritate contra Ecclesiam editis, catholicam veritatem et unitatem, ac supremam nostram et Ecclesiae atque huius Apost. Sedis potestatem, auctoritatem, libertatemque, et iura qua voce, qua scriptis animo invicto tutari ac vindicare summopere gloriantur, ac simul recentissimis etiam suis literis tum ad nos tum ad fideles eorum curae commissos datis laetantur palam publiceque ea omnia reiicere ac damnare, quae a nobis damnantur, neque omittunt sacerdotali robore obsistere nefariis inimicorum hominum consiliis conatibusque, ac fideles sibi traditos sana doctrina imbuere, et ad salutis semitas perducere. Quo iustissimarum laudum praeconio inprimis dignissimi sunt ven. fratres Italiae sacrorum Antistites. Etenim ipsi quamvis gravioribus adversantium iniuriis et insectationibus obnoxii, omnibusque modis exagitati, tamen ministerium suum strenue implentes, numquam destiterunt nec desinunt singulari animorum consensione eppalem attollere vocem, ac vehementer reclamare, et protestari contra singulas reprobandas iniustissimasque leges a Subalpino Gubernio adversus Ecclesiam eiusque sacra instituta, ministros, ac iura latas, et adversus innumeros fere ac prorsus sacrilegos ausus ab eodem Gubernio admissos. Atque iidem Italiae Eppi admirabili sane virtute et constantia pro Christo eiusque Ecclesia fortiter dimicantes, ac de proprii gregis salute solliciti exilium etiam et carcerem, et aspera quaeque tolerare non pavent, illustria Apostolorum vestigia sectantes, qui ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Quapropter dum gravissimos eorumdem ven. fratrum angores ex corde dolemus, eorumque passiones

nostras proprias arbitramur, nostrasque lacrimas cum eorum lacrimis commiscemus: humillimas amantissimo misericordiarum Patri ac Deo totius consolationis agimus gratias, quod videamus singulari divinae suae gratiae auxilio Catholicos Eppos nobis et huic S. Sedi addictissimos, et fidei spiritu vehementer vigere, et pro Ecclesiae suae sanctae defensione viriliter pugnare. Vos interim, ven. fratres, in tanta temporum asperitate, in tanto animarum discrimine pergite pro egregia vestra religione ferventissimas una nobiscum Deo sine intermissione adhibere preces, ut hanc Apost. Sedem tot iniuriis divexatam, Ecclesiam tot vulneribus laceram, et christianam civilemque rempublicam tot calamitatibus afflictam omnipotenti sua virtute adiuvet et consoletur, atque divinae suae gratiae et misericordiae divitias super omnes propitius effundens, efficiat, ut omnes populi, gentes, nationes ipsum, et quem misit, Unigenitum Filium suum D. N. I. C. agnoscant, diligant, vereantur, collaudent, et omnia mandata eius diligenter servantes eam instent viam, quae ducit ad vitam.

1596.

Pius IX PP. Allocutione Consistoriali 25 Sept. habita reprobat et damnat Societatem sic dictam Massonicam, Ecclesiae et Civitati infestam. 1865.

Multiplices inter machinationes artesque, quibus christiani nominis hostes adoriri Ecclesiam Dei, eamque irrito licet conatu labefactare atque exscindere ausi sunt, recensenda procul dubio est perversa illa hominum societas, quae massonica vulgo nuncupatur, quaeque in latebris primum, tenebrisque coacta in communem exinde perniciem religionis humanaeque societatis erupit. Cuius insidias ac fraudes ubiprimum detexerunt praedecessores nostri Romani Pontifices, pastoralis officii memores nihil morae interponendum existimarunt, quominus sectam illam scelus anhelantem, multa ac nefaria rei sacrae et publicae molientem auctoritate sua coërcerent, ac damnationis sententia tamquam iaculo confoderent et profligarent. Enimvero Clemens XII praed. noster aposto-

licis suis literis eandem sectam proscripsit, reprobavit, et fideles universos ab illa nedum ineunda, sed vero etiam quovis modo promovenda iuvandaque deterruit, indicta excommunicationis poena ipso facto incurrenda, et per Romanum duntaxat Pontificem relaxanda. Quam porro iustam ac debitam damnationis sententiam Benedictus XIV edita Constitutione confirmavit, Summosque Catholicos Principes excitare haud praetermisit, ut ad convellendam perditissimam sectam, et a communi periculo propulsandam vires omnes curasque conferrent. Atque utinam Supremi iidem Principes decessoris nostri vocibus aures praebuissent! utinam in causa tam gravi non remissius egissent! numquam certe fuissent deplorandi nostra patrumque memoria tanti seditionum motus, tanta bellorum incendia, quibus Europa universa conflagravit, tanta denique malorum acerbitas, quibus afflictata est, atque adhuc afflictatur Ecclesia. Iamvero quum improborum furor minime conquiesceret, recens ortam Carbonariorum sectam, in Italia praesertim longe lateque propagatam Pius VII praed. noster anathemate perculit, parique incensus animarum studio Leo XII tum superiores, quas memoravimus, clandestinas societates, tum quascunque alias quovis tandem nomine appellatas, quae contra Ecclesiam, civilemque potestatem conspirarent, apostolicis suis literis condemnavit, atque universis fidelibus sub gravissima excomm. poena prohibuit. Attamen impensa haec Apost. Sedis studia haud illum habuerunt exitum, qui fuisset expectandus. Neque enim domita et cohibita unquam est massonica haec, de qua loquimur, secta, verum ita longe lateque diffusa, ut difficillimo hoc tempore ubicunque gentium impune se iactet, atque audacius efferatur. Quam rem inde nos repetendam magna ex parte existimavimus, quod plerisque ignorantia fortasse iniquorum consiliorum, quae in clandestinis iis coetibus agitantur, falsa inscderit opinio, innoxium hoc esse societatis genus atque institutum, quod in adiuvandis hominibus eorumque revelandis aerumnis unice versetur, nihil proinde contra Ecclesiam Dei ex illo esse pertimescendum. Id vero quantopere abhorreat a veritate, ecquis non intelligat? Quid enim sibi vult illa hominum cooptatio, cuiuscunque tandem religionis et fidei sint? Quid

Digitized by Google

illa sibi volunt clandestina conventicula, quid severissimum iusiurandum ab iis prolatum, qui huic sectae initiantur, numquam se quidquam patefacturos, quod pertinere ad illam possit? quo tandem spectat inaudita poenarum atrocitas, quibus se devovent, si forte a iuramenti fide desciscant? Impia certe quidem ac nefaria ea societas sit, oportet, 'quae diem lucemque tantopere reformidat; qui enim male agit, ut scripsit Apostolus, odit lucem. Iamvero quam longe dissimiles ab hac dicendae sunt piae fidelium societates, quae in Catholica Ecclesia florescunt. Nihil in eis retrusum atque abditum; patent omnibus leges, quibus reguntur; patent quae iuxta Evangelii doctrinam exercentur opera caritatis. Atqui catholicas huiusmodi sodalitates tam salutares, tam excitandae pietati recreandisque pauperibus opportunas oppugnari alicubi, et vero etiam deleri non sine dolore videmus, dum contra fovetur, vel saltem toleratur tenebricosa massonica societas, tam Ecclesiae Dei inimica, tam periculosa etiam securitati regnorum! Illud vero graviter nos et acerbe ferimus, quod in huiusmodi reprobanda secta iuxta decessorum nostrorum constitutiones, segnes nonnullos esse et quasi indormientes videamus, quos in re tam gravi commissi muneris et officii ratio excitatissimos poscit. Quodsi qui in hac opinione versantur, Apostolicas Constitutiones contra occultas sectas, earumque asseclas et fautores sub poena anathematis editas nullam habere vim iis in regionibus, ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur: ii certe vehementer errant, ac nos pravae huius doctrinae commentum alias, ut scitis ven. fratres, reprobavimus, iterumque hodierno die reprobamus et condemnamus. Numquid enim suprema illa pascendi regendique universi dominici gregis potestas, quam in persona beatissimi Petri a Christo Domino acceperunt Romani Pontifices, ac supremum inde quod exercere in Ecclesia debent magisterium, a civili pendeat potestate, aut aliqua ratione coërceri ab illa possit et coarctari?

Quae cum ita sint, ne minus cauti homines iuvenesque inprimis decipiantur, ac ne ex nostro silentio aliqua tuendi erroris arripiatur occasio, apostolicam attollere vocem decrevimus: atque hic in consessu vestro memoratas praedecesso-

Digitized by Google

rum nostrorum constitutiones confirmantes, massonicam illam aliasque eiusdem generis societates, quae specietenus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinentur, auctoritate nostra apostolica reprobamus et condemnamus, atque ab omnibus Christifidelibus cuiuscunque conditionis, gradus ac dignitatis, et ubicunque terrarum sint, tamquam per nos proscriptas et reprobatas haberi volumus sub iisdem poenis, quae in memoratis praedec. nostrorum constitutionibus continentur. Nunc, quod reliquum est, pro paterni animi nostri studio monemus et excitamus fideles, qui forte eiusmodi sectis nomen dederint, ut ad saniora se consilia recipiant, funestosque illos coetus et conventicula deserant, ne in sempiternae ruinae barathrum prolabantur; reliquos vero fideles omnes, pro sollicita qua urgemur animarum cura vehementer hortamur, ut a dolosis sectariorum labiis caveant, qui quamdam honesti speciem praeseferentes, contra Christi religionem et legitimos principatus inflammato odio feruntur, idque unum spectant atque agunt, ut iura quaeque tam divina quam humana pessumdent. Noverint hos sectarum gregales tamquam lupos esse, quos ovium pelle contectos ad exitium gregis venturos praedixit Christus Dominus; noverint in eorum numero esse habendos, a quorum consvetudine, congressuque sic nobis interdixit Apostolus, ut nec ‚ave' illis dicere diserte praeceperit. Faxit nostrum omnium precibus exoratus dives in misericordia Deus, ut auxiliante gratia sua redeant insipientes ad cor, errantesque in viam iustitiae reducantur; faxit, ut compresso hominum perditorum furore, qui per supra memoratos coetus impia ac nefaria moliuntur, a tam multis tamque inveterátis malis recreari aliquando tum Ecclesia tum humana societas possit. Quae ut nobis ex votis succedant, deprecatricem apud clementissimum Deum adhibeamus SS. Virginem Dei ipsius Matrem ab origine immaculatam, cui datum est Ecclesiae hostes atque errorum monstra confringere; necnon patrocinium imploremus beatorum App. Petri et Pauli, quorum glorioso cruore alma haec urbs consecrata est. Horum ope atque auxilio, quod a divina bonitate flagitamus, facilius nos assecuturos confidimus.

Digitized by Google

1597.

Rescriptum S. Congreg. Officii seu Inquisitionis ad Praesules Americae de secta fratrum Fenoram seu Fenianorum. 1865.

AEppis Baltimorensi, Cincinnatensi, ac Neo-Eboracensi, necnon Eppis Albanensi, Bostoniensi, Brooklinensi, Buffalensi, Burlingtonensi, Hartfordiensi, Newarcensi, ac Portlandensi. Plura ad S. Sedem delata sunt circa Societatem, quae appellatur Fratrum Fenorum aut Fenianorum, eaque Supremae Congregationi Universalis Inquisitionis submissa fuere, ut, quid de illis sentiendum foret, decerneretur. Porro SSmus Dnus noster Pius Papa IX audito Eminentissimorum Inquisitorum suffragio, Amplitudini tuae notificandum mandavit decretum fer. IV de 5 Aug. 1846, quod sic se habet: Societates occultae, de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando. Voluit praeterea Sanctitas Sua, ut tibi subiungeretur, recurrendum esse ad S. Sedem, et quidem omnibus ad amussim expositis rerum adiunctis, si quae forte difficultates in applicatione praedicti decreti inveniantur. Quoniam vero recenter assertum est in quibusdam foliis periodicis, ac signanter in The Connaught Patriot, declarationem prodiise a Sede Apostolica, iuxta quam Feniani inquietandi non essent, idcirco Suprema Congregatio S. Officii Amplitudini tuae significandum decrevit, praedictam assertionem omnino falsam fuisse. Romae, 13 Iul. 1865. M. Card. Barnabo, Praef. — H. Capalti, Secr.

Digitized by Google

1598.

Epistola Card. Praefecti S. Congr. Conc. ad Eppos, qui pro centenaria SS. Petri et Pauli festivitate Romam conduxerunt, de nonnullis disciplinae eccles. capitibus. 1867.

Quum SS. Dnus noster Pius Papa IX in supremo apostolici ministerii fastigio speculator a Deo datus sit domui Israel, ideo si ulla sese offerat opportuna occasio, qua veram populi christiani felicitatem promovere, vel mala eidem illata ac etiam tantummodo forsan impendentia agnoscere queat, eam nulla interposita mora arripit et amplectitur, ut providentiae et auctoritatis suae studium impense collocet, aut aptiora remedia alacriter adhibeat. Iam vero in hac tanta temporum rerumque acerbitate nonnisi singulari Dei beneficio sibi datum iudicans, quod in proxima festiva celebritate centenariae memoriae de glorioso SS. App. Petri et Pauli martyrio, et canonizationis tot christianae religionis heroum, amplissimam pulcherrimamque solio suo coronam faciant nedum S. R. E. Cardinales, sed etiam Rmmi Eppi ex omnibus terrarum partibus profecti, periucunda eorumdem praesentia et opera sapienter sibi utendum statuit, mandavitque Eppis in Urbe praesentibus quasdam proponi quaestiones circa graviora ecclesiasticae disciplinae capita, ut de vero illarum statu certior factus id suo tempore decernere valeat, quod in Domino expedire iudicaverit. Quae sint huiusmodi disciplinae capita, super quibus ex mandato Sanctitatis Suae haec S. Concilii Congregatio ab Amplitudine tua relationem et sententiam, quantum ad tuam dioecesim pertinet, nunc exquirit, luculenter prostant in syllabo quaestionum, quem hic adnectimus. Si quid vero aliud forte sit, quod abusum sapiat, aut gravem in urgenda sacrorum canonum executione difficultatem involvat, ti .. exponere et declarare integrum erit: Apostolica namque Sedes re matureperpensa succurrere et providere, prout rerum ac temporum ratio postulaverit, procul dubio non remorabitur. Ne autem ad hanc relationem perficiendam Dominationi tuae congrua temporis commoditas desit, trium vel quatuor, si opus fuerit, mensium spatium a

Digitized by Google

die praesentium literarum conceditur. Ceterum eandem relationem mittendam curabis ad ipsam Sanctitatem Suam, vel ad hanc S. Congregationem. — Romae ex S. Congr. Concilii, die 6 Iun. 1867. P. Card. Caterini, Praef. — Petrus AEp. Sardianus, Prosecret.

Quaestiones. 1. Utrum accurate serventur canonicae praescriptiones, quibus omnino interdicitur, quominus haeretici vel schismatici in administratione baptismi patrini munere fungantur? — 6. Dolendum summopere est, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae literis severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur pluribus in locis ab Ecclesiae auctoritate moderatrice, vi et influxu, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad Imperantium placita, et ad communium aetatis opinionum amussim; quidnam itaque effici posset, quo congruum tanto malo remedium afferatur, et Christifidelibus suppetat catholicae instructionis et educationis adiumentum? — 11. Utrum Sede Eppali ob mortem vel renunciationem vel translationem Eppi vacante, Capitulum Ecclesiae cathedralis in Vicario Capitulari eligendo plena libertate fruatur? — 17. Quidnam circa sacra coemeteria adnotandum sit, quinam hac de re abusus irrepserint et quomodo tolli possent? — Acta S. Sedis. Romae. 1867. III. 87.

II. Monumenta Russica, Polonica.

1599.

Pii IX Breve ad Eppos Poloniae Russicae in merito multiplicium persecutionum Ecclesiae ac Religionis Cath. ex parte Gubernii Russici suscitatarum. 1864.

Ubi Urbaniano in Collegio christianae fidei propagandae huius almae nostrae Urbis die 24 proximi mensis Aprilis, invicto Christi Martyri S. Fideli a Sigmaringa sacro, vehe-

Digitized by Google

menter lamentati sumus miseram et numquam satis deplorandam Poloniae Regni conditionem, et male consultum motum ibi contra potentissimum Principem excitatum: significavimus etiam, nos in publicis ephemeridibus legisse severissima sane consilia a Russico Gubernio suscepta non solum ad eundem motum comprimendum, verum etiam ad Catholicam Religionem eodem in regno sensim extirpandam. Atque eodem tempore manifestavimus, oportere huiusmodi tristissimos nuncios indubitato modo ac maiore auctoritate comprobari, quandoquidem publicis ephemeridibus plena fides adhiberi semper nequit. Nunc vero ex pluribus variisque fide dignis testimoniis ad nos perlatis cum incredibili animi nostri dolore agnovimus, ven. fratres, verissimas esse acerbitates, quibus a Russico Gubernio catholica Ecclesia, eiusque ministri et cultores magis in dies divexantur ac lacerantur. Etenim certo scivimus, idem Gubernium, iamdiu Cath. Ecclesiae summopere infensum, omnesque ad funestissimum schisma pertrahere exoptans, excitatae perturbationis praetextu sanctissimam nostram Religionem omnesque catholicos quibusque modis acriter insectari. Hinc Conventione cum nobis et hac S. Sede inita numquam plenae executioni mandata, ac publicis pactis de cath. religione in Poloniae regno tuenda plane despectis, plurimisque editis legibus et decretis rei catholicae maxime adversis, Gubernium idem numquam intermisit catholica scripta interdicere, et libros ephemeridesque catholicae doctrinae omnino repugnantes, et in Christi hic in terris Vicarium et Apost. hanc Sedem summopere iniuriosas, atque ad Polonum praesertim populum depravandum accomodatas disseminare, et communicationem cum nobis et hac Apost. Sede praepedire, et iuramentum divinis legibus contrarium praescribere, et populum contra catholicos sacerdotes excitare, et prohibere ne praedicari ac doceri queat discrimen, quod inter catholicam veritatem et schisma intercedit, et gravissimis constitutis poenis impedire, quominus aliquis ex infelici schismate emergere, et ad cath. ecclesiae sinum redire possit. Hinc Religiosi viri ex suis coenobiis deturbati, eorumque Monasteria militaribus stationibus destinata, et Catholici Eppi a sua dioecesi abrepti, et exilio mulctati, et

Digitized by Google

innumeri fere catholici graeci ritus subdolis quibusque machinationibus iamdiu in schisma violenter tracti, et impediti ad redeundum in Cath. Ecclesiae gremium veluti exoptarent, ac innumerabiles etiam latini ritus Catholici per mixta praesertim matrimonia Catholicae Ecclesiae erepti, et pueri catholicis parentibus orbati sub tutelae praetextu in longinquas regiones amandati, a catholico cultu avulsi, et in schismatis discrimen adducti. Hinc innumeri cuiusque generis, aetatis, sexus, et conditionis catholici summopere afflicti, et in remotissimas terras transducti, et catholicorum templa direpta, polluta, ac in cultum acatholicum vel in militares stationes conversa, et catholici sacerdotes miserandum in modum vexati, suisque bonis spoliati ad tristem paupertatem redacti, ac vel in exilium pulsi, vel in carcerem detrusi, vel etiam necati, propterea, quod in acie vulneratis morientibusque sacri ministerii opem, auxiliumque ferre haud omiserunt. Accedit etiam, ut cum presbyteri tum laici in exilium missi omni sanctissimae nostrae religionis solatio praesidioque carere debeant, utque Lithuaniae Catholicis optio data fuerit vel exules abeundi in disiunctissimas regiones, vel deficiendi a Catholica Religione. Haec et alia sane lugenda a Russico Gubernio contra Cathol. Ecclesiam indesinenter patrantur. Equidem nos immenso moerore confecti, lacrimas continere non possumus, cum videamus, vos, ven. fratres, ac dilectos filios fideles catholicos omnibus illis gravissimis insectationibus obnoxios, quibus commemoratum Gubernium catholicam fidem et religionem tum in Poloniae regno, tum in aliis praesertim illius Imperii regionibus ad ultimum discrimen adducere conatur.

At etiam in hoc acerrimo bello, a Russico Gubernio Catholicae Ecclesiae eiusque sacris iuribus, ministris, rebusque illato, alium novum prorsus in Ecclesiae fastis, et ante hunc diem inauditum ausum lamentari et exprobrare cogimur, ven. fratres. Siquidem Gubernium idem non solum ven. fratrem Sigismundum, egregium omnique laude dignum Varsaviensem AEppum, a suo grege divulsum, in longinquas regiones amandavit, verum etiam non dubitavit decernere, eundem ven. fratrem eppali in Varsaviensem dioecesim auctoritate

Digitized by Google

et iurisdictione esse privatum, et neminem e sua dioecesi cum ipso posse communicare, et in eius locum sufficere veluti dioecesis administratorem dil. filium Paulum Rzewuski eius Vicarium Generalem, et Eppum Prusensem in partibus infidelium iam a nobis electum ac Suffraganeum eiusdem Varsaviensis Antistitis designatum. Verba quidem desunt, ven. fratres, ad huiusmodi factum reprobandum ac detestandum. Ecquis enim non vehementissime mirabitur, cum sciat eo devenisse Russicum Gubernium, ut perperam autumet et audeat Eppos, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, sacra eorum auctoritate, ipsis a Deo tradita, et nullo prorsus modo laicae potestati unquam obnoxia, privare, eosque a propriae dioecesis regimine et procuratione amovere? Dum autem haec reprobamus et damnamus, eodem tempore clare aperteque declaramus, neminem memoratae ordinationi posse obedire, omnesque Varsaviensis dioeceseos fideles debere eidem ven. fratri Sigismundo sedulo obtemperare, qui verus, legitimusque est Varsaviensis Antistes. Nihil vero dubitamus, quin idem dil. filius Paulus Rzewuski sui officii probe memor, huiusmodi Russici Gubernii mandato minime obsequens, pergat Vicarii Generalis munere fungi, sibi commisso a ven. fratre Sigismundo AEppo Varsaviensi, suo legitimo Antistite, eique in omnibus diligentissime obedire.

Iamvero, ven. fratres, dum coelum ac terram testes invocando, de omnibus, quae in Poloniae regno aliisque Russici Imperii regionibus contra cath. Ecclesiam, eiusque sacrorum Antistites, ministros, iura, patrimonium, ac dilectos ipsius Ecclesiae filios gesta sunt et geruntur, vehementer expostulamus, et etiam atque etiam querimur persecutionem, quam Russicum Gubernium contra Ecclesiam gerere non desinit: absit, ut ullo modo probare velimus male consultos motus in Polonia misere excitatos. Omnes enim norunt, quanto studio Catholica Ecclesia semper inculcaverit, ac docuerit, omnem animam subditam esse potestatibus sublimioribus, omnesque civili auctoritati subiectos esse, debitamque obedientiam praestare omnino debere in iis omnibus, quae Dei eiusque Ecclesiae legibus non adversantur. Equidem summopere dolendum, huiuscemodi motus Russico Gubernio ansam dedisse ad ca-

Digitized by Google

tholicam quotidie magis divexandam et opprimendam Ecclesiam. Dum autem eiusmodi christianae civilique reipublicae funestissimos motus reprobamus ac damnamus, haud possumus quin omnibus Summis populorum Principibus vehementer inculcemus, ut, quantum in ipsis est, omnia conentur, ne in eos gravissima illa cadant divinae Sapientiae ad Reges verba: ‚Quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem institiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis; horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.‘ Atque etiam omnes Summos Principes maiore qua possumus animi nostri contentione hortamur et rogamus, ut aliquando intelligere, animadvertere ac noscere velint, quod populi, cum a sanctissima nostra religione eiusque salutari doctrina, atque a debita erga Deum eiusque Ecclesiam et leges obedientia, et a libera cum hac S. Sede communicatione amoti fuerint, tum perniciosissimis quibusque erroribus vitiisque depravantur, et idcirco evenit, ut iidem populi timore et pietate erga Deum sublata, svavique religionis iugo exuto, et plane abiecta obedientia, quae Deo eiusque Ecclesiae et legibus omnino debetur, in effrenatam vivendi agendique licentiam misere prolabantur, et ambulantes secundum sua desideria in impietatibus, dominationem spernant, maiestatem blasphement, et contra Principes insurgant, eisque obedire recusent.

In summa vero animi nostri moestitia ad tantam malorum congeriem, quae vos, ven. fratres, et fideles curae vestrae commissos premit, non parum certe nos reficit et consolatur egregia vestra in Ecclesia tuenda, tantisque in laboribus aerumnisque propter cath. fidem perferendis virtus et constantia. Et quoniam optime nostis, beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ac pulcherrimum et gloriosissimum esse pro nomine Iesu contumeliam pati, eumque salvum fieri, qui perseveraverit usque in finem: idcirco nihil dubitamus, quin vos confortati in Domino, et in potentia

Digitized by Google

virtutis eius, pergatis animo invicto pro Dei, eiusque sanctae Ecclesiae defensione, animarumque salute fortiter dimicare, memoria repetentes, quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Atque idcirco has vobis scribimus literas, quibus eppalem vestram in tantis tolerandis angustiis fortitudinem, et in grege vestrae curae concredito vigilantiam magis magisque in Domino excitamus, ut nullis curis, nullis consiliis, nullisque laboribus parcere unquam velitis, quo fideles vobis commissi abstinentes se ab omni specie mali, nullisque deterriti periculis in catholicae fidei et religionis professione quotidie magis stabiles et immoti permaneant, et numquam ab eiusdem fidei religionisque hostibus se decipi, et in errorem induci patiantur. Ac ipsos fideles nobis concreditos nobisque carissimos omni paterni animi nostri affectu et studio monemus, exhortamur, et obtestamur, ut catholicam fidem, religionem ac doctrinam, quam singulari Dei beneficio acceperunt, constantissime profitentes, et cetera omnia posteriora existimantes, per semitas mandatorum Dei sedulo ambulent, iisque omnibus instent operibus, quae caritatem vel in Deum vel in proximum praeseferunt, quaeque Cath. Ecclesiae filios omnino decent. Persvasissimum autem vobis sit, nos in humilitate cordis nostri ferventissimas diu noctuque sine intermissione clementissimo misericordiarum Patri et Deo totius consolationis offerre preces, ut vos induat virtute ex alto, ac divina sua dextera protegat, custodia defendat, et exurgens iudicet causam suam, et Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus isthic divexatur, calamitatibus eripiat, et inimicorum suorum superbiam elidat, eorumque contumaciam omnipotenti sua virtute prosternat, et uberrima quaeque suae bonitatis dona super vos et fideles vobis traditos propitius semper effundat. Atque horum auspicem, et certissimum perculiaris, qua vos in Domino complectimur, benevolentiae pignus apost. benedictionem ex intimo corde depromtam vobis ipsis, cunctisque clericis laicisque fidelibus vestrae vigilantiae concreditis peramanter impertimus. Datum ex arce Gandulphi, die 30 Iul. 1864.

Digitized by Google

1600.

Literae Episcopi Aurelianensis ad Clerum, quibus infelices Polonos precibus et subsidiis iuvari desiderat. 1864.

Communicandam censui DD. Vris provocationem quam Clerus Poloniae ad Clerum Catholicum nuper dimisit. Hoc monumentum reperi in religiosis pagellis [1]) quas multum laudo a perseverante sympathia, qua in Polonos ferri non desistunt. Nescio, num magnum sit futurum huius provocationis echo! Eheu! haec est iniqua sors illorum, qui pro iustitia patiuntur: quod iterata expositione suorum dolorum taedium procurent. Omnia nempe fastidium causant, ipsa misericordia quoque! Quod ad me attinet, etsi solus essem, tantum clamorem surda aure excipere, talibus doloribus non moveri non possem. Nos, nos Sacerdotes fideles amici sumus supremi momenti. Dum omnia adhibita fuere, dum scientia victa succubuit, dum amicitia obmutuit, dum animo indifferentes recesserunt, proximi desperarunt, inimici triumpharunt et mors appropinquat, tunc Minister Iesu Christi vocatur; — Sacerdos comparet, et quamvis fors ad ferale pegma victimam comitari debeat, ille in medio turbae mirantis illud conscendit, neque desinit consolari, benedicere, precari; tum venit momentum, quo ingeminat: „Fili S. Ludovici, fili S. Patritii, vel S. Hedvigis, proficiscere in coelum“ et ante mortem, resurrectionem annunciat. Misera Polonia! tu quoque in agone tuo Sacerdotem appellas. Aures nostrae apertae sunt; et ego saltem hanc supremam Cleri tui nationalis vocem, tanto patriae amore, tantisque generosis sensibus plenam meis Sacerdotibus annuncio. En illam:

Vox Sacerdotum Poloniae ad Venerabilem Clerum totius orbis.

In medio calamitatum, infortuniorum et inauditarum persecutionum, — quibus quaecunque alia natio, praeter polonicam, succumberet, — nos Sacerdotes Poloni, filii sanctae, ca-

---

[1]) Journal des Villes et des Campagnes 18. jul. 1864

Digitized by Google

tholicae, Apostolicae et Romanae Ecclesiae, vocem nostram ad Vos, Ven. Fratres, dirigimus, ut vobis nostros dolores, nostrosque cruciatus exponamus. A centum prope annis inimici nostri, Germani et Moscovitae inauditis proditionis artibus nostram patriam discerpserunt. A centum propediem annis gementes conspicimus iniurias, Deo, Religioni et Ecclesiae nostrae, verbo: omnibus rebus, quae nobis sanctae et venerabiles sunt, illatas. Millia filiorum Poloniae, omnis ordinis et conditionis, — obliviscentes omnem publicam demonstrationem carceribus, exilio, aut morte puniri, — quotannis vocem suam elevant: ut adversus violentias suo cultui, suaeque nationalitati illatas protestentur. Inimici nostri non ut ad meliorem frugem redirent, imo mensuram suorum criminum cumulare volentes, apud animum statuerunt: destruere, depopulari, penitusque evertere, quidquid moralium et materialium facultatum huic regno superest; victimae, tantis adversitatibus superstites, ad renunciandum fidei, linguae omnibusque nationis suae traditionibus coguntur. Catholica Religione illorum proposito obsistente, omnia, quae tyrannidi suppetunt, violentiae media adhibere decreverunt, ut illam radicitus evellere, pedibus conculcare et sanguine suffocare possint. Testes fuimus omnium harum persecutionum, quarum exempla nec barbara secula nobis reliquere. Quam tristem imaginem praeseferunt hodie nostra rura, nostrae urbes, nostrae Ecclesiae! Millia iuvenum trucidatorum, alii a tribus iam annis audacia desperationis adversus hostem, numero longe superiorem, dimicantes; millia patrum, matrum et prolium quotidie patrio solo ereptorum, catenis onustorum et ad penetralia Asiae deportatorum; dum seneciones, viduae et orphani desolatione et miseria expirant! Alia millia omnis aetatis et sexus, ex hac internecione miro modo elapsorum, per diversas mundi oras oberrant, omnibus vitae mediis destituti, neque suae patriae succurrere queuntes. Haec vexatio incolarum Catholicae Poloniae in ipsos quoque Pastores desaevit. Nostri Episcopi, nostri Sacerdotes ad carceres coniecti, aut in exilium missi sunt. Non tantum omni honore, dignitati suae debito ipsos privarunt, sed summo despectui eos habuerunt. Multi illorum, fidelium gregi erepti, vinculis

Digitized by Google

onusti in glacialibus Siberiae fodinis gemunt; alii — felicio-res — in proelio occubuerunt, et amorem patriae, fideique suo sanguine signantes, coronam martyrii consecuti sunt. Quodsi quispiam hanc immensitatem dolorum nostrorum in dubium vocaret, huic ad nanciscendam convictionem sufficiet expen-dere facta, quae in conspectu civilisatae Europae perpetran-tur. Russia, sub regimine Catharinae II, Nicolai I et Alexandri II decem milliones Catholicorum Romanorum et Graecorum unitorum ad schisma violente convertit. Eadem Sacer-cerdotes in carceres detrudit; Monachos in exilium mittit; 1842 horrendam persecutionem suscitavit contra Religiosos et Religiosas S. Basilii, totaque Europa fremit narrationem harum persecutionum audiendo, cuius veritas in dubium vo-cari nequit. Eadem sors hodie quoque nos manet. Nostrae Ecclesiae profanatae, aut in templa schismaticorum conversae, nonnullae in carceres commutatae, claustra in contubernia, — in quibus cruda militia excubat et grassatur, — redacta sunt. Implementum officiorum religionis adinstar criminis habetur, quemadmodum aevo Neronis et Diocletiani. Adducamusne, instar exempli, mortem Sacerdotum, agonizantibus viaticum portantium et in via trucidatorum? In multis Dioecesibus omnis communicatio Pastorum cum suis Episcopis prohibita est. Moscovitici Ministri (popae) quorum audacia nullos iam limites noscit, neo-natos infantes rapiunt et violente schisma-tico ritu baptisant. Emissarii per totum regnum oberrant, ipsa fundamenta catholici cultus aggrediuntur, et populum tum verbis, tum scriptis adversus Sacerdotes concitant, hac ratione spiritualem potestatem, iura, ipsamque personam Sanctissi-mi Patris ferire cupientes. Omnia haec odiosa molimina nobis tamquam assultus infernalis potestatis, contra nationalitatem nostram — antiquum et venerabile repagulum Ecclesiae in oriente Europae — directi apparent. In conspectu tam nefandi omnium legum, Divinarum et humanarum contemptus, num mundus Christianus innocentis sangvinis effusionem aequa-nimiter cernere poterit? Num nobis nihil, praeter verba com-passionis, reservabit? Olim natio Polona macte animo re-pressit turmas tartaricas civilisationi exitium minantes, et Europam ab imminentibus malis liberavit: et hodie haec ipsa

Digitized by Google

natio ab Europa derelinqui, civilisatio moscoviticis Pro-Consulibus, d··cibus asiaticorum barbarorum crudelioribus in praedam cedere deberet? In medio atrocis huius persecutionis gentis nostrae sola vox Sanctissimi Patris ad defendendum oppressos resonuit. Inde ab exordio nationalium nostrorum motuum, ipse solus iustitiam et sanctitatem causae nostrae intellexit. Neque conatus Moscovitarum, neque calumniae — per conducta Czarismi organa contra nos sparsae, — quasi haec insurrectio in perniciem religionis et socialis ordinis tenderet — Vicarium Domini Nostri Iesu Christi impedire poterant, ne tyrannidem barbarorum oppressorum nostrorum atro calculo notet. Iam anno 1861 publice approbavit nobilem agendi modum immortalis memoriae Archi-Episcopi Varsaviensis Antonii Fialkovski. Magno quoque dolore percitus est Pater Christianitatis, dum de violenta praeclusione Administratoris Archi-Episcopatus Antonii Bialobrzeski, — quem nomine „viri constantis“ distinxit — certior redditus fuisset. Exinde vero Ssmus Pater sensa sua, doloremque saepius expressit in papalibus Allocutionibus, nos publicis precibus Catholicorum Romae commendando. Demum in memoria digna Allocutione sua de 24 Aprilis 1864 factis et authenticis documentis innixus nobis plenam iustitiam praestitit et pro incomparabili potestate sua anathemate feriit hunc septemtrionis Monarcham, hunc feminarum et prolium persecutorem, qui nostros Episcopos in exilium mittit, Sacerdotes glande traiici aut suspendi curat, atque nostrae sanctae, catholicae fidei schisma — cuius ipse promotor et sacrilegus pontifex est, — substituere cupit. Augusta hac voce in favorem Poloniae emissa iam tempus est, ut inimici nostri taceant, et populum martyrem calumniari cessent, neque nostram luctam, tamquam S. Ecclesiae et ordini in Europa vigenti perniciosam ob oculos sistant. Non, patria nostra, oppressorum iugo liberanda, neutiquam fiet theatrum motuum, religioni aut societati adversorum; apud nos quippe Sacerdos intime coniungitur populo, eum eadem ratione, qua populus, omnia pro communi patria immolaverit, et crucem manu gestando pro bono suorum fratrum patiatur ac moriatur. Hinc vox eiusdem semper in honore habebitur; Religio Christi, haec Religio amoris et veritatis, nun-

Digitized by Google

quam profanabitur. Libertati restituenda Polonia, hodie, quemadmodum temporibus suae gloriae, ab oppressione aliorum cultuum alienissima, studiose servabit pretiosissimum thesaurum, a patribus suis acceptum: sanctam fidem Catholicam. Clerus Poloniae iam dudum noscens generosas intentiones populi, et eorum qui habenas Gubernii tenent, conatus laboresque suos iis totius nationis associat; neque aliter agere potuit, quin ignominiam contemptumque sibi conscivisset. Omnis namque Polonus et a fortiori omnis Sacerdos Polonus praecognoverat: destructioni et immoralitati studiosum Czarismum iuratum inimicum esse tam catholicae fidei, quam polonicae nationis, omniumque ei pretiosissimarum traditionum. Igitur qua Sacerdotes, et Poloni communem cum natione rem fecimus. Ex hac summaria descriptione Ven. Clero Catholico videre licebit, quantopere infelix sit Polonia et quam graves sint catenae, quibus constringitur. Profecto maiore cum audacia et ignominia nec Divinum Numen lacessiri, nec humanitas pedibus conculcari posset! Venerabiles Patres fidei, Episcopi huius sanctae Ecclesiae, cuius defendendae ergo tantos cruciatus, quorum natio capax est, subimus, Vosque presbyteri fratres in Sacerdotio vos non pertransibitis — iuxta exemplum evangelici levitae — penes infelicem populum, quin eidem ope adsitis! Tria cumprimis nobis necessaria sunt: subsidium oblatorum vestrorum, adiutorium precum vestrarum et publicae manifestationes sympathiae vestrae. Convertentes nos ad nobilia corda vestra, ad sensum religionis et humanitatis vestrae, vos obsecramus, ut clamorem crucifixi populi audiatis! Exemplum Ssmi Patris imitando, vos voces vestras levabitis in defensionem nostri; vos annunciabitis mundo, quantopere iusta et sancta sit causa nostra, quae sit extensio afflictionum nostrarum, et quantopere expediat pro salute Ecclesiae, ut Polonia martyr suis iuribus, suae independentiae et integritati restituatur, memores verborum a Clemente XIII avis nostris dictorum: „Dolemus maxime in tantum adduci periculum Poloniae regni statum et formam, cum qua ipsius catholicae religionis coniuncta est securitas.“ Parisiis 29 Iunii 1864. SS. AA. Petri et Pauli. — Carolus Mikoszewski, Can. hon. Par. Zelaznae in Archi-Dioecesi Varsaviensi. — Victor Lisicki,

Digitized by Google

Director et Professor Seminarii in Pultush, Dioecesis Plockiensis. — Casimirus Zulinski, Vicarius Ecclesiae S. Alexandri Varsaviae. — Alexander Balczewski, Administrator Parochiae in Lithvania. — Nomine nationalis Gubernii polonici, Nos, plenipotentiatus et in Gallia ac Anglia recognitus Commissarius dicti Gubernii, per praesentes attestamur, subscriptos Sacerdotes agere in sensu inviationis a Clero Poloniae acceptae. Parisiis, die 1. Iulii 1864. — Nro. 852. Adamus Princeps Sapieha mp.

DD! Si perlecta hac supplicatione corda vestra commota non essent, ea, quae adiiciam, inutilia forent; et, si corda vestra, quemadmodum meum ad omnem vocem et clamorem pauperum, derelictorumque fratrum nostrorum duplici sensu infortunii ipsorum, nostraeque impotentiae sauciantur, fors adhuc magis inutilia videbuntur vobis verba mea. Eheu! quid Nos possumus in conspectu tam immensi horroris? Quomodo succurremus infelici populo, quem fortior profligat, et impune pedibus conculcat; populo, cuius lacrymae et sanguis non cessat fluere a tribus — sed quid dico? a centum prope annis; populo, qui turmatim, manibus pedibusque ferro onustis ad extremos Asiae terminos, ad sinum horrendae Siberiae — huius tumuli Poloniae — abducitur; populo, qui paulopost e senibus absque posteritate, e viduis, defensione destitutis consisteret, si non adessent quidam parvuli orphani, qui quondam virilem attingentes aetatem ipsi quoque consurgent, et qui patrum suorum memores, nobili superbia ad eos vindicandos, aut imitandos excitabuntur. Quid faciendo sumus, in conspectu Monarcharum, tantorum malorum non miserentium; in conspectu insensibilitatis hominum, qui politica occupantur; in conspectu glaciei systematicae indifferentiae — huius alterius Siberiae — in qua ratio diplomatarum Europae sua sponte exulare, aut obriguisse videtur! Quid Nos possumus? Nihil, nisi clamare, orare, dare. Ergo clamabimus, orabimus, dabimus. Lingua gallica forti expressione utitur, dum quaedam mala „clamantia mala“ (maux criants) compellat. Omnino: haec mala, de quibus loquor, haec crimina, hi horrores clamant.

Digitized by Google

Nos ergo etiam clamabimus contra haec mala; clamabimus contra haec crimina; clamabimus contra huiusmodi horrores. DD! nolite isthic mirari sermonem meum, exhortationesque meas! Etenim haec nostra vocatio est. Profecto Nobis convenit, ut resonare faciamus clamorem oppressae innocentiae. Custodes iustitiae et pietatis, Nos clamare et tranquillitati peccatorum importuni esse debemus (opportune, importune, dicit S. Paulus), quotiescunque in quadam mundi parte oppressio, vincula, caedes et abusus regnant. Quivis Sacerdos est vox clamantis, et repraesentans Illius, qui interpellat pro nobis: et cuivis nostrum dicta sunt haec divina verba: „Clama et ne cesses“ (Isai. 58. 1.) Omnino, — dicent, subridendo, politici, — vos estis voces clamantium, sed in deserto. Verum est! Sed attendite homines Status, vos hoc dicto vosmetipsos accusatis; nam hoc desertum, hoc volatile et surdum sabulum, hoc vastum spatium sine corde et echo, vos estis. Ita sane; Nos clamamus, quamvis in deserto, quia vos usque in hanc diem — iuxta effatum Domini Nostri — absque auribus fuistis, ad audiendum — absque corde, ad respondendum. Est tamen aliquis, qui nos audit: Deus. „Pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum“. Vobis, et inprimis huic populo homicidae, qui alium populum exterminat, dicit Deus haec formidanda verba: „Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.“ (Gen. 4. 10.) DD! haec ipsa die scribo vobis, qua Ecclesia Evangelium de bono Samaritano oculis nostris exhibet. (Domin. XII post Pentecost.) Vos, quemadmodum ego, hanc immortalem paginam osculati estis. Permittetisne mihi, ut explanationem eius, quae cordi meo hodie sua sponte se oggessit, vobis communicem? Haec antiqua Evangelii verba, sunt velut antiqui radii solis; nam variantem mundi scenam absque sui mutatione illuminant, et fulgore suo omnes eventus historiae et vitae collustrant. Hic homo, quem exspoliaverunt, hic pauper peregrinus descendens Ierosolymas, nonne hic infelix populus est, qui tam propinquus erat Civitati sanctae, — hic catholicus populus, haec nobilis et tristis Polonia, quam etiam despoliaverunt, semivivam, ferme annihilatam, sed tamen continuo respirantem reliquerunt? Et a quo fuit spoliata? Evangelium non nominat reos, sed designat; Incidit in latrones. Severa

Digitized by Google

verba! sed iusta. Et nunc, quinam sunt, qui huic generoso populo succurrerunt? In spiritu, pro momento, quasi remotus spectator huius viae mihi videor, et cum dolore considero, quae fiunt. Video venientem in via sauciati mulierem; haec sistit, condolet, quaepiam agit, praesuscipit, orat, insistit. Interim! proh dolor! paulo post pertransit. Nihil mali de illa asserere volo, etenim haec mulier, Gallia est; — quae si totum, quod voluit non fecit, id, quod potuit, eam fortassis egisse lubens mihi persuadeo. Quodsi sola agere non potuit, agere saltem tentavit. Gratus profiteor, eam energice protestatam fuisse „causa sacrorum iurium, historiae ac tractatibus inserorum et indigne pedibus conculcatorum.“ (Sermo Imperatoris 5. Nov. 1863.) Et hac hora, quae nunc est, desolata erubescit inertiam suam. Sed eheu! tandem „viso illo praeterivit.“ Vel potius — ut dicere lubet — expectat, et pro faventiore momento se praeparat. Alia persona comparet; sed in vicem iuvaminis, priori praestandi, illam impedit et abstrahit, nec transeundo versus patientem se inclinat, destituta non minus misericordia, quam audacia. Audio Ministrum alterius huius nationis paucos ante dies profari: „Nunquam regnum nostrum in magis glorioso situ collocatum erat.“ [1]) O! vox haec „gloria“ nequaquam convenit hodie huic nationi. Gloria! quid de illa sentitis Poloni? Gloria! quid de illa sentitis Dani? Quidquid sit, illa dicit, et pertransit. Mox tertia natio venit. Heu, heu! haec non est quidem Levita Evangelii, sed tamen Apostolicam se nuncupat. Ipsa horrendum subivit fatum, cuius onus et responsabilitas eidem incumbere non desinit, neque desinet [2]); ipsa quoque infelicem sauciatum despoliavit, partemque in execranda divisione cepit; — et nunc animo destituitur, ut reparet mala, quae fecit. Numquid non occurret in agmine huius nobilis et religiosae nationis generosum cor, magna anima, quae incomparabilem gloriam, ex hoc infortunio eluctantem, mansuram, perspiceret, et per im-

[1]) Lord John Russel, serm. mense Iulio 1864 dicto.

[2]) Maria Theresia, infausto consilio in hoc actu partem habuit; ceterum eadem 4. Martii 1772 haecce scripsit: „Longe post mortem meam videbunt, quid resultaturum sit inde, quod omnia, quae hucdum pro iustis et sacris habebantur, pedibus conculcata sint.“

Digitized by Google

mortalem atque solemnem actum reparationis propriam sui independentiam sartam tectamque redderet? Sed non! Ipsa quoque viso illo praeterivit, — pertransit, et spolia ab immolata victima desumta retinet. Tum venit Sacerdos. — Non obliviscamur durorum verborum, quae Magister in hoc Evangelio de immisericorde Sacerdote protulit. Ea gelido horrore me complent. Sed isthic me consolantur: nam Sacerdos venit, cuius nomen est: Pius IX. Non abundat opibus, quemadmodum dives Samaritanus, non habet iumentum, cui sauciatum imponeret, nec numerosos denarios, ut hospitio illum excipientem solvat; vix parum olei et vini illi superest, quod vulneribus miseri sauciati infunderet: nam ipse quoque eandem sortem, in eadem via expertus est; ipse quoque, veluti hic pauper peregrinans, despoliatus est. Interim sistit, vulnera eius alligat, vocem suam attollit, iustitiam flagitat; prope sauciatum consistit, expectans quemdam potentem et bonum Samaritanum, qui pauperis, semimortui proximi misertus, in eo salvando ipsi adiutricem manum porrigat. Et Nos quoque, Sacerdotes Iesu Christi, sistamus cum illo, in genua prolapsi, penes hocce deforme corpus, et — si totus dereliquerit mundus — nos nunquam derelinquamus Poloniam; hanc enim derelinquere significaret derelinquere: iustitiam, fortitudinem, pietatem, infortunium. Non, non accedamus ad hunc sauciatum sine precibus, sine gemitu, sine obulo! Nam quicunque demum simus, Nos isthic non amplius fallaciis decipi, nec praetextibus egoismum propriae indolentiae tegere, nec a misericordia calumnia nos absolvere possumus. Nos iam non possumus accusare Polonos rebellionis aut impietatis. Iam adest aliquis, qui nos informet, nos sublevet, nobis animos addat; et hic sublimis Repraesentans Dei est in his terris, ille, quem Patris nomine salutamus, Summus Pontifex. Hic consurrexit, Russiam reprehendit, Poloniae benedixit et exclamavit: Nolo ut olim mihi dicere debeam „vae mihi quia tacui.“ Et omnes Pontifices eadem verba iterarunt. Inde a Clemente XIII usque Pium IX Summi Pontifices non cessarunt protestari omni cum fortitudine, quam fides, charitas, amorque iustitiae ingenerat, adversus iniquitatem occupationis et divisionis Poloniae. „Admirandum spectaculum, — dice

Digitized by Google

mus cum illustri Oratore, quem triginta anni generosorum laborum grato aestimio Ecclesiae Gallicae commendant, et odio inimicorum religionis exponunt, — „admirandum spectaculum! hac hora, quae nunc est, asseri potest, nihil vere magni esse in Europa, praeter duos oppressos: Papam et populum Polonicum.“ „Ante octodecim menses haec natio, quam plenum seculum inauditarum violentiarum et studiosae oppressionis nec domare, nec exhaurire poterat, in sepulchro, a carnificibus suis excavato, se erexit. Validum emisit eiulatum, ut mundo in memoriam revocet, se vivam sepultam esse, neque mori velle. Post haec inermis, isolata, dispersa, cum audacia desperationis occepit luctam, actu quoque perdurantem.“ „Haec natio, victima, omnes potentias, omniaque iura mundi invocavit. Medio ardentissimarum obsecrationum per vices invocavit: civilisationem, humanitatem, ius gentium, ius novum, modernas ideas, libertatem, progressum, honorem, gratitudinem, misericordiam, publicam conscientiam; nihil tamen obtinuit. Ad acutissimas has interpellationes nemo respondit.“ „Et ecce! in medio huius glacialis silentii, huius universalis indolentiae, una, eaque sola vox auditur, quae ad clamorem infortunii agonisantis Poloniae respondet. Vox haec est vox Religionis, vox plangens, indignatione plena, immortalis. Is, qui apud omnes, sive amicos, sive inimicos, sive fideles, sive impios instar maxime sublimis personificationis Religionis in hoc mundo habetur, locutus est. Vicarius Iesu Christi, Filii Dei, pro hominibus in Cruce mortui locutus est in favorem crucifixae nationis. Eloquentia tamquam commotus, bulliensque torrens ex imo huius nobilis cordis prorupit, e corde Pii IX, e corde hominis et Pontificis, in quo indignatio et misericordia exundarunt.“

En facta, DD. quae notitiae vestrae subtrahere nolui. En terminum, quem attigerunt dolores nostrorum fratrum; — en significationem protestationis a communi Patre favore ipsorum interpositae! Noverimus ad talem clamorem respondere, sed noverimus etiam orare et succurrere! Quod ad preces attinet: nihil praecipio, sed meum desiderium Vobis pando. Cuperem: ut quilibet Presbyter Dioeceseos meae sub Sacrificio Missae pro Polonia eiusque prolibus defunctis, aut pu-

Digitized by Google

gnantibus oret. Cuperem: ut unusquisque oblata, ea modalitate, quam optimam iudicaverit, sive particularibus donis, sive ex offertorio in Ecclesia asservando, sive e symbolis parochianorum colligenda, qualiacunque sint, pro paupere Polonia mihi transponat. Quanto solatio recreabitur vester Episcopus, si Clero Poloniae scribere potuerit: Omnes Sacerdotes mei, omnes Sacerdotes Ecclesiae Aurelianensis, ne uno quidem dempto — vos amant, vobis illacrymantur, pro vobis orant, vobis succurrunt. DD. Libenter dicerem parochianis vestris: Chari Amici! post paucas dies Altaria Mariae floribus et luminaribus cooperietis, magnum festum eiusdem Assumptionis celebraturi. Ego vero auctor sum vobis: Reginam Martyrum contentam futuram minore ornatu ararum, minoreque pompa ceremoniarum, si hoc sacrificio plusculum quid infelici populo polonico missum fuerit. Et numquid rei naturae non congruit, ut nostrae arae, hac ratione nudatae, quasi luctum praeseferant. Non est Rex, qui alterius Monarchae luctum non assumeret. Cur itaque Ecclesiae nostrae non participarent de luctu Ecclesiae, cui tumulus paratur? Superfluum, imo impossibile foret, vobis enarrare cunctas exactiones, vexas, ingeniosas, omnemque imaginationem excedentes crudelitates, quas in Polonia patiuntur: Religio, proprietas, familiae, mulieres, proles, seneciones, vita, honor, humana dignitas, verbo: omnia, quaeque cordi et conscientiae hominis unquam sacra fuere; milliones catholicorum a fide sua violente abstractorum; millia familiarum cumulatim in exilium missarum (sub Nicolao 45,000 familiarum, e nobili stemmate ortarum, hanc sortem subivere) quarum unicum vitium fuit, quod patriae et religioni suae adhaeserint, item quod in respectu gubernii Russici se neutrales exhibuerint. Impudentia carnificum istorum iam eo usque processit, ut haec facta iam in publicis documentis confiteantur [1]). Dum haec facta in ipsis russicis ephemeridibus leguntur, quivis non tantum dicere cogitur: haec horrenda sunt; sed etiam exclamare: haec impossibilia sint! Et ecce! impossibilia hodie in effectum deducuntur, in conspectu admirantis et silentis Europae, seculo XIX! En

[1]) Epistola Generalis Murawieff dd. 5. Decembr. 1863

Digitized by Google

DD! mala, propter quae clamare, orare, offerre debemus. O! certus sum, Vos bono corde precaturos; sed audio quosdam Vestrum submissa voce suspirare: „Heu, nos libenter offerremus, verum tamen nos ipsi admodum pauperes et gravati sumus!“ Omnino, chari amici! scio, et ipse quoque sentio, nos gravatos esse; sed hoc onus nostrum, honor quoque noster, nostraque consolatio est. Nam — res singularis! — nos gravati sumus insultationibus et precibus, calumniis et supplicationibus. Ad nos se convertunt mali, sed ad nos quoque confugiunt infelices. In Russia Catholici et Clerus pro inimicis auctoritatis habentur; in Gallia pro inimicis libertatis; in Belgio pro inimicis Constitutionis, cuius ipsi auctores sunt; in Italia pro inimicis nationis. Videtur, ac si omnia adversus nos licerent. Eodem tamen tempore, eadem hora creaturae a dubiis, doloribus et miseriis vitae oppressae palmas suas versus nos extendunt. Adferunt nobis orphanos, concredunt nobis ignorantes, commendant populos, in stadio infantiae constitutos, regnum Sinarum, vix apertum, Syriam trepidantem, mancipia libertati restituta, Poloniam expirantem, Hyberniam cum fame colluctantem; et, si in abdita quadam casa pauper et derelictus infirmus lateat, aut obscurum infortunium accidat, en nostram partem, en onus, quod nos expectat. Iterum dico: Nos praeda malorum, refugium infelicium sumus! Nos similes sumus messoribus, — quorum nunc inprimis saepe recordor, — qui manipulos suos in aestu solis, sub fulguribus, pluvia aut in pulvere ligare debent, continuo laborantes, qualiscunque saeviat tempestas, nam homines esuriunt, messemque expectant. Eia ergo DD! accingamus nos huic rudi sed pulchro labori; discamus onusti esse, quin fatigaremur; non simus indolentes, quia occasiones sentiendi et compatiendi multiplicantur. Inprimis non permittamus, ut sensibilitas nostra hanc peculiarem prorsus transformationem subeat, cuius saepe testes sumus. Nunquam sensibilitas magis exaltata, magisque anxia mihi videbatur. Multi iam non sunt supportando adversas rerum vices. Minima tribulatio, — sed quid dico? — minima incommoditas ex oculis lacrymas, ex ore exaggerata, et ob hanc exaggerationem ridicula verba exprimit; omni momento flebiles audiuntur gemitus, de mortali

Digitized by Google

dolore, de atroce taedio, de supremo malo, cui multi succumbunt. Sed iniustitia, malum morale, violentia, oppressio, iactura honoris, ignominia: haec omnia incredibili patientia perferuntur. E mille nominibus, quibus ars medica diversas infirmitates naturae nostrae insignivit, nec unum est, quod non maiorem faceret in animos impressionem, quam haec solemnia humanae linguae vocabula. Vocabulum „migraine“ (hemicrania) maiorem horrorem ingenerat, quam vocabulum „scandalum“. Profecto recognoscere debemus, nos plus nervorum, quam cordis habere. Obsecro Vos DD! servate lacrymas vestras, oblata vestra, vestram indignationem, vestrasque preces nationi, crudeliter decimatae, iniuste oppressae, temerario ausu spoliatae. En iustum obiectum sympathiarum vestrarum; et, si vocem meam audieritis, Polonia quidem eras neutiquam salva erit, sed nonnulli infelices orphani, sauciati, viduae, heroici milites vestris symbolis sublevabuntur, in inaequali pugna sua animabuntur, eaque cogitatione, quod in Ecclesia Gallica fratres, advocatos suique admiratores habeant, fortassis in ultimo respirio consolabuntur. Aureliae, die 7 Augusti 1864. Felix, Eppus Aureliae.

1601. 1602.

Eppi Suffraganei Chelmensis relatio duplex ad S. Sedem Ap. de suis cum Regimine Russico differentiis. 1864. 1865.

1. Relatio prior. Iam multi effluxerunt menses a die praeconisationis, qua SS. Dominus, omnium Christifidelium Pastor et Pater, ovile Chelmense mihi pascendum concredidit; iam totus praeterit annus, ex quo iuxta expressam voluntatem Sanctitatis Suae occupavi regimen commissae mihi Cathedrae, et relationem hac super re SS. Domino sub die 31 Aug. 1863 Nro. 644 feci, atque mediante Gubernio meo transmisi; et tamen praescripto canonum de suscipienda consecratione Eppali iterum iterumque mihi commendata non est factum satis. Evenit hoc non mea culpa vel negligentia; omnem enim movi lapidem, ut literas liberi passus in Galli-

Digitized by Google

ciam Austriae apud Gubernium Polonicum efflagitarem; sed omnibus meis in hac re conatibus infelices circumstantiae obstant. Hodie videntur esse periculosissima pro Unitis Chelmensibus tempora. Quanto dolore repletum est cor meum, soli Deo O. M. notum est, in quo spem meam reposui. De his certiorem faciendo SS. Dominum ad pedes eius provolutus enixe precor, ut ad accelerandam consecrationem meam mediis sibi notis succurrere dignetur. Chelmae in R. Poloniae, die 28 Iul. 1864. Kalinski.

2. Relatio posterior. In meis angustiis et tribulationibus auxilium SS. Domini supremi Pastoris Ecclesiae Christi exorare consultum et necessarium duxi. Quoniam Conventio inter SS. Dominum et Seren. Russiae Imperatorem inita non meminit expresse Dioeceseos Chelmensis Unitorum in Polonia sitae, Officiales Gubernii huiatis affirmant, eandem dioecesim praetermissam et a beneficiis Concordati exclusam fuisse. Inde maxima sequuntur ecclesiae damna et incommoda; Eppo enim ad provisionem officiorum in Seminario dioecesano Chelmensi procedere volente, Regimen provocat se ad Constitutionem Seminarii praedicti, per Vicarium Capitularem Eppum in partibus Ioannem Teraszkiewicz olim subscriptam. Quamvis autem idem Vicarius Capitularis acceptis duabus iussu SS. Domini scriptis monitoriis literis dictam Constitutionem Seminarii a. 1860 revocasset, protestando coram Regimine, se non habuisse potestatem renunciandi iuri electionis atque nominationis officialium Seminarii, suumque factum contrarium canonibus, concordato, et expressae voluntati Summi Pontificis fuisse; protestationis tamen eiusmodi necnon provocationis subscripti Eppi ad saepedictum Concordatum hodiernum Gubernium nullam habet rationem. Dignetur igitur Sanctitas Sua apud Seren. Imperatorem instare et efficere, ut dicta Conventio ad dioecesim Chelmensem Unitorum in Polonia, qui aeque ac Latini sunt religionis Rom. Catholicae, expresse extendatur et applicetur. Chelmae, 28 Iul. 1865.

1603.

Nota Cardinalis a Secretis Status ad Plenipotentiarium Russiae, contra dispositam per caes. Decretum 8 Nov. suppressionem et occlusionem multorum Monasteriorum, dd. 30 Ianuarii 1865.

Dum S. Pater assiduis precibus Deum oraret, ut tam multiplicibus calamitatibus, quibus fideles in vastissimis caes. et reg. ditionibus Russiae et Poloniae viventes, subiecti erant, quodam modo terminum ponere dignetur; dum sibi spe, obtinendi tandem a iustitia potentissimi Imperatoris et Regis ad suas remonstrationes, in epistola dd. 22 April. 1863 expositas, solatiosi responsi blandiretur: inopinate legere debuit in publicis pagellis caes. Decretum dd. 27 Octob. (8 Nov.) anni proxime elapsi, eique additas dispositiones. Subscripto Cardinali a Secretis Status arduum foret: rite exprimere doloris sensum, quem tenores horum documentorum in animo Suae Sanctitatis excitarunt. Quamvis autem S. Pater cum resensu animadverterit, sua verba, preces et postulationes pone imperialem thronum inefficaces esse; attamen silere neutiquam potest, ne seu inimici S. Sedis hoc silentio ad detrahendum eiusdem honori abutantur, seu Vicarius Iesu Christi, Custos et Pastor catholici populi, sua taciturnitate scandalo occasionem praebeat, fidelibusque lapis offensionis fiat. Quapropter subscripto Cardinali expressum mandatum dedit, hanc Notam, gravamina et protestationem eiusdem continentem, Illti Vrae submittendi, quam Eadem ad thronum Suae Mattis pervenire facere velit, eo potissimum scopo: ut augustus Imperator et Rex, in sensu aequitatis, clementiae et iustitiae lenimen quoddam afferre dignetur profundo vulneri, quod cor S. Patris eo maiori amaritudine et tristitia implevit, quo minus praevisum atque promeritum fuerat. Nam expedit constanter in memoriam revocare, quod Apostolica Sedes, dum gemitum populi, catholicam suam fidem libere profiteri desiderantis, deploravit et deplorat, in defendenda causa Ecclesiae tenerrimum respectum Regiminis Suae Mattis, et augustorum eius Praedecessorum habere nunquam praetermiserit.

Digitized by Google

Ut meritum rei ingrediamur, praecipiens pars Decreti et analogorum ordinum, ad tria potissimum capita reduci potest: 1) Ad totalem ferme suppressionem vel occlusionem Conventuum Religiosorum et Claustrorum Monialium in Polonia; 2) Ad confiscationem bonorum eorumdem, quae Statui addicuntur; 3) Ad subordinationem religiosarum familiarum utriusque sexus, in conventibus et claustris adhuc existentibus, ordinariae Iurisdictioni Epporum. Subscriptus Cardinalis, cum libertate, suo characteri propria, et per obligationes sui muneris eidem iniuncta Illtem Vram orat: velit expendere, quantopere laedantur iura Ecclesiae et religiosarum familiarum per primam dispositionem praefati decreti. Dissimulando etiam, quod haec nova lex suppressionis religiosorum Ordinum iuri naturae repugnet, subscriptus Cardinalis sufficere existimat, Illti Vrae in memoriam revocare solemnes tractatus, Varsaviae et Grodnoviae sancitos, in quibus Monarchae Russiae, Regimen cessarum provinciarum Poloniae capessendo declararunt: quod romano-catholici, utriusque ritus in illo prorsus statu, in quo tunc exstiterunt, conservandi sint; id est: in eodem libero exercitio sui cultus, suaeque disciplinae, cum omnibus et singulis templis et bonis ecclesiasticis quae occasione transitus sub russicum dominium possederunt una novus Monarcha nomine suo, Successorumque suorum irrevocabiliter spopondit: eosdem romano-catholicos utriusque ritus — in perpetuum — pacifica possessione privilegiorum, et ecclesiasticorum bonorum et libero exercitio suae Religionis, suaeque disciplinae, cum omnibus eo pertinentibus iuribus, fruituros; denique asseveravit, neque se, neque Successores suos iura Maiestatica in ditionibus, quae russico imperio accesserunt, in praeiudicium romano-catholicae Religionis utriusque ritus, unquam exercituros. Praeterea subscriptus Cardinalis a se impetrare non potest, quin reflectat ad protocollum articulorum, necdum complanatorum, quod plenipotentiarii russici 3 Augusti 1847 subscripserunt, et in quo, — quaestione de Provincialibus Ordinum religiosorum suspensa relicta — ad Art. VII declararunt: „quod caes. Regimen ne quidem supernumeraria Claustra supprimere intendat; quod, si admodum exiguus numerus Religiosorum, aut

quaecunque alia canonica causa, huiusmodi suppressionem deposceret, haec obiectum praeviae cum S. Sede conventionis fierit.“ Una vero idem Cardinalis in memoriam revocat Bullam „Universalis Ecclesiae,“ per regnantem Pontificem post conclusum Concordatum editam, in qua — in nexu mutuae conventionis — statuitur: „Coenobiá et monasteria tum virorum, tum mulierum omnino esse servanda, atque illa deinceps imminui nunquam posse absque praevia et expressa Sanctae Sedis auctoritate“; atque in memoriam revocat huc spectantem observationem plenipotentiariorum Imperatoris, qui admiserunt, ut Bulla novae circumscriptionis Dioecesium genuinam enumerationem omnium existentium claustrorum complectatur. Denique in memoriam revocat idem: Constitutionem a. 1815 pro Polonia; organicum Statutum a. 1832 pro eodem Regno, et laetissimas spes, quas defunctus Imperator Nicolaus in Gregorio PP. XVI p. m. praecipue per literas dd. 25 Februarii 1839 excitavit, in quibus Pontificem de altissimo munimine, catholicis suis subditis praestando certum reddit. Subscriptus Cardinalis ad aequitatem Illtis Vrae, generosa sensa Suae Mattis, et universalem vocem Europae appellat: num hae, et aliae similes conventiones, quae brevitatis causa silentio praeteritae sunt, re ipsa observatae fuerint? et nonnisi cum vehementissimo dolore digreditur ad tristem huius obiecti elucubrationem.

Annalibus Historiae iam insertum est: vix subscripto tractatu divisionis Regni Poloniae, vehementes inimicitias, in perniciem catholicae Religionis tendentes, in provinciis russico imperio adnexis, suscitatas fuisse; inimicitias, quae nonnisi per brevia intervalla apparentium induciarum interruptae, continuo manifestas se reddiderunt, per promulgationem legum, Primatui Pontificis, auctoritati Epporum et ecclesiasticae disciplinae oppositarum; per comminationem severissimarum poenarum, in propagatores catholicae Religionis statutarum; per dispositiones et continuas violentias, quibus milliones Ruthenorum ad defectionem a fide patrum suorum cogebantur; per suppressionem pretiosi Sanctuarii Dominae Nostrae in Poczaiew, a sacris peregrinationibus, a tota Russia illuc confluentibus celebris, atque opulenti Conventus, cum

Digitized by Google

eodem connexi, non secus ac aliarum multarum Ecclesiarum, quae catholicis ereptae, in usum et proprietatem Schismaticorum conversae fuerunt; per prohibitionem restaurationis catholicis remansarum ss. aedium; per abolitionem iuris Patronatus eiusque in Communitates aut Regimen translationem; per impositam obligationem, omnes proles, e mixtis matrimoniis ortas, in praedominante Religione educandi; per prohibitionem immediatae cum Apostolica Sede communicationis, et Bullarum Pontificis ad territorium Russiae admissionis; per annihilationem ruthenicae Ecclesiae, quae ad unicam Dioecesim Chelmensem redacta est; denique per longam seriem factorum et mediorum in detrimentum catholicae Ecclesiae tendentium, quae sicut debitam sollicitudinem Romanorum Pontificum excitarunt, ita nationi polonae sympathiam populorum et Regnantium conciliarunt. Quod ad coenobia et monasteria tum virorum, tum mulierum attinet, Historia narrat abrogationem Provincialium; totalem suppressionem Basilitarum; abolitionem Conventuum et Claustrorum aliorum Ordinum, sub praetextu inutilitatis, aut incompleti numeri; distinctionem inter conscripta et supernumeraria Monasteria; occlusionem novitiatuum; abolitionem scholarum in Claustris; a Regimine defixam aetatem et alias difficultates, quae nuncupationi solemnium votorum opponebantur. Et, si ultimum scopum harum legum, inde a regimine Catharinae II vigentium, inquiramus, ex omnibus patulum fit: annihilationem institutorum Religiosorum, quae nunc iam consummationi proxima est, et quae iam antea per suppressionem novitiatuum pro consummata considerari potuit, antiquum planum constituere. Haec sunt notissima argumenta et facta, e quibus clarissime consequitur: quod, quemadmodum priora decreta, sic recentissimum quoque dd. 27 Octob. (8 Nov.) 1864, dum totalem fere suppressionem aut evacuationem Conventuum praecipit, tractatibus atque iteratis sponsionibus caesarei Regiminis manifeste contradicat. Plus dicimus. Fundator sanctae Religionis nostrae, Iesus Christus, Ecclesiae potestatem fideles pascendi, docendi et regendi conferendo, eidem una facultatem concessit, omnibus mediis uti, quae optime assequendo sublimi scopo suo accomodatissima iudicaverit. Ec-

Digitized by Google

clesia religiosas familias pro obtinendo scopo suo summopere utiles agnovit, illasque pro indigentiis aevi et emolumento fidelium fundavit. Cum itaque conspicuae hac corporationes existentiam suam nonnisi Ecclesiae in acceptis debeant; hinc ad solam Ecclesiam pertinet, de utilitate illarum iudicium ferre, sortemque earumdem decidere. Et cum civilis potestas hos religiosos Ordines non fundaverit, neque facultatem habeat eosdem fundandi: hinc eosdem neque abolere, imminuere aut destruere potest; et, si id faciat, tum publicam professionem consiliorum evangelicorum laedit; id est modum vivendi, Ecclesiae ab ipso suo Fundatore commendatum, et simul essentiale ius ipsius Catholicae Ecclesiae, ius, quod plenipotentiarii Suae Mattis c. r. quemadmodum supra attactum fuit, agnoverunt ac admiserunt.

Post haec omnia Illti Vrae perspicuum erit, quod eadem iura Ecclesiae Iesu Christi pari modo infringantur per secundam dispositionem caes. Decreti, quae bona et proprietatem suppressorum Conventuum et Claustrorum fisco addicit et pro sustentatione cuiusvis personae religiosae, tum viri, tum mulieris, in Conventibus Regni permanentis annue 40 rubl. dumtaxat defigit. Nam, cum ius, res suas possidendi, essentialiter ex iure existentiae et sustentationis profluat; hinc semper iniustitia est, alienam proprietatem attingere. Iam vero Illti Vrae probe constat: quod Catholica Ecclesia visibilis atque publica societas sit, non a spiritu tantum, sed ex hominibus consistens; quod ius acquirendi et possidendi cuivis homini iam a natura competat; quod ex hoc iure personae Religiosorum non excludantur, neque excludi possint; quod potius hoc ius in personis Deo consecratis omni tempore et apud omnes nationes suspiciatur; quod temporalia bona, a pietate fidelium in sustentationem cultus Divini et Ministrorum Ecclesiae oblata, semper in honore habita fuerint, cuu origo illorum prorsus legitima, destinatio vero sancta sit. Liceat subscripto Cardinali in respectu huius obiecti adhuc addere, praescriptam per toties fatum decretum spoliationem, non tantum antiquas caesareas et novas, a nonnullis etiam acatholicis, imo revolutionariis Regiminibus editas Constitutiones laedere; sed etiam viam Communismo sternere, atque

Digitized by Google

publicam fiduciam, dignitatem item et honorem augustorum Praedecessorum Suae c. r. Mattis labefactare. Subscriptus Cardinalis isthic provocare cupit ad Tractatus, in quibus respectivi Regnantes se obligarunt ad omnia bona ecclesiastica, absque exceptione et restrictione in eo prorsus statu conservanda, in quo mense Septembri 1772 ad proprietatem Catholicorum utriusque ritus in Polonia pertinuerunt. Tractatus, quorum sinceritas et illibata observatio tum ob iustitiam ipsius rei, tum propter reciprocam obligationem, quam Imperator Austriae favore dissidentium Polonorum, sceptro suo subiectorum assumpsit, summam fiduciam in Polonia excitare debuit. Idem provocare cupit ad plurimas familiares sponsiones et contestationes, quae successive sub Regimine Catharinae II, Pauli I et Alexandri I Apostolicae Sedi factae fuerunt, quaeve, tamquam signa benevolarum erga Catholicos Poloniae intentionum summam spem instillare debuerunt: Regimen Russicum hac in parte a principiis aequitatis et iustitiae neutiquam recessurum. Idem denique provocare cupit ad Constitutionem Poloniae, post ultimam divisionem 13 Maii 1815 Viennae editam, et ad organicum Statutum eiusdem Regni Poloniae, 14 Febr. 1832 promulgatum. In primo horum documentorum Status, e XXXVII articulis consistente, articulo II declaratur: „romano-catholicam Religionem, quae ab antiquissimis temporibus .. instar Religionis populi agnoscitur .. peculiari protectione Regiminis gavisuram;“ item Art. VI: „omnia et singula bona, cuiuscunque generis, qualitatis et denominationis, seu supra, seu infra terram sita, sancta et inattrectabilia esse, nullique auctoritati ius, ad eadem violente rapienda aut quoquo modo destruenda, competere. In altero autem dicitur: Catholicam Religionem, quam longe maior pars Polonorum subditorum profitetur, semper obiectum peculiaris sollicitudinis Suae Mattis, eiusque Regiminis futuram; atque fundos ad proprietatem tum latini, tum graeci uniti catholici Cleri spectantes pro inviolabili proprietate agnoscendos esse.

Post haec omnia, subscriptus Cardinalis supersedet tristissimae comparationi horum solemnium tractatuum cum

quaestionato decreto, et attentionem ad postremam dispositionem eiusdem convertit, vi cuius pauca Coenobia et Monasteria, quae adhuc supersunt, plenae et perfectae Iurisdictioni ordinariae Epporum subordinari deberent. Quod ad hoc planum attinet, iudicio subscripti sufficiet Illti Vrae in memoriam revocare, quod, dum Russicum Regimen a Sancta Sede postulasset: ut singulus Eppus in Russia omnibus ordinibus et familiis Religiosis latini ritus in sua Dioecesi, qua Superior praesit, — primo observatum fuerit: Religiosorum Ordines vi antiquissimorum privilegiorum ab ordinaria Iurisdictione Epporum quidem exemtos, et immediate S. Sedi subordinatos esse; huiusmodi exemtionem tamen non impedire, quominus Ordinarius suam Iurisdictionem in pluribus, per Ius Canonicum et praecipue per Concilium Tridentinum expresse designatis casibus exercere possit. Observatum fuit, secundo: quod S. Sedes, poscentibus gravibus causis, quemdam Eppum pro Visitatore apostolico regularis Cleri ad tempus deleget et constituat; quemadmodum fecit b. m. Pius VI a. 1778, dum D. Sytrenziewitz, tunc Eppo de Mallus commisit, Conventus et Claustra tam virorum, quam mulierum visitare, ut in illis, in quibus opus foret, perfectam disciplinam et ordinem revehat, quo scopo necessariis ac opportunis facultatibus munitus fuit. Eaedem observationes expositae fuerunt Russico Regimini, dum anno 1817 pro Eppis Poloniae similem facultatem petiisset; qua occasione S. Sedes declaravit: incongruum esse, ut Ordines Regularium per summopere odiosam, et in Historia Ecclesiae prorsus novam praescriptionem (si instar generalis et perdurantis normae consideretur) praefixa per ss. Canones regiminis forma priventur, iuxta quam Provinciales, a proprio Generali, et aliis a S. Sede specialiter constitutis Auctoritatibus dependentes, omnibus monasteriis sibi assignati territorii praesunt. Praeterea innegabile factum est, unum idemque esse: dependentiam Ordinum Religiosorum a proprio suo Superiore abrogare, et vigilantem inspectionem, visitationes, et provincialia atque generalia Capitula e medio tollere, unde praecipuae causae laxatae disciplinae et ordinis Monasteriorum promanant; cum

Digitized by Google

Eppi aut constitutiones respectivarum religiosarum familiarum sufficienter haud noscant, quo necessitatibus opportunum remedium applicare possent; — aut ob nimios labores administrationis amplarum Dioecesium suarum, attentionem suam illuc convertere nequeant. Illtas Vra perspiciet, hanc posteriorem observationem omnino realem esse, in respectu Dioecesium Regni Poloniae, quae, utut per Bullas erectionis et circumscriptionis „Militantis Ecclesiae“ et „Ex imposita Nobis“ a b. m. Pio VII annis 1817 et 1818 editas regulatae fuerint, nihilominus tamen longe vastiores sunt, quam ut Eppi omnibus spiritualibus necessitatibus curae suae commissorum fidelium commode satisfaciendo essent. Atque hic subscriptus Cardinalis suas observationes de dispositionibus caes. decreti, concluderet; nisi eidem necessitas incumberet, attentionem Illtis Vrae ad motiva dirigere, quibus idem decretum suppressionem, et attactam spoliationem coenobiorum iustificare nititur.

Haec motiva ad duo potissimum reduci queunt; videlicet, ad numerum Religiosorum, simul habitantium, infra 8 depressum; et ad participationem eorum — ut praetenditur — in postrema rebellione. Etiam in caes. decreto de 1832, per quod tam multi Conventus in provinciis polono-russicis suppressi exstiterunt, canonicae regulae et praescriptiones circa determinatum numerum religiosorum instar motivi adductae fuerunt. Verumtamen, abstrahendo etiam ab eo: quod per decretum Innocentii X Conventus, canonico numero haud provisi, nentiquam suprimi disponuntur, sed tantum Dioecesanae Iurisdictioni subordinantur; non considerato eo, quod indicium, num, et quando haec norma et dispositio singulis casibus applicari possit? ad auctoritatem S. Sedis pertineat; et quod minores Conventus, illis potissimum locis, ubi secularis Clerus deficit, pro spirituali ope fidelium summae utilitatis et propemodum necessitatis sint: subscriptus Cardinalis a Secretis Status nonnisi facultatem sibi sumit, Illtem Vram attentam reddendi, quod in conspectu tantarum Regiminis praescriptionum, quivis adactum se sentiat ad coniiciendum: notabilem defectum individuorum in Conventibus et Monaste-

riis Poloniae, quo praesens decretum instar motivi suppressionis aut occlusionis utitur, sequelam plurimarum, notissimarum conditionum esse quae ut primum per Regimen positae fuerunt, admodum paucis individuis illarum provinciarum permiserunt, ut relicto mundo, monasterium ingredi possint. Quod ad alterum motivum, in decreto adductum attinet, Sua c. r. Mattas optime novit, quaenam principia profitebatur S. Sedes omni tempore, in respectu fidelitatis, obedientiae et subiectionis, Monarchis in secularibus rebus debitae. Etiamsi occasione postremorum eventuum quosdam Religiosos ab immutabilibus catholicis principiis, deplorando modo recedere contigisset, nihilominus subscriptus Cardinalis animadvertere sustinet: quod evicta quoque nonnullorum aberratio, totali pene omnium exstirpationi occasionem dare non possit; quod S. Sedes, si Regimen Suae Mattis suas querelas eidem proposuisset, efficacia remedia malo afferre non praetermisisset, et quod praecipua causa horum disordinum semper attribui debeat multis illis innovationibus et dispositionibus, quae a parte Regiminis, pro ruina monasticae disciplinae, summo fidelium scandalo et enormi detrimento catholicae Religionis, introducuntur et sustentantur. His innovationibus atque praescriptionibus Regiminis, — quae in his, olim tam piis, florentissimisque Ordinibus Religiosorum disciplinam et ordinem verosimiliter collabi fecerunt, — adnumerari certe debent: severa prohibitio liberae communicationis cum S. Sede; abolitio Provincialium et consequenter canonicarum Visitationum et Congregationum Capitularorum; copiosissimae porro dispositiones, quae salutares leges Ecclesiae de vita religiosa, de solemnibus votis, de religiosa educatione, de studiis in Universitatibus et Lyceis omni effectu privarunt; denique defectus Repraesentantis S. Sedis Petropoli. Cum dolore reflectit Illtem Vram subscriptus Cardinalis ad veras causas tam multorum vulnerum, quibus alma sponsa Iesu Christi in illis regionibus contecta iacet; interim expectandum superest: Augustissimum Imperatorem et Regem, ubi tristium sequelarum innovationum et dispositionum Regiminis sui, relate ad regularem Clerum conscius redditus fuerit, ex innato sibi sensu moderationis, aequitatis et iustitiae, catho-

Digitized by Google

licae Ecclesiae legitimam possessionem, liberumque exercitium sanctorum suorum iurium rursus restituturum, et per abrogationem decreti, — quod ingratum argumentum huiusce Notae constituit, — Romano Pontifici directionem et regimen regularis Cleri, secundum canonicas normas, — ad quas ipsum decretum provocat, — omissurum. S. Pater magno et generoso animo Suae c. r. Mattis confidit, ac ideo non vult nuncium mittere dulci spei, fore, ut augustissimus Monarcha, — hausta genuina harum urgentium remonstrationum notitia, — praestandam, depostamque iustitiam haud diu moretur, et conscientiam Suae Sanctitatis inomissa obligatione relevet, vi cuius non interruptam afflictionum seriem, quas Catholica Religio in caes. ae reg. ditionibus patitur, coram universo mundo palam exponere deberet. — (Expositio Romana de Russia. 1866.)

1604.

Nota eiusdem Cardinalis a Secretis Status ad Plenipotentiarium Russiae, ope cuius contra impedimenta, consecrationi Eppi Chelmensis, et exercitio eiusdem muneris, opposita remonstrat, dd. 10. Febr. 1865.

Pontifex, qua supremum Caput totius Ecclesiae et Pater omnium fidelium, — quin sanctis officiis apostolici sui muneris et propriae conscientiae desit, praetermittere non potest, ad iustitiam Suae Mattis, potentissimi Imperatoris totius Russiae et Regis Poloniae confugere, ex incidenti quorumdam eventuum, quibus, propter illorum notorietatem, fidem tribuere cogitur, quive, cum in summum detrimentum Ecclesiae tendant, paternum cor eiusdem profunde affligunt. Ad notitiam quippe Suae Sanctitatis pervenit: 1) Quod D. Kalinski, qui in Consistorio 16 Martii 1863 qua Eppus Beltzensis et Coadiutor Eppi Chelmensis praeconisatus erat, in obtinenda Eppali Consecratione per Regimen impediatur; nam ex una parte eidem non permittitur extra limites imperii excedere; ex alia parte vero vetitum est unito Eppo Rutheno, scopo praesuscipiendae consecrationis, territorium Suae Mattis in-

trare; 2) Quod idem Eppus Kalinski in libera directione Dioecesani sui Seminarii, in sensu Concordati eidem competente, signanter in nominatione et amotione Professorum impediatur; 3) Quod eidem vetitum sit, ad catholicam Universitatem Varsaviensem propriis etiam sumptibus alumnos sui Seminarii mittere, qui spectatis suis talentis, spem insignis in scientiis profectus, pro emolumento magni momenti huius Dioecesis facerent; 4) Quod per legem, a Sua Matte, ut dicitur, 1 Iulii a. c. sancitam, ius praesentationis ad beneficia pristinis legitimis Patronis ereptum et in respectu latinorum concernentibus Communitatibus, — in respectu vero Ruthenorum, Commissioni Regiminis delegatum sit; quae iam uni eidemque individuo duo beneficia curata conferre praesumpsit. Quamvis Eppus, per praeconisationem summi Capitis Ecclesiae, iurisdictionem pro regimine sibi concreditae Dioecesis obtineat; verumtamen potestatem ordinandi, et complementum Sacerdotii nonnisi per Eppalem Consecrationem consequitur. Haec itaque ad internam substantiam Eppatus pertinet, sine qua obligationes Eppi in omnibus partibus implementum sortiri non possent, et propagatio catholici Sacerdotii brevi exspirare deberet. Quapropter Ius canonicum Eppos, qui illam absque legitimo impedimento differunt, gravibus poenis subiicit. Ex hac consideratione, quae ex ipsa rei natura profluit, Illtas Vra perspiciet, quantopere necessarium sit: ut Regimen Suae Mattis, — quemadmodum subscriptus Cardinalis iam mense Februario et Novembri praeteriti anni oretenus urgenter postulavit — impedimenta, ocyori consecrationi praeconisati Eppi Chelmensis obstantia, removeat; cui urgentissimae necessitati patrocinatur quoque postrema diuturna huius Dioecesis viduitas, atque circumstantia, quod eadem in vastissimo Imperio Suae c. r. Mattis sola et unica superstes sit, in qua Ministri Altaris rutheno-uniti ritus ordinari possunt. Quodsi tamen comprobatum foret, quod S. Patri relatum fuerat, impedimentum consecrationis Rssmi Kalinski e controversia obortum esse, quam — proh dolor — Presbyter eiusdem Dioecesis contra illum suscitavit: tunc subscriptus Cardinalis Illtem Vram nomine Suae Sanctitatis certam reddit, Suam Sanctitatem haud alienam esse, ut huiusmodi contro-

Digitized by Google

versia, scopo ferendae medelae S. Sedi proponatur. Praeterea plurimum interest, ut auctoritas Eppi Chelmensis relate ad institutionem et directionem Seminarii ne minimum quidem vellicetur. Si Eppus secundum Art. XIII Concordati solus Iudex et administrator sit ecclesiasticorum negotiorum suae Dioecesis, salva subiectione Apostolicae Sedi debita: quanto magis ad eum pertinebit decernere omnia, quae institutionem et directionem sui Seminarii respiciunt, cum in hoc instituto Ministri Ecclesiae Dei in pietate, scientiis et disciplina formari debeant. Idque optimo sane iure. Nam, cum in Seminariis inventus, ministerio Ecclesiae destinata, ad sanctum munus Altaris educetur, assiduam operam navando doctrinae Divinae Religionis, quae mysteria et dogmata a Deo Ecclesiae suae revelatae fidei complectitur, — porro Morali, quae praecepta Dei proponit, — demum ecclesiasticae disciplinae, quae de sanctitate et puritate clericalis vitae, de ceremoniis cultus Divini et de modo administrationis Sacramentorum tractat; — Illtas Vra facile perspiciet, quam indignum, Ecclesiae Dei probrosum et saluti animarum periculosum foret, si Dioecesana Seminaria, sanctum depositum et laetissimam spem Ecclesiae constituentia, in vitali nervo, institutione et directione, plene et perfecte auctoritati Epporum non subessent. Atque istud non tantum canonicis regulis Ecclesiae congruit, sed etiam Articulis XXI et XXII anno 1847 conclusi inter S. Patrem et Suam c. r. Maiestatem Concordati statuitur; quemadmodum subscriptus Cardinalis, occasione oralium declarationum, ann. 1857 et 1864 factarum, in memoriam revocare haud neglexit. Porro quod ad missionem alumnorum Seminarii Chelmensis ad cathol. Universitatem Varsaviensem attinet, Cardinalis a Secretis Status Illti Vrae in memoriam revocat orales declarationes, Legationi Russicae 19 Nov. 1857 et 24 Febr. 1864 factas. Denique subscriptus Cardinalis attentionem Illtis Vrae dirigit ad legem, recentissime, ut fertur, conditam, vi cuius Sua Mattas ius praesentationis privatarum personarum ad beneficia ecclesiastica abrogavit, illudque, propria auctoritate, in respectu unitorum Ruthenorum suo regimini reservavit, in respectu latinorum vero concernentibus Communitatibus contulit. Sub

Digitized by Google

hoc obtutu, infrascriptus Cardinalis non existimat necessarium, ad speciales et solemnes tractatus, per augustos Praedecessores Suae Mattis occasione discerptionis et divisionis Regni Poloniae signanter 18 Sept. 1773 et 13 Iul. 1793 sancitos, provocare; idem sufficere arbitratur, Illtem Vram attentam reddere: quod ius patronatus ecclesiasticorum beneficiorum, inter quae beneficia curata primas tenent, nonnisi e benevolentia et gratitudine promanans concessio sit, quae sub certis conditionibus, quibusdam corporationibus et personis ab Ecclesia impertita fuit, quae exercitio huius iuris semper maximum momentum attribuit, cum illud eo potissimum tendat, ut Parochialibus Ecclesiis de idoneis Curatoribus prospiciatur. Hinc iam Illtas Vra cognoscet, non esse in potestate Regiminis Suae Mattis situm, de hoc patronatu supra indicata ratione, sine praevio consensu sanctae Sedis Apostolicae, disponere. Dum igitur subscriptus Cardinalis, iubente Ssmo Patre contra hunc agendi modum iusta gravamina sua Regimini Suae c. r. Mattis exponit, atque abrogationem istius legis petit, — una instar officii sui reputat, Illti Vrae notum facere: quo Rssmo Kalinski, Eppo Chelmensi prorsus impossibile sit, individuis, quae in praevio examine omni ex obtutu pro idoneis adinventa non fuissent, canonicam institutionem impertiri, vel unquam admittere: ut, absque expresso indultu S. Sedis uni eidemque personae duo beneficia curata cumulative conferantur. Haec sunt principalia puncta, Ruthenos inprimis concernentia, quae Suae Sanctitati innotuerunt, et quae subscriptus Cardinalis a Secretis Status Illti Vrae communicanda habuit, eo scopo: ut illa ad notitiam Suae Maiestatis perferre, et sua benevola intermediatione fulcire velit preces, quas Sua Sanctitas, virtute summi apostolici sui muneris, iustitiae et magnanimitati potentissimi Monarchae proponere debuit. — (Expositio Romana de Russia. 1866.)

Digitized by Google

1605. 1606.

Pii IX Allocutio ad S. Collegium de luctuoso statu rei catholicae in Imperio Russico et signanter Polonia Russica. 1866. 29 Oct.

1605. Luctuosum et numquam satis deplorandum Catholicae Ecclesiae in Poloniae Regno ac Russiarum Imperio statum cum summo animi nostri moerore lamentari cogimur, ven. fratres. Optime cognoscitis, nos vel ab ipso supremi nostri Pontificatus exordio summopere cupientes afflictis ibi sanctissimae nostrae religionis rebus ac spiritnali illorum fidelium bono consulere, omnia suscepisse consilia, atque etiam cum Serenissimo ac Potentissimo Russiarum Imperatore et Poloniae Rege illustri iniisse Conventionem. Sed irritae fuere nostrae omnes sollicitudines. Namque non solum illa Conventio maxima ex parte haud fuit executioni mandata, ac omnino despecti gravissimi illi omnes articuli, qui iuxta promissiones ad optatum exitum erant adducendi, verum etiam magis quotidie conculcata fuere pacta ac promissa ab ipsis Russiarum Imperatoribus ac Poloniae Regibus facta, et bellum a Russico Gubernio rei catholicae iamdiu indictum maiorem in modum asperrimis hisce temporibus fuit conflatum ad catholicam fidem in illis regionibus funditus evertendam. Nihil autem valuerunt nostrae expostulationes per nostrum Cardinalem a publicis negotiis factae apud illud Gubernium, nihil nostrae literae ad ipsum Serenissimum Principem scriptae, quibus nullum fuit datum responsum. (1863.) Atque hic omittimus denuo percensere numerando ea omnia, quae in nostra Encyclica Epistola ad ven. fratres sacrorum Poloniae et Russiarum imperii Antistites data, typisque edita vehementer deploravimus. (1864.) Idem enim Gubernium maiore in dies insectatione catholicam oppugnans Ecclesiam semper impedivit, quominus Chelmensis Eppus, tres et amplius abhinc annos a nobis renunciatus, Eppalem posset consecrationem accipere. Postquam vero ven. fratrem Sigismundum Varsaviensem AEppum a suo grege divulsum in longinquas amandavit regiones, ei severissime interdicta omni cum suae dioecesis fidelibus communicatione, dilectum quoque filium Paulum Rze-

Digitized by Google

wuski illius Vicarium Generalem et Suffraganeum Eppum Prusensem in partibus infidelium a nobis electum, et numquam ob impedimenta ab ipso Gubernio allata consecratum, militari manu comprehensum in exilium eiecit. Atque id propterea, quia idem Vicarius de ecclesiasticis negotiis Rescripta a nobis motu proprio data ad alios Poloniae Ordinarios perferenda curabat. Vix autem eodem Vicario Generali in exilium pulso, non dubitavit civilis Varsaviae Praeses Metrop. templi Varsaviensis Canonicos ad se vocare, eisque praecipere, ut nulla interposita mora Vicarium Capitularem a se propositum eligerent. Quibus iniustis mandatis iidem Canonici merito et cum eorum laude obstiterunt, cum potissimum praesto essent alii, qui ab AEppo Varsaviensi ad Vicarii Generalis munus obeundum fuerant destinati, quoties commemoratus dil. fil. Paulus Rzewuski fuisset expulsus, quemadmodum infeliciter evenit. Wilnensis autem Eppus a sua dioecesi abreptus iamdiu in exilio misere vivit, quin ullo modo eppale suum munus exercere, et gregis sibi commissi bono consulere possit. Insuper, ven. fratres, promulgata ab eodem Gubernio sunt decreta, quibus catholica Ecclesia, eiusque auctoritas, leges ac disciplina proculcantur. Namque hisce decretis omnia pene Regularium utriusque sexus Ordinum coenobia de medio sublata fuere, atque omnia cuiusque Regularis Ordinis bona publico aerario adiudicata, et paucissimae Religiosae familiae quae adhuc supersunt, a suorum summorum Moderatorum regimine abstractae, et Ordinariorum iurisdictioni subiectae, et universus Catholicus Clerus tum in Polonia, tum in Russiarum Imperio omnibus suis bonis, vel ad Eppos, vel ad Canonicorum collegia, vel ad paroccias, vel ad eccles. beneficia vel ad quaelibet alia pia et religiosa instituta pertinentibus, spoliatur, et eorumdem bonorum redditus publici aeris alieni administrationi committuntur. Atque eisdem decretis contra eccles. leges, contra supremam huius S. Sedis auctoritatem et omnia iura statuitur nova catholici Cleri dispositio, nova in omnibus dioecesibus cuiusque Canonicorum collegii existendi ratio, nova paroeciarum divisio, et Capitula Collegialium Ecclesiarum abolentur, et Epporum plane destruitur auctoritas ac libertas, cum ipsi sine Gubernii consensu nullum parochum,

Digitized by Google

nullum parochiarum administratorem, aut vicarium eligere possint. Eiusdem autem Gubernii decreto Cameneciensis catholica dioecesis suppressa, ac proprio ademta Pastori, cum Luccoriensis et Zitomeriensis dioecesium administratione fuit coniuncta. Legitimi Sandomirensis et Cracoviensis praesertim dioecesium parochi ad Gubernii arbitrium de una ad aliam parochiam traducti, de proprio gradu deturbati, aliique in eorum locum suffecti. Plocensis vero dioeceseos Seminarii aedes confiscatae fuere, et illius Eppus Clericos alumnos in coenobium olim Franciscalis Ordinis extra civitatis moenia transferre coactus, omnibus ecclesiasticis viris commeatus denegatus, ne ultra mille passuum spatium a propria residentia discedere, et inter se communicare possint. Illorum autem fidelium cum hac Apost. Sede communicatio a Russico Gubernio tanta severitate est interdicta, ac omnino sublata, ut nos maximo animi nostri dolore haud amplius ullo modo possimus pro supremi nostri Apostolici ministerii officio dilectam illam dominici gregis partem iuvare, eiusque spiritualibus indigentiis opem auxiliumque ferre. Atque utinam ne veri sint tristes nuncii, qui nuper ad nos pervenerunt, designatum nempe Chelmensem Eppum et cathedralis illius templi Canonicos maiore ex parte ab eodem Gubernio in ignotas regiones fuisse amandatos. Nihil vero dicimus de assiduis cuiusque generis insidiis, artibus et conatibus, quibus idem Gubernium Catholicae Ecclesiae filios ab eius sinu abripere, eosque ad funestissimum schisma totis viribus pertrahere annititur, nihil de carceris, exilii, aliisque poenis, quibus Eppi sacrique Ecclesiae ministri, Religiosique Viri et catholici fideles suae religioni firmiter adhaerentes et Ecclesiae iura propugnantes misere subiiciuntur. Quae omnia manifestius apparent ex accurata rerum omnium Expositione, quam opportunis documentis munitam ac typis editam vobis quamprimum tradendam iussimus. Atque ita universus catholicus orbis agnoscet, quam diuturnum sit bellum a Russico Gubernio sanctissimae nostrae religioni illatum, ut ipsa in Poloniae Regno et Russiarum imperio penitus deleatur. Haud ignoramus, ex funestissima et omnino damnanda rebellione idem Gubernium arripuisse occasionem ad tam dira contra Catholicam Ecclesiam

Digitized by Google

suscipienda consilia, dum rebellionis rei debitis modis cohiberi et puniri poterant, quin Ecclesiae tam grave bellum inferretur. Atque ita Deo placuisset, ut nemo ex Ecclesiae potissimum Ministris se perniciosissimis fatalis huiusmodi perturbationis motibus immiscuisset. Nos quidem nunc denuo, uti alias, rebellionem summopere damnamus et reprobamus, omnesque fideles ac praesertim ecclesiasticos viros monemus et exhortamur, ut impia rebellionis principia ex animo abhorreant, detestentur, ac sublimioribus potestatibus subditi sint, illisque fideliter obediant in iis omnibus, quae Dei eiusque s. Ecclesiae legibus minime adversantur. In tanto autem dolore non leve nobis affert solatium eximia illorum Catholicorum virtus et constantia, qui licet tantopere divexati tamen Deo adiuvante in catholicae Religionis professione stabiles et immoti permanent, et malunt asperrima quaeque perpeti, quam ab eadem sanctissima religione atque ab hac Apost. Sede deficere. Interim vero Dei eiusque Ecclesiae et Religionis causam nobis divinitus commissam strenue tuentes, partesque nostras Apostolica libertate explentes, in hoc amplissimo vestro consessu pontificiam nostram attollimus vocem, et omnia decreta et acta a Russico Gubernio in Religionis, Ecclesiae, et huius Ap. Sedis iurium detrimentum edita ac patrata summopere damnamus, reprobamus, et omnino irrita ac nulla esse declaramus. Verum sperare volumus fore, ut Seren. ac Potent. Russiarum Imperator et Poloniae Rex illustris serio considerans, catholicam religionem eiusque salutarem doctrinam firmissimum esse imperiorum regnorumque fundamentum, ac temporariae quoque populorum tranquillitati et felicitati maxime conducere, velit pro sua humanitate et animi celsitudine iustissimis nostris votis ac postulationibus annuere, ac suprema sua auctoritate efficere, ut in vastissimi sui Imperii Regionibus Catholica Ecclesia eiusque cultores a tot calamitatibus respirent, et iamdiu exoptatam assequantur pacem, et liberum suae religionis exercitium. Ne desinamus autem, ven. fratres, assiduis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum in humilitate et contritione cordis nostri orare et obsecrare, ut propitius respiciat super haereditatem suam, et exurgat in adiutorium populi sui, et Catholicam Eccle-

Digitized by Google

siam tot undique iactatam procellis, tot afflictam periculis, tot divexatam calamitatibus divina sua dextera protegat, adiuvet, defendat, eique optatissimam pacem ac triumphum concedat.

1606. Expositio documentis munita earum curarum, quas Summus Pontifex Pius IX assidue gessit in eorum malorum levamen, quibus in ditione Russica et Polona Ecclesia Catholica afflictatur. Posteaquam Romana Sedes documentis munita Expositione die 22 Iul. 1842 edita assiduas curas a se in gravissimorum malorum levamen adhibitas, quibus in imperialibus regiisque dominationibus Russica atque Polona utriusque ritus Ecclesia afflictaretur, catholico orbi patefecisset, aliquanto laetiores dies in illis infelicibus regionibus Religioni sanctae suboriri, ac fideles ipsi avitam fidem solemni foedere probatam atque sancitam liberrime profiteri posse tandem visi sunt. Haec autem meliorum futurorum temporum spes tum validis atque explicitis, quas Nicolaus I Imperator sua voce Summo Pontifici Gregorio XVI subinde dabat, sponsionibus confirmabatur, tum etiam Concordato, quod paulo post subscriptum tamquam imperialium promissorum adimplementi pignus offerebatur, novumque in Imperio ac Regno religiosarum rerum ordinem pollicebatur. Verum breves ac fugaces fuerunt conceptae spes: nova enim illata in Catholicos vi novaque tristium factorum serie per Imperiale Gubernium vetera recentiaque Ecclesiae vulnera gravius recruduere; ita, ut ipsa eius in vastis illis regionibus existentia maximopere periclitaretur. Per idem namque Gubernium Ecclesiae patrimonium compilatum; sublata fidelibus multa eorum templa, ceteraque deserta ac squallori tradita; pleraque Monasteria destructa; dispersi lapides Sanctuarii, i. e. nonnulli Eppi plurimique Presbyteri in exilium pulsi; Ecclesiae hierarchicus ordo susdeque versus, ac disciplina pessumdata; eius libertas tum in tradenda doctrina, tum in religiosa educatione, tum demum in ipsa Sacramentorum administratione ferme extincta; vis denique illata Catholicorum animis circa paternam fidem, iis quasi haereditate relictam, qua nil sacratius cariusque iisdem esse posset. In tam miseris tamque

Digitized by Google

afflictis rebus Supremum Ecclesiae Caput Pontifex Romanus numquam divinae, quam accepit, missioni officioque defuit. Is gravissimum huius muneris pondus probe noscens, variis modis pastoralem, quam pro illa sui gregis parte tam oppressa gereret, sollicitudinem subinde pandidit, eidemque sublevandae saepius apud Imperiale Gubernium operam dedit, modo querelis ei, qui Romae apud S. Sedem Imperatoris personam gereret, admotis, modo protestationibus rite emissis, modo Epporum caritate zeloque hortationibus succenso, modo denique ipsius Imperatoris aequitate magnanimitateque compellata, ut illa tam miseranda rerum conditio finem haberet, quae in Russia Poloniaque Ecclesiam divexabat. In his vero agendis S. Sedes quos urbanitas modos praecipit iis apud Imperiale Gubernium numquam non est usa. Tum in suis querelis admovendis a via longanimitatis ac moderationis eadem numquam deflexit, iugiter sperans fore, ut eiusmodi oppressio, illis institiae, magnanimitatis ac beneficentiae, quibus potens Imperator gloriatur, praeclarissimis ornamentis, atque illi augustae promissi fidei a se tam solemniter Ecclesiae Catholicae causa variis modis exhibitae, heu! nimis contraria, tandem fieri desineret. Verum in cassum cum cessissent tot tamque probatae querelae, atque conceptae spes, S. Sedes miserrimae illius conditionis, qua Catholici in illis regionibus vexantur, per indubios ac notissimos factorum eventus apprime certior, se sentit intimo sui muneris officio obstringi, quamvis ceteroquin invita, ad se probandum palam catholico orbi, quemadmodum et alias a se id fieri contigit, qui assiduam Supremi Ecclesiae Capitis sollicitudinem, earumque rerum seriem, quae ab eodem Pontifice pro Christi grege saepius peractae sunt, ignorans, admirationem fortasse atque scandalum suscipere ac pati possit, quasivero augustus ipse Pontifex causae a Deo sibi traditae officia praeterierit.

Anno 1845 ad finem vergente Romam Nicolaus I. Imperator Gregorium XVI Summum Pontificem sanctae memoriae alloquuturus accedebat. Faustum felicemque illius potentis Monarchae cum Supremo Ecclesiae Capite occursum atque colloquium tamquam laetum Religioni eventum bonorum quisque suspiciebat, omnesque Catholicis, qui Russiae impe-

Digitized by Google

riali regiaeque dominationi subessent, meliora fore tempora ominabantur. Hinc factum est, ut S. Pater in illo percelebri colloquio, in ipso principio dicendi Imperatori asserere non dubitaverit, se uti speciale divinae providentiae munus habere, Imperatorem ipsum se Romam ut secum colloqueretur contulisse: tum Europae totius oculos ad se ambos in Vaticano consistentes conversos esse, atque eius doloris, quo Pontifex ipse propter tot Russici Imperii oppressos fideles afficeretur, catholicos omnes levamen expectare. Et postquam commemorasset, quanti S. Sedis interesset, Imperatoris Maiestati omnes ei inservientes populos in civilibus rebus morem gerere ac subesse, quod quidem officium ipse saepius solemniter ac diserte illis proclamasset ac confirmasset, adiiciebat Summus Pontifex, profecto expedire, ut qui subditos populos iussisset dare quae sunt Caesaris Caesari, idem et Caesarem ipsum hortaretur, ut Deo quae Dei sunt tribueret. His praeclaris dictis fieri non potuit quin aequus Imperator assentiretur; qui eadem, quae Pontifex annunciasset, et se ait profiteri, nimirum Caesari quae Caesaris sunt, et quae sunt Dei Deo esse tribuenda: seque ipsum primum omnium S. Patris iussa exequuturum spopondit, atque ab omnibus sibi subiectis populis exacturum, ut eiusdem S. Patris auctoritati morem gerant. Hic autem S. Pater in memoriam Imperatoris revocavit leges plerasque in illius Imperio latas, quae aliud omnino, quam debitam Ecclesiae eiusque visibilis Capitis auctoritati reverentiam promoverent, iis nominibus easdem compellans, quae dolentis ac lugentis animi sensus expromerent, ut quae essent anticanonicae, et in S. Religionis exercitio catholicorum animos implicarent atque vincirent. Cum vero S. Patrem Imperator rogasset, ut hasce leges proferret, quas ipse emendare posset: idem generatim recensere perrexit Imperialia edicta, quibus Eppis pastorale eorum ministerium, fidelibus cum S. Sede communicatio, et libera Catholicae Religionis professio interdiceretur, pessumdaretur matrimonii sanctitas, atque Evangelicorum Consiliorum praxis hostiliter impediretur. Si qui vero abusus, sic dicere pergebat Pontifex, vel in fidelium societatem, vel in Clerum irrepsissent, quum funestae Imperii leges nec Epporum iurisdictionem, nec opportunam Pontificis

Digitized by Google

actionem in illa sui gregis portione liberam esse paterentur, eae impediebant quominus ea remedia iis admoverentur, quae aliis in regnis etiam acatholicis, in quibus hanc libere exercet, auctoritas Pontificis solet afferre, ubi profecto fideles non minus suae religionis quam civilium legum observantia praecellunt. Tum quo pluris ea, quae S. Pater oretenus indicasset, faceret Imperator, huic ille literas quasdam detulit, quibus disertius eadem exposita continebantur, eumque rogavit, ut easdem attente ac benigne perlegeret, quas non tam manibus Imperatoris se tradere ait quam cordi. (Doc. 1.) Praeferebant illae literae expositionem multorum ‚Ukas' seu statutorum, quibus Ecclesiae iura, dominia, ac praerogativae laederentur; tristium eorum factorum indicationem, quae in exequendis imperialibus legibus evenissent; tandem querelarum recensionem, quibus S. Pater tot Ecclesias tamdiu suis Pastoribus viduatas iustissime defleverat, quibus Ecclesiis regendis ob gravissimam, quam apud Deum atque Ecclesiam universam suscepisset, sponsionem nonnisi dignos eosque virtutibus praecellentes praeponere Pastores posset. Imperator eas literas a Pontifice oblatas magnis obsequii indiciis accepit, pollicitus se easdem attente perlecturum. Nec frustra. Reversus enim die 17 Dec. ad S. Patrem, de iisdem literis sermonem est orsus, cumque se iis legendis operam dedisse affirmasset, ait, se in praesentia plene de illis rebus quae agerentur respondere non posse, id vero facturum cum Petroburgum pervenisset, atque interim S. Patrem rogavit, ut primum ille suum responsum quamvis modo genericum acciperet, quod in literis, quas eius sacris manibus Imperator tradebat, continetur. (Doc. 2.) Nihilominus in illis colloquiis Imperator S. Patri spondere non dubitavit, se omnes abusus, quorum a S. Sede admoneri cuperet, a suo Imperio ac Regno sublaturum, seque posthac in maximo offerendorum Epporum negotio a via per Pontificis sapientiam sibi demonstrata non discessurum, Religionem Catholicam aequa atque honesta conditione cum in Russia tum in Polonia servare sibi maximopere cordi esse, id tandem quod salvis fundamentalibus Imperii legibus facere catholicis subditis ipse posset, se nequaquam praetermissurum. Quae postrema Imperatoris verba in causa fuerunt,

Digitiz by Google

cur eidem S. Pater hoc adiunxerit: in quacunque legislatione leges vel variare vel abrogare ad illius auctoritatem pertinere, qui eas condidit, hinc vero leges in imperio ab Imperatore latas, quarum causa S. Sedes quereretur, ab eodem Monarcha mutari posse, quin Imperii ratio aut honor periclitaretur: contra in Ecclesia Catholica quasdam leges ab ipsa eius fundatione initium ducere, atque ad eius divinam constitutionem pertinere, ideoque sacras esse atque immutabiles. Hac ratione Pontifex dum ob Imperatoris sponsiones, i. e. quidquid ille posset esse facturum, quoddam solatium se recepisse ostendebat, eodem tempore illi patefacere voluit, ea illius verba omni quam pati possent extensione a se intelligi, haud vero iis limitibus circumscripta, quos forte Imperii leges exigerent: ita ut Pontifex tamquam certum existimare deberet, Imperatorem id omne esse facturum, quod vere coram Deo se posse intelligeret, quodque sibi in praesentia aequum ac iustum visum esset. Tum vero ut Imperatoris promissa bene verterent, S. Pater institutum sermonem claudebat dicens, oportere, ut Catholici sub illius potestate degentes scirent, Imperatorem ipsum eorum pacem et tranquillitatem velle; quibus Imperator respondit: de hoc iis dubitandum non esse. His igitur verbis colloquio finis impositus est, ac post specialis obsequii indicia, quae Christi Vicario praeclarus Imperator exhibuerat, pacis amplexu dato, quo S. Pater coram universo nobilissimo coetu adstante fiduciam significavit, quam haberet fore, ut Imperator optimis suis sponsionibus in eo colloquio datis pro pluries decies centenis millibus Catholicorum, qui sub sua degerent potestate, satis esset facturus, uterque discessit.

Roma discedebat Nicolaus I, et quo melius S. Sedis petitiones nosceret, atque communis fidelium Patris votis faceret satis, Comiti de Nesselrode mandavit, ut brevi adhuc tempore Romae se sisteret, quo S. Sedis querelas contra plures Imperii leges atque statuta diligentius exaudiret. Itaque vir ille praeclarus ut sui Principis iussa faceret, rerum notitias opportunas diligenter hausit, cui Cardinalis, qui externis Pontificiae Ditionis negotiis curandis praefectus erat, singulorum imperialium decretorum, quae canonicum Ecclesiae regimen susdeque verterent, liberum cath. religionis exercitium impe-

Digitized by Google

dirent, eamque iis quas legitime possideret rebus atque independenti quadam sibi propria subsistentia exspoliarent, censum tradidit. In eo censu Cardinalis ipse cuique legi eas apponere notas curavit, quibus ille, qui Romae Imperatoris negotiis agendis erat, earumdem legum iniquitatem et clarius agnosceret, et ab generoso Principe suo quam ille spopondisset petitam abrogationem impetraret. Neque ita multo post tempore aliquis horum laborum successus est habitus. Nam cum in iustorum requiem Gregorius XVI s. m. decessisset, Summus Pontifex, qui modo fauste regnat, Pius IX ipso sui Pontificatus exordio certior factus est, Imperatorem statuisse virum Romam mittere plena atque extraordinaria suo nomine agendi facultate praeditum, Comitem de Bludow, qui suae ditionis negotia cum Pontifice ipso ex professo gereret. Hoc nuntio maxima laetitia affectus S. Pater, ac sincero et religione pleno desiderio succensus, illam sui gregis portionem, quam tum Dei providentia sibi regendam traderet, tot ac tantis malis levatam atque ereptam tandem conspiciendi, quae ab Imperatore proposita essent sollicite excipiens, Cardinalem Lambruschini omni agendi potestate a se donatum (qui modo iam vita defunctus est) designavit atque constituit, qui una cum viro nuper ab Imperatore Romam misso, atque eo, qui Romae iamdiu commorans Imperatoris eiusdem personam gerebat, haec negotia Pontificis nomine pertractanda susciperet. Nimirum hi suorum Principum auctoritate praediti saepius in colloquia convenerunt super ecclesiasticis imperatoriae ditionis negotiis, ex quibus illud factum est, ut Concordatum die 3 Aug. 1847 utrinque subscriberetur; quo etsi rerum ecclesiasticarum ordinatio numeris omnibus absoluta nequaquam statuebatur, tamen si ea fideliter perficerentur, quae in eo statuta essent, pleraque malorum pars, quibus Catholici in iis regionibus afficiuntur, sublata esset. (Doc. 3.) Eo enim Concordato amplae Imperii dioeceses circumscriptae denuo fuerunt, quo earum administratio singulis Eppis facilior redderetur. Novo fundato in Chersoneso Epatu, miseriori quod ad religionem pertineret Catholicorum conditioni, qui Australes Russiae regiones versus Pontum Euxinum et Caucasum incolerent, apte provisum est; cumque

Digitized by

nova Dioecesis innumeros pagos complectens, eosque plerumque barbaros, latissime pateret, Suffraganei munus constitutum est, qui in urbe Saratow sedem haberet; praeterea tamquam ratum habitum est atque probatum in Eppo ius, Missiones per quoscunque vellet inter subiectas imperatoriae dominationi gentes in remotis illius Eppatus regionibus sparsas libere peragendi. Tum etiam Armenorum ratio est habita, qui in Podolia, praesertim vero in Georgia Latinis commixti vitam degunt, adscito pro ipsis, donec proprius eorum Eppus creari non posset, eo consilio, quod iam tum Hierosolymitani belli tempore, cui bello a cruce nomen est, in S. Concilio Lateranensi lege sancitum est, qua mixtae dioecesis Latinus Eppus etiam Orientales Catholicos per Vicarium, qui eiusdem esset ritus ac illi, regere iubebatur. Postquam statutum fuit Art. 13, unum Eppum iuxta invariabilem Ecclesiae constitutionem ecclesiasticorum negotiorum suae dioecesis sub Supremi Pastoris regimine, qui est ipse Christi Vicarius, et iudicem et administratorem esse: in reliquis articulis composita gravissima controversia fuit de Consistoriorum seu Conventuum Eppalium constitutione et auctoritate, quae antea emissis ab civili dominatione statutis cum regerentur ita, ut ab Eppali potestate fere aliena esse viderentur, ea competenti auctoritate, quae in ecclesiastica tantummodo potestate residet, pollere non poterant. Cuius rei gratia impetratum est, ut Consistoria ea modo decernerent, quae ad iudicia spectarent, quae vero ad dioecesis administrationem pertinerent nequaquam attingerent, eorumque deliberationes consultivae potius essent, quam sententiae vim haberent, nisi Eppi iussio accederet; ut horum Conventuum membra veri essent singulorum Epporum delegati, ac proinde ab iisdem Eppis nominandi ipso Gubernio probante, ac dimittendi; quorum delegatio extincta Eppi iurisdictione ac potestate expiraret, ita ut Vicario Capitulari sede vacante, et novo Eppo ipsum dioecesis regimen suscipienti iis quibus vellet Consistorium componere gubernio probante liceret. Dum vero quaedam Imperii lex a. 1843 universam Seminariorum gubernationem Consilio cuidam conferebat, cuius membra plus minus directe a civili Magistratu deligerentur, art. 21, 22, 24, 26 statutum est, ut

Digitized by Google

Eppus, quam sibi partem muneris in Seminariorum sive morali sive oeconomica directione Concilium Tridentinum attribuit, hanc et Capitulo et reliquo Clero liberrime dare posset; ut Eppi esset programmata studiorum conficere, ut ipsemet academicos studiorum cursus regere et intercipere, et omnino etiam abscindere posset, cum id oportere sibi visum esset. Neque vero iis in colloquiis Petroburgensis Academia neglecta fuit, Vilnae primum Gregorii XIII auspiciis fundata, dein iniuria a Gubernio Petroburgum translata, cuius pristina constitutio fuerat civilibus statutis perperam immutata. Quoniam igitur per ea statuta Academiae regendae munus ad Academicum Consilium sub Ecclesiastici Collegii et Ministerii quod vocant Interni regimine prorsus pertinebat, atque Mohiloviensi AEppo nonnisi eius inspiciendae futile ius reliquum erat, art. 22 et 24 unanimi suffragio constitutum est, ut legitimus ac supremus ipsius Academiae Rector idem eiusdem nationis Metropolita haberetur, in cuius Dioecesi est Petroburgum, ut Academicum Consilium consultivum tantummodo esset quoad AEppum, cuius esset Rectorem, Inspectorem, et sacerdotem a confessionibus audiendis, demum scholarum Professores nominare ac dimittere, item programmata studiorum sancire, ac textus, qui explicandi essent, deligere; ut iidem Professores omnes Ecclesiastici essent, aut aliquis saltem ex laicis catholicis selectus; tum denique ut eorum statutorum, postquam fuissent iuxta proposita a Mohiloviensi Metropolita principia mendis expurgata et castigata, ad S. Sedem approbationis habendae causa mitteretur exemplar. Cum vero S. Sedes illud in parochialibus Ecclesiis iuspatronatus catholicis familiis, quae eo fruebantur, vindicare non potuisset, quod Ukas seu lege 21 Apr. 1833 Graecis Latinae Ecclesiae fide coniunctis, et altera 11 Iun. 1843 pro Latinis edita abolitum fuerat, saltem ab Russica dominatione art. 30 obtinuit, ut quoniam patronis per praedictas leges candidatos paroeciis regendis offerre non licebat, iisdem prospicere ad Eppos posthac pertineret, concursus faciendi lege inde servata; ac proinde Eppi, ut qui soli decernere possunt, an promovendi iis sint dotibus praediti, quae ad pastorale ministerium requiruntur, nullis a Gubernio antea temere editis legi-

bus in animarum cura cui vellent tradenda obstringi possent, nulloque Gubernii vinculo detinerentur. Postremo ut liberum cath. religionis exercitium sartum tectum servaretur, atque infaustae Magistratuum inhibitiones super templorum et subsidiariorum instauratione emissae removerentur, quo fideles dispersi et ab sua parochiali Ecclesia longe absentes, quod quidem in vasta terrarum extensione fieri contingit, Ecclesiae praeceptis quoad festorum dierum sanctificationem et Sacramentorum susceptionem minori cum difficultate obtemperare possent, art. 31 templa atque oratoria reparandi novaque construendi ius agnitum ac ratum habitum est. Eiusmodi fuerunt praecipuae in illa maximi momenti disceptatione unanimi consensu constitutae deliberationes atque consilia.

Verumtamen non una haec in illis gravissimis colloquiis prosequi ac sollicite curare studuit S. Sedes. Communicationis facultas inter fideles et Romanum Pontificem; regularum constitutio, quas Clerus in matrimoniis mixtis coniungendis et in iis causis quae super eorum valore suboriri solent decernendis tuto sequi posset; auctoritatis qua Religiosorum Ordinum Provinciales Praesules antea potirentur instauratio; tyronum in Religiosis familiis cooptatio; studia literarum et scientiarum in coenobiis servanda; bonorum ecclesiasticorum administratio catholico Clero restituenda; et pleraque idgenus gravissima S. Patris sollicitudinem acuere maximopere debebant; eoque magis, quo plures leges contraria iubentes ab Imperiali Gubernio variis temporibus editae erant, quae nisi abrogarentur, neque susceptas deliberationes ac consilia benevertisse, neque satis catholicae fidei conservationi, neque pleno legitimae auctoritatis exercitio, quae Pastores Ecclesiarum Russiae et Poloniae respiceret, consultum esse iudicare is nequaquam poterat. Super his controversiis, de quibus mentio facta est, quaeque in illis colloquiis per viros plena vel pontificia vel imperiali potestate praeditos propositae atque agitatae sunt, Comitis de Bludow considerationem atque attentionem excitare non omisit Cardinalis Lambruschini, earumque gravitatem illi ostendere, atque agere, ut illae etiam aliquo modo componerentur. Harum prima ac potissima erat: Epporum ac fidelium ius libere communicandi cum supremo

Digitized by Google

Ecclesiae Capite, ut suas eidem indigentias patefacerent, atque ab eo consilia peterent, et doctrinae praecepta et solamen haurirent. Namque libera constituta a Iesu Christo Ecclesia, atque omnis extraneae potestatis expers, familiae instar recte dispositae perfectaeque societatis, perpetuam ac liberam inter caput et membra, inter filios et patrem, i. e. inter catholicos ubique terrarum constitutos et Romanum Pontificem, qui Ecclesiae Caput est et Pastor et Magister, communicationem necessario servare debet. Huiusmodi autem communicatio non modo Summi Hierarchae ius quoddam est, sed et sui Apostolatus officium; et quemadmodum ipsi Ecclesiae formam a Christo datam immutare non licet, ita nec ullum actum admittere, quo huius necessariae communicationis libertas quidquam laedatur; qua quidem immutabilis illius unitatis vinculum continetur, quae praecipuus Ecclesiae Dei character est, unde a ceteris omnibus, quae Dei Ecclesiae non sunt, apprime secernitur. Ex quibus validissimis principiis non illud modo manifestissime consequebatur, iniustas esse Imperii leges, quibus ea cum S. Sede communicatio interdicebatur, sed et quam infirmum esset viri, qui imperatoris potestate praeditus illum gerebat, responsum; ait enim: Hanc cum S. Sede communicationem Russicae dominationi subiectis populis nequaquam vetari, sed solummodo, quemadmodum a ceteris in Europa consistentibus Dominationibus quamvis quidem catholicis factum fuisse constaret, modum quo ea communicatio per Legationem Romae constitutam exerceretur, definitum esse. Nam facile cuique erat perspicere, data una ac sola, eaque civili huius communicationis exercendae ratione, et eius libertatem omnino laedi, et Ecclesiae divinitus constitutam formam violari, ac demum ab recta regula, quam propter ipsam formam atque constitutiva principia Ecclesia sanxisset, vehementer aberrari. Quodsi ab aliis Guberniis cum Roma communicandi facultas vel ablata vel imminuta per summum nefas fuisset, eidem viro Imperatoris negotia gerenti notum factum est, S. Sedem his impedimentis protestationibus emissis constanter obstitisse, ac prae ceteris legislationibus Russicam moderationis ac temperantiae limites longe excedere, quae nec doctrinae themata, nec quae ad conscientiam referrentur excipiebat; si quis vero responsa quae

Digitized by Google

Roma accepta essent, publicaret, vel iisdem palam uteretur, non modo illum tamquam criminis reum plectebant, sed etiam si quis epistolas alia ratione quam per civile Ministerium vel eo mitteret, vel inde acciperet. Notatum insuper est, iniuriosam suspicionem, qua Russici viri inhibitionem illam excusare conabantur, quasivero haec dirigeretur ad removendum periculum alias quam religionis causa communicationes habendi, in S. Sedem potius cadere quam in eidem subditos populos, quae accusari numquam potuit, subditos Principum damno religiosarum rerum obtentu vel occasione ad negotia pertractanda admisisse. Harum considerationum momenta eius viri ingenium aequitatemque, qui Imperatoris negotia potestate plena praeditus gerebat, fugere haud poterant: quibus idcirco haec respondisse satis ipsi fuit: etiam in Russia legem cum S. Sede communicationes prohibentem non tam severe observari, et aliquando, tribus fortasse post annis, fortasse decem, cum politicae Regni factiones compositae ac pacatae fuissent, facile abrogatum iri. Alterum caput, quod S. Sedes querebatur, erat abusus, qui in Eppalibus Consistoriis obtinuerat, ut in iis vir laicus, quandoque etiam schismaticus, a secretis sederet, facultate praeterea praeditus Procuratoris Fiscalis, atque ut talis a Gubernio nominatus; cuius quidem praesentia Ecclesiasticis Curiis necessaria libertas adimebatur, omnesque spiritualis potestatis actus potestatis civilis inspectioni subiiciebantur. Qua in re licet ii viri plena suorum Principum potestate negotia agentes in id convenirent, ut Secretarii et Procuratoris Fiscalis munera et actus deinceps omnino separarentur, atque ille ab Eppo, Gubernio probante, eligeretur; haud tamen Russici viri conveniebant, hunc necessario catholicum eoque minus ecclesiasticum esse debere, ut eo munere fungeretur, quod haud quidem consultivum vel deliberativum esse affirmabant, sed solummodo, ut aiunt, executivum, atque Gubernio sartum tectum ius servabant in ea Consistoria suum quemdam procuratorem immittendi, qui colloquiis ac sessionibus adsisteret, ne, ut iidem oggerebant, Curiae membra legum civilium castra invaderent. At quomodo Ecclesia consentire poterat, ut Gubernii Procurator in Consistoriis ecclesiasticae libertatis periculo et damno inter-

Digitized by Google

esset? atque ob unam quae oggerebatur suspicionem, eaque erat, ne civilium legum castra ecclesiasticae Curiae invaderent, id tamquam aequum ac ratum habere? Quis autem necessitatem non perviderit, ut, qui in Consistoriis a Secretis foret, cui munus est Sessionum verbalia colloquia redigendi, Curiae deliberantis consilia exequendi, prosequendique communicationes, semper ex catholicis esset, imo et si id fieri posset Ecclesiasticus, non modo quidem ob Iuris Canonici peritiam ad sui muneris exercitium apprime necessariam, sed praesertim ob secretum plerumque in Curiae Eppalis deliberationibus perquam utile, ac tandem ob ipsam agendorum negotiorum naturam? Quamobrem his aequis fretus considerationibus qui Pontificis negotia gerebat, contra viri a Gubernio iniuria in Consistoria immissi praesentiam merito sibi reclamandum esse arbitratus est, atque exigendum, quo satius harum institutionum honori consuleretur, ut qui a secretis foret constituendus, is vel ex ecclesiastico coetu seligeretur, vel minimum ex catholicis. — Ac cumprimis gravissima in illis colloquiis de Regularibus controversia offerebatur: tot namque religiosa instituta servari, ac formam ipsis ab Ecclesia traditam ne minimum quidem laedi S. Sedis magnopere referebat, cum Regulares Ordines in iis, quae ad externam disciplinam pertinerent, Ordinariis summa prudentia subiiciebat, consulebatque eodem tempore, ut eorumdem regimen et regularum integritas, atque instituti cuiusque spiritus novarum rerum per quemlibet ingerendarum arbitrio subduceretur, atque uniformi Generalium suorum Praesulum magisterio iidem opportunius regerentur. Quam ob causam qui Pontificis negotia gerebat, Comiti de Bludow considerandum subiiciebat, quanta audacia atque arbitrii potestate usurpata plura coenobia suppressa essent, quam iniusta decreta religiosae professionis nuncupandae aetatem constituentia, quamque noxia studiorum ab coenobiis eliminatio, quanta demum vi in canonicam peculiaris regiminis ab Ecclesia pro Religiosis Ordinibus statutam formam inferretur bellum per Ukas seu legem latam die 16 Dec. 1842, quo Eppi in eosdem Religiosos Ordines per Visitatorem Imperiali Ministerio probatum ac confirmatum potestatem in sua quisque Dioecesi exercere iube-

Digitized by Google

rentur. Qua super re S. Sedes indulgentiae spiritu in iis, quae ab suis officiis non abhorrent, continenter ducta ampliorem Eppis potestatem, quam quae a Tridentino Concilio atque in sequentium Pontificum sanctionibus sacris Pastoribus tribuitur, per Apostolicam Delegationem concedere haud renuebat. Nihilominus nullum aliud his super rebus ab Legatis Russicis responsum est habitum, quam mandata se ad hasce S. Sedis propositiones conciliationem promoventes excipiendas opportuna nequaquam habere; tantummodo quod ad Coenobiorum ab se ingestam distinctionem, qua alia numeraria compellata essent, alia supranumeraria, hanc se non eo quidem animo ingessisse affirmarunt, ut vellent supranumeraria, quin in singulis actibus S. Sedem consulerent, deinceps coenobia supprimere. Praeterea cum novae Chersonensis Dioeceseos vastitas fere immensa ob oculos versaretur, quae tamquam ex tribus dissitissimis diversissimisque partibus conflata haberi poterat, scilicet Crimea, Saratovia, atque Georgia, Imperialis Gubernii considerationi propositum est, ad earum gentium spiritualibus necessitatibus consulendum nequaquam fieri posse, ut unus Suffraganeus sufficeret, ac proinde oportere, ut saltem unum in Saratovia, alterum Tiflis Suffraganeum Eppus haberet. Necnon S. Sedes occasione praesenti super ecclesiasticorum bonorum conditione conquesta est, ea ostendens ablata Ecclesiae fuisse, ut haec nonnisi aegerrime subsistere posset, piaque opera fidelium bonis constituta, Gubernio se in eorumdem administrationem ingerente, eccles. naturam exuisse, evasisseque civilia. Tum paternis supremi Pastoris curis destituti haud fuere infelices Graeci Latinae Ecclesiae fide coniuncti, qui post poenitendam defectionem a. 1839, praeter unam Chelmae superstitem dioecesim, sine Pastore in Imperio dispersi constiterunt. Quamvis autem legati Russici credi sibi vellent affirmantibus, Graecos Romanae Ecclesiae fide coniunctos in imperio adhuc non existere, quasivero omnes imperii religionem amplexati essent, vel reliquos ad Latinum ritum accessisse, vel denique si qui adhuc superessent, horum tam parvam numerum esse, ut seiunctas pro ipsis paroecias constitui non expediret: attamen Pontificii Legati asserere pergebant, rem esse dictu ferme incredibilem

Digitized by Google

ut pluries decies centena millia Catholicorum, quot ante annum 1839 extitisse constaret, omnes alia ratione quam vi aut dolo religionem illico commutasse. Quique igitur esset eorum numerus, qui unitatis centro fideles perstitissent, hos universalis Pastoris sollicitudinem curamque iure merito exigere posse. Ergo ut ii catholicum possent cultum iuxta eorum ritum exercere, imperiali Gubernio S. Sedes disertis verbis patefaciebat, interim omnino oportere, ut Latinis Eppis illos per sui ritus ecclesiasticos ministros regendi facultas fieret, iuxta sapientem Benedicti XIV pro Italo-Graecis constitutionem, iis legibus nixam, quae Concilii Lateranensis canone sancitae iam erant. Angebant praeter haec S. Patrem poenales leges, quae contra illos, qui ad Catholicam Religionem converterentur, vigebant. Quarum stylus, necnon tristia eventa, quae ob earumdem applicationem contigerant, eiusmodi erant, quae eum, qui Pontificis nomine negotia gerebat, nequaquam sinerent responso, quod ab Imperatoris Legatis dabatur, acquiescere, nimirum eiusmodi leges aliud non esse, quam canonicas poenas a Russica Ecclesia statutas, quibus illi mulctari deberent, qui eius fidem desererent, vel simplices cautelas ad effroenem cum possidentium virorum, tum patrumfamilias atque catholicorum sacerdotum zelum, quem proselitismum vocant, compescendum. Idcirco ut eadem decreta abrogarentur, S. Sedis nomine efflagitabat, eas siquidem dum fidelium animis vim inferrent, ferme impossibile efficere catholici sacerdotis ministerium, quin praecipuae Dei Ecclesiae leges violarentur. Postremo iusiurandum illimitatum, quod omnes ecclesiastici viri eadem ratione ac ceteri officia publica gerentes Imperatori legibusque obtemperandi absque ulla rerum definitione ab Imperiali Gubernio nuncupare iubebantur, ei qui pontificis negotia gerebat, dignum visum est, de quo sermo instituerctur atque expromerentur querelae; neque enim rata haberi nec permitti ab Ecclesia potest huiusmodi laicae potestatis legibus obedientia, nisi a Principe divinarum atque ecclesiasticarum legum observantia publica solemnique declaratione sarta tecta diserte servetur rataque habeatur; eoque magis, quod pleraeque Imperii leges, quarum meminimus, Ecclesiae praxi ac principiis oppo-

Digitized by

sitae eccles. virorum conscientiam angerent, eosque in conditionem perquam tristem coram civilibus Magistratibus immitterent.

Quamquam vero qui Imperatoris plena auctoritate praediti in colloquium convenerant, ad satisfaciendum aequis S. Sedis querelis ac propositiones excipiendas ad referendum se opportunis instructionibus destitutos esse affirmarent: tamen id S. Sedes haud ita plenae earum rationum cognitioni tribuere malebat, quibus suae niterentur querelae; ideoque sperabat fore, ut postquam Petroburgi eaedem fuissent Imperatori expositae, idem Imperator cognita harum querelarum indole iisdem studiose prospiceret, atque Ecclesiae Cath. adminicula, quibus se ipsam apte conservaret, relinqueret, ac fidelibus catholicam palam profitendi religionem, huius praeceptis obtemperandi sequendique consilia, pastoribus denique gregem suum iuxta leges ab Ecclesia ipsa constitutas regendi faceret potestatem. Hac igitur spe S. Sedis postulationes in distincto exemplari, quod Protocollum vocant, ab Legatis utriusque Principis subscripto die 3 Aug. 1847 traditae sunt, ex quo nulli ex legibus, quibus in Imperio et Regno Ecclesiae iura violarentur, restitum non fuisse patesceret. Fides praeterea suscepta est, quam Legati Russici in prologo eiusdem Protocolli conscripto faciebant, Gubernii se super iisdem magni momenti negotiis attentionem excituros, novumque Actum redacturos, quum opportunae ad se instructiones pervenissent. (Doc. 4.) Quamobrem S. Pater quo tempore Roma Comes de Bludow abiturus erat, die 10 Aug. 1847 literis ad Imperatorem datis eius magnanimitatem aequitatemque compellabat, ut quae plenam negotiorum religionis in eius dominiis compositionem adhuc impediissent obstacula removerentur, atque ut eidem inservientes populi avitam possent libere religionem profiteri. (Doc. 5.) Itaque quo facilius hae quaestiones dirimerentur, atque ut eorum, in quae constituenda Legati convenerant, non differfetur executio, S. Pater Comiti de Bouteneff patefaciendum curavit, se ad earumdem rerum executionem, siquidem eae ratae habitae Petroburgi fuissent, legitimis opportunisque Dicasteriis committendam paratum esse. Perveniebat paulo post Imperiale responsum

Digitized by Google

literis Pontificiis datum die 15 Nov. 1847, in quo Russiae Imperator Ecclesiae Cath. Capiti fidem facere non dubitabat, huius spem se haud esse frustraturum, sibi subditos populos Ecclesiae ipsorum propriae spiritualibus bonis usuros, in salubri compositione inter utrumque Principem per suos legatos negotia agentem constituta reipublicae ordinem, atque conscientiarum quietem tutum sponsorem esse habitura, statutaeque compositioni annuens ea, quae unanimi essent consensu acta, se rata habuisse, iamque ut formalis quam vocant eorumdem communicatio fieret mandata se dedisse significavit. (Doc. 7.) Nimirum Comes de Bouteneff publicis literis, quas Notas appellant, datis die 21 Dec. 1847 cuiusdam communicationis, quae ab Imperiali Gubernio facta erat, brevi narratione adiecta, solemnem sponsionem exhibebat, Imperatorem ea, quae ante per Legatos gesta essent, rata habiturum; nonnulla animadvertens super art. 25 Concordati, in quo de Magistrorum et Professorum in Seminariis electione disserebatur. (Doc. 8. 9.). Ex hac vero optima Imperialis animi erga catholicos Russiae subditos propensione novum S. Sedi offerebatur coniiciendi argumentum, Imperatorem reapse velle Pontificis votis ac postulationibus adimplendis dare operam, ceteraque perficere quae infecta perstitissent, quod quidem Imperator, literis datis die 28 Ian. 1848 respondens, se facturum significavit. (Doc. 10.) Cuius sincerae voluntatis significationem magis explicitam confirmationemque habebat per publicam communicationem cuiusdam Notae literis a Comite de Nesselrode conscriptae, quae quidem communicatio paucis post mensibus per supradictum Imperatoris Ministrum fiebat Nota edita die 5 Iul. 1848, qua ab Imperiali Gubernio super duobus capitibus compositio quaedam expetebatur, in quae stabilienda nondum erat per Legatos conventum: eaque erant, sextum de modo quo procedi expediret in matrimoniorum aliisque eccl. causis nonnullis, atque octavum de alterius Suffraganei in nova Chersonensi dioecesi institutione. (Doc. 11. 12.) Quapropter S. Pater per Cardinalem, qui a publicis ditionis suae negotiis gerendis erat, Imperiali Gubernio publicis literis ad Imperatorem datis die 2 Iul. 1848 quamprimum significari voluit,

Google

se tum novi Suffraganei institutionem, tum illum, quem Imperatoris literae praeferrent, in supradictis causis agendis procedendi modum probare ac rata habere, quo quidem causae illae post secundam appellationem in suis Curiis per Metropolitanos exceptam ad S. Sedem Apost. referendae esse dicebantur, si quas alias fieri contingeret appellationes; ceterae vero ab AEpporum Curiis primum actae, a duobus Eppis vicinioribus speciali ad tempus Apostolica delegatione accepta definiendae. (Doc. 13.) Hac quum res pervenissent, S. Pater maxima laetitia affectus, per Allocutionem Consistorialem die 3 Iul. 1848 habitam universo catholico orbi Concordatum, quod iam ratum habitum erat, patefaciebat; enumeratisque capitibus, in quae nondum Russici Legati convenerant, spem promebat fore, ut ab Monarchae aequitate, qui tum Imperii sortes regeret, compositionis complementum brevi assequeretur. (Doc. 49.) Igitur ea quae statuta erant, quod ad se pertineret, exequenda adgrediens, per S. Congregationem Consistorialem expediri decreta iubebat de committendis processibus pro AEppali Sede Mohiloviensi, et pro Eppalibus Sedibus Luccoriensi, Zytomeriensi et Vilnensi; Bullam, cui initium est, ‚Universalis Ecclesiae' die 3 Iul. 1848 super nova in Imperio dioecesium circumscriptione edebat, eodemque tempore ad Imperii Eppos Latinos binas per Cardinalem publicis exterisque Pontificiae ditionis negotiis gerendis praepositum Apostolicas literas dabat, ut iuxta decreta in Concilio Lateranensi statuta diversi ritus Catholicos, qui in sua dioecesi suis orbati pastoribus vagi consisterent, solicite curarent, atque ut integros servarent Orientalis Ecclesiae ritus, quos S. Sedes praecipua cura custoditos, servatosque ingiter voluit. (Doc. 14. 15.)

In his omnibus exequendis S. Pater iure merito existimare debebat, etiam Imperiale Gubernium, quod ad ipsum pertineret, quidquid solemniter condixerat ac ratum habuerat, fideliter executurum. Ad id profecto tum eorum, quae sancita erant, conditione, tum etiam gentium atque naturae ipsius iure obstringebatur; quod quidem fidelem earum rerum observantiam praecipit, in quas quisque agendas honeste convenerit; nec enim hae violari possunt, quin publica fides,

Digitized by Google

quae fundamentum est omnium firmissimum, et vinculum, quo universa hominum societas constringitur atque incolumis servatur, omnium facile fortissimum atque sanctissimum, penitus abscindatur ac destruatur. Attamen, quod dicere piget, haec, quae post salebrosos tractatus acta sunt, ab ipsa civili Europa atque ab universo catholico orbe expetita, quaeque magna ex parte illam religioni libertatem, quae in ipsa Regni divisione voce scriptoque adserta ac constituta erat, vindicabant, et ad conscientiae iura, quae nulli praescriptioni omnino obnoxia sunt, spectabant, fere ut exanime cadaver oblivioni data proiectaque, iniquis legibus, statutis divexantibus, factisque violentis totidem velut confossa vulneribus iacuere: quorum omnium narratio iis, qui veritatem omni partium studio expertes sectantur ac magni faciunt, ostendet, utrum iure necne S. Pater magna affectus tristitia in postrema Allocutione, quam habuit die 29 Octobris, pronunciaverit: diuturnum bellum ab Russico Gubernio in S. Religionem nostram indictum esse ac geri, ut illa e Poloniae Regno atque universo Imperio expellatur exterminetur. Concordatum enim ab Magistratibus occulte duntaxat Eppis atque Imperii Consistoriis patefactum a catholicis populis fere ignorabatur eius publicationis legitimae defectu, quae eiusmodi solemnem compositionis actum decebat, in quo iuxta Imperatoris verba reipublicae ordo et conscientiarum quies certam ac firmam sponsionem defensionemque essent habitura; atque in Poloniae Regno novem ipsis post annis prologo suo destitutum in Regni ephemeride, quam officialem dicunt, Varsaviensi ut insereretur, tum demum curatum est; leges nonnullis eiusdem Concordati articulis oppositae nec abrogabantur, nec immutabantur, nec tandem Imperii decreta sive mitiora sive svaviora prodibant. Quare nova dioecesium circumscriptio, quae art. 1. et 2. unanimi Legatorum consensu constituta, primum quominus fieret impediebatur; et quamvis ab executore Bullae Pontificiae multis obstaculis superatis ea perfecta fuisset, Apostolica tamen sanctione confirmari non poterat, quod originaria decreta Gubernium Romam non mitteret, ut violentos actus, quos iis diebus peragebat, plura coenobia arbitraria potestate supprimens, S. Sedem celaret. Satis enim iuxta ea,

Digitized by Google

quae consentientibus Russicis Legatis constituta erant, quaeque decretis de bullarum excentione, de quibus mentio facta est, continebantur, omnium coenobiorum, quae in singulis Imperii dioecesibus consisterent, diligentem enumerationem et fieri debuisse et reapse factam fuisse compertum est; compertum item est ex art. 8 inter illos, in quos statuendos Legati haud convenerant, quod quidem superius innuimus, eosdem Legatos, dum insolutam de Provincialibus Religiosorum Ordinum Praesulibus quaestionem reliquerunt, declarasse, Gubernii Imperialis animum non esse ex supranumerariis, quae adhuc existerent, coenobiis ullum supprimere, quorum si quod peculiaribus de causis supprimendum esse censeretur, id nonnisi sciente ac consentiente S. Sede factum iri. His tam explicitis novissimisque protestationibus non obstantibus Imperiale Gubernium Ukas seu lege lata die 5 (17) Iul. 1850 eorum, quos Bernardinos nuncupant, coenobium Kowni in publicum gymnasium convertere non dubitabat; (Doc. 16.) altero Ukas dato die 6 (18) eiusdem mensis atque eodem anno unum et viginti in Imperii dioecesibus coenobia abolebat; (Doc. 17.) die 7 (19) Ianuar. 1851 Sorores a Visitatione nuncupatas dimittebat, ceteraque delere coenobia parabat tirociniis occlusis, extractisque e coenobiis, quae supernumeraria fuerunt appellata, alumnis qui numeraria complerent; decreta denique die 6 (18) Nov. anno eodem omnium coenobiorum, quae octo religiosorum virorum numerum non attingerent, extinctione. Suffraganei, qui ob parvum dioecesium numerum et fidelium indigentiam necessarii evaserant, nequaquam, ut in art. 3. praeceptum fuerat, S. Sedi eligendi proponebantur, ita, ut dioeceses fere omnes iis carerent, atque catholici in illis vastissimis regionibus dispersi spiritualibus religionis subsidiis destituerentur. Nihil pro constituenda perficiendaque Chersonensi dioecesi agebatur, in qua per art. 4. et 7. Concordati Cathedralis, Capitulum, et Seminarium erigenda iubebantur; necnon Praesul Khan post longam moram atque obstacula interposita illius Sedis Eppus consecratus eodem ipso tempore Collegii Petroburgensis membrum ab Imperiali Gubernio eligebatur, atque in eadem urbe principe, ne ille novae suae dioeceseos regimen susciperet, detinebatur. Catholici Armeni

Digitized by Google

iique complures, quibus vastae dioecesis Chersonensis pars conflatur, tum etiam ii, qui in dioecesi Kamenicicnsi versantur, per art. 8. ac 9. duobus singillatim Eppis Latinis curandi committebantur, et Gubernium ipsum ad aliquot Armenos Clericos in Seminariis Chersonensi et Kamenecciensi suo aere alendos sese obstrinxerat. Attamen nec eo iuvenes mittebantur, nec spirituali earum gentium commodo prospiciebatur. Quinimo earum fidei struebantur insidiae, atque ad defectionem eaedem provocabantur, facultate schismaticis Armenis facta per occultam Ministri, qui ab internis Imperii negotiis erat, instructionem datam die 18 Ianuar. 1852 in suam sectam absque ulla Imperatoris venia catholicos excipiendi. Frustra S. Sedes expectabat, ut una secum Gubernium opportuna decerneret susciperetque consilia, quibus, quemadmodum in art. 11. ac 12. praescribebatur, tot Ecclesiarum viduitati consuleretur. Vel ipsius Eppalis auctoritatis, quae in art. 13. generatim sancita atque in sequentibus articulis quod ad dioecesium administrationem, ad membrorum in eccles. officia electionem, ad studiorum demum regimen pertineret rata habita fuerat, nulla prorsus habebatur ratio. Illa enim despiciebatur in Consistoriis, ubi is, quem Gubernium a secretis nominaverat, mandatis sibi ample datis praefidens, se quasi Imperii procuratorem sistens, deliberationum libertatem impediebat, atque ita se gerebat, ut qui Eppis Consistoriique membris imperaret; despiciebatur in iis nominandis, qui Ecclesiae officiis fungerentur; Gubernium enim secus ac in art. 17. et 22. statutum erat, acceptationis suae significationem, quae sibi tantum concessa erat, in absolutum adprobationis ius iniuria convertens, nominationes arbitrio suo approbare et confirmare sibi licere existimabat, quarum sive excipiendarum sive reiiciendarum ratio unica frequentissime ex iis petebatur, quae de candidatis officia publica gerentes et Cleri Russici membra referrent, ita, ut ii, qui ex ecclesiasticis viris ob eorum zelum pietatemque ad officia gerenda ceterorum maxime idonei fuissent, tamquam suspecti ac minus idonei sugillarentur, ideo tantummodo, quod in suis gerendis officiis schismaticorum odium provocassent, atque eorum, qui Gubernii officiis fungebantur, benevolentiam sibi comparare nesciis-

Digitized

sent. Imo Gubernium ad Parochorum etiam electionem huiusmodi abusum protendens, eos officio exspoliari hoc uno iniquo iubebat nomine, eos sibi amplius non placere. Dolet quidem magnopere id referre, parochos subinde expelli non alia de causa, quam quod in una catholica religione salutem posse consistere iidem asseruissent, matrimonia mixta fieri non licere, in schismaticorum fanis sacro Altaris sacrificio interesse catholicos non posse. Ministri igitur Sanctuarii constituti dispensatores mysteriorum Dei ideo nimirum plectebantur, quod immutabiles fidei veritates fidelibus annunciarent, et pastoralis legationis suae officiis fungerentur. Postremo in literaria Seminariorum institutione Epporum non agnoscebatur auctoritas, in illis enim Gubernium iis contradicens, quae in art. 19. 25. Concordati constituta erant, Ukas edito 3 Apr. (27 Mart.) 1851 tum lingvae tum historiae Russicae lectiones ab Russicis Magistris tantummodo dari praecipiebat, ac propterea eas conscendere cathedras nonnisi praeceptores schismaticos sinebat. Adeo brevi tempore oblivioni datum ab Imperialibus Ministris fuit responsum, quod S. Sedes Nota dici 24 Ianuar. 1848 Comiti de Bouteneff dederat, qui anno superiore die 21 Dec. oggesserat, impossibile quandoque esse, ut inter Catholicos ad aliquam literariae institutionis partem tradendam idonei reperirentur. Tum S. Sedes declarare non omisit, Ecclesiam permittere numquam posse, ut diversae religionis viri vel partem literariae institutionis tradendae suscipiant, atque in tam lata dioecesium extensione, Sediumque Eppalium tam parvo numero haud ita difficile fore, ut Eppi omnibus scholarum Cathedris Praeceptores sin minus Ecclesiasticos saltem Catholicos dare possent; denique si ob peculiaria rerum adiuncta id illis difficile evasisset, praestare ut aliqua minus praecipua literariae institutionis tradendae pars intermittatur, vel alicui ex Professoribus, qui alteram doctrinae cathedram obtinet, committatur, quam ut huiusmodi tam aequa tamque necessaria regula exceptionem patiatur. His vero tam disertis protestationibus posthabitis, ad eas sive literarum sive scientiarum cathedras schismatici subinde Professores adlecti mittebantur, ac iunioribus Clericis tamquam historiae perdiscendae typus veneno infecta ‚Ustratovii' hi-

Digitized by Google

storia tradebatur, in cuius paginis et in catholicos maligna improbitas, et narrationum falsitas, et Ecclesiae Romanae calumniis appetendae vesana cupiditas secum certare videntur. Sed quemadmodum Concordati statuta, quae ad Seminaria spectarent, violabantur, sic ea etiam, quae ad Petroburgensem Academiam attinerent, ubi ad sublimiores scientiarum cathedras religionem imperii profitentes Magistri evehebantur; ideoque eiusdem Academiae statuta, uti in art. 29. Concordati praescribebatur, ad S. Sedem nequaquam missa sunt, quod eadem statuta per Metropolitam Mohiloviensem sapienter correcta atque emendata rem Imperii publicam gerentes nollent. Hisce omnibus ab Russico Gubernio despectis, mirum non est, postremum Concordati articulum, quo fidelibus libera suorum templorum reficiendorum potestas asserebatur, fuisse neglectum, compluribusque decretis quasi totidem vulneribus confossum. Sane vir internis Imperii negotiis curandis praepositus die 19 (31) Ianuar. 1851 Ukas seu legem latam die 28 Febr. (12 Mart.) 1845, qua vel minima sive sacrarum aedium sive templorum reparatio absque civilium magistratuum facultate adgredienda interdicitur, instauravit ac confirmavit. Quamobrem in diuturna ac perdifficili huiusce permissionis expectatione sacra interim aedificia fatiscebant, saepe etiam fidelium preces de restaurandis templis reiiciebantur, ac praeterea ut schisma proficeret haud raro sacrae catholicorum aedes vi claudi iubebantur. Hoc quidem consilio Russiae Albae Gubernator generalis die 9 (21) Dec. 1850 Vestienwkae filiale uti vocant templum ut clauderetur edixit, quod dominanti religioni idem obesse diceretur; item in Plocensi communitate sacra Sokolisgeni aedes claudebatur, hac una videlicet causa, quod neoschismatici, qui ea loca incolebant, eam ingredi in eaque sacrae Catholicorum concioni interesse potuissent; sigillis muniebantur sacrae aedis postes in pago, cui a Paulo nomen est; in sacris praeterea coemeteriorum aedibus altaria erigi vetabantur, in quibus Hostia qua placatur Deus pro defunctorum fidelium animabus Deo ipsi litaretur.

Haec tam violenta decreta, quae quidem catholicorum percellunt animos, haud mira videri debent, quum certo constet, in illis regionibus signum redemtionis nostrae sustollere

cum Salvatoris morientis affixa imagine fidelibus vetitum fuisse, atque ab ipso Gubernio Sacerdotem, qui ad Archidiaconatum Bialostocensem pertinebat, fuisse beneficio privatum, quod cruci a catholicis erectae ritu catholico benedixisset. Quamvis ergo omnes Russiae incolae severissime vetarentur quominus Romae communicarent, gravissimisque poenis id praeceptum iniquum non observantes plecterentur: tamen hae Concordati innumerae patentesque violationes per illustrem AEppum Mohiloviensem, cui ut diximus Bullarum a Romano Pontifice ob ipsum Concordatum sequenti tempore editarum executio demandata erat, ad S. Sedem perferebantur. (Doc. 18.) Tum S. Pater, quam ipse conceperat spem, irritam evasisse dolens, maximaque affectus tristitia ob miseram rerum conditionem, in qua Ecclesia pergebat in vastis illis regionibus consistere, Apostolatus sui officio haud deficiens, atque in eam sui gregis infelicem portionem sollicitam gerens curam, literis digno Mohiloviensi AEppo datis omnes Imperii Antistites in mediis fluctibus undique Religionis causa exagitatos verbis amantissimis solabatur, eorumque pastoralem zelum exacuebat incendebatque. Eos igitur hortabatur, ut acatholicorum insidiis detegendis vitandisque invigilarent, fideles monerent ut integram servarent fidem, atque in S. Petri Sedem observantiam obedientiamque constanter exhiberent, zelo Dei plenos sacerdotes sibi ipsi adsciscerent Eppi, qui populis vitae panem petentibus frangerent, ac demum iuniores Clericos in suis Seminariis exceptos pietate vera sanaque doctrina informarent. (Doc. 19.) Eodem tempore Cardinali, quem ipse Pontifex exteris ditionis suae negotiis curandis praefecerat, mandabat, ut incommoda eaque gravissima, quae ob diuturnam Antistitis Kahn a sua Eppali Sede absentiam catholicis, qui omni pene ope destituti in Chersoneso erant, contigerant, Imperiali Gubernio patefaceret, atque Imperatorem rogaret, ut ea obstacula removenda curaret, quibus idem Antistes, quominus in sua dioecesi resideret, impediebatur. (Doc. 20.) Neque vero id praetermisit efficere, ut viro illi, qui Romae Imperii Russici negotia gerebat, in frequentibus colloquiis quae habebantur vividissimi admoverentur stimuli pro summis Ecclesiae rebus, quae in ipso im-

perio est, curandis. Cum autem Romanus Pontifex probe nosset, in Poloniae regno Sororibus a S. Vincentio de Paulo nuncupatis obstacula creari; Ukas seu legem de matr. mixtis a. 1832 die 20 Aug. editam in eodem Poloniae Regno publicatam fuisse; ac denique fere omnes in Imperio et Regno Ecclesias Pastoribus et Suffraganeis destitutas consistere, Notam verbalem ad Russicum Ministrum mittendam curavit die 14 April. 1852, ut liberum Sororibus iisdem ministerii sui exercitium, quod caritatis causa fit, linqueretur; causae expromerentur, ob quas huiusmodi decreti facta fuisset publicatio; tandem ut Ecclesiarum Pastoribus iisque dignis suffiendis daretur opera, de quibus S. Sedes tranquilla ac tuta esse posset. (Doc. 21.) Verum enimvero cogitantibus gravissimam, quam S. Pater coram Deo et Ecclesia suscepit sponsionem, quaeque velut grave pondus eius humeros premit, quoad Epporum electionem; et memoria repetentibus insignem illam SS. Patrum in Tridentino Concilio congregato rum sententiam, Divinum hominum Redemtorem rationem a Romano Pontifice exacturum de eorum fidelium sangvine, qui Epporum negligentia seu incuria sui muneris pereunt, facile patet: quanto animi angore atque tristitia afficiatur Sanctus ipse Pontifex, cum ei ad occupandas Ecclesiarum Sedes Ecclesiastici viri proponantur, qui aut iis dotibus necessariis carent, quibus huic tam sublimi muneri satisfacere queant, aut ea sunt provecta aetate, atque adeo infirmis viribus, ut Eppatus labores haud ita leves iam sustinere non possint. Hinc mirum profecto visum est id, quod Russicus Minister Notae illi, quam eidem missam fuisse diximus, responderit: qui quidem causas in medium proferens, quare Sedes Eppis vacarent, id Pontifici culpae tribuit, quod iste vel ab Imperiali Gubernio oblatos respuerit, vel Candidatorum confirmationem distulerit. (Doc. 22.) Salvo enim Religionis ac Pontificis decore suspicari haud fas erat, huius vel repulsae vel dilationis aliam causam esse, quam severi ac fideliter suscepti examinis, quod Candidato minus feliciter cesserit; cuius quidem examinis instituendi ius quoad dotes et idoneitatem Candidatorum ad ipsum Romanum Pontificem videlicet spectat. Quinimo miseranda in Poloniae Regno rerum conditio, innu-

Digitized by Google

meri civilis Potestatis conatus ad liberam catholicae religionis professionem impediendam, discrimina demum, in quae ob malas schismaticorum artes Catholici vocabantur, haec inquam in causa erant, cur potius acceleraretur quam differretur Epporum electio vel confirmatio. Nec enim S. Sedem praeteribat, quibusdam in locis in dioecesibus Mohiloviensi ac Mincensi, praesertim vero in Paroecia Czasniccnsi in communitate Vitebecensi a schismatico clero funestos parochianorum catalogos multis abhinc annis exaratos in examen revocari, quo plures animae Ecclesiae Catholicae subtraherentur; (Doc. 23.) noverat praeterea S. Sedes, Possinensis paroeciae catholicis impedimenta opponi, quominus praecipuum suum templum novis operibus restaurarent; (Doc. 24. 25.) noverat ab Imperiali Gubernio sive catholicos sive schismaticos omnium suorum templorum enumerationem ac status eorumdem accuratam expositionem facere iussos esse, (Doc. 24.) eo fortasse animo, qui subinde innotescebat, ut catholicos suis spoliarent templis, eademque schismaticis tribuerent. Hac quippe exspoliatione modo extenditur, quemadmodum antea erigebatur, in imperio Russico schismaticorum ecclesia, dum infelices catholici flexis humi genibus, manibusque ad coelum sublatis, sua sibi servari templa, ac religionis solatia dari frustra efflagitant. In urbe Krzemieniec, cuius fere omnes cives catholici sunt, in schismaticae religionis usum quatuor templa convertebantur, ac dum ea ob paucissimum schismaticorum numerum deserta patebant, plura catholicorum millia in publica via, rigente hyeme, sacris interesse mysteriis cogebantur humili casa pretio conducta celebratis; in Dioecesi Mincensi decreto edito die 20 Iun. 1852 duodecim sacras aedes ac parochiale templum occupare schismatici iubebantur; (Doc. 27.) publicabatur atque ad magistratus Imperii singulos mittebatur decretum, quo praeciperetur, ut iis in locis, in quibus Graecorum Russicorum templa sive soliditate sive amplitudine Catholicorum templis vincerentur, ea a catholicis aere collato denuo aedificarentur, nisi ii sua templa ab Graecis Russicis occupari vellent.

Super his tam iniquis decretis haud tacebat S. Sedes: imo Nota, quam confidentialem appellant, data die 20 Iul.

Digitized by Google

1852 aperte querebatur, atque ab Imperatoris aequitate poscebat, ut qui inter eius subditos catholicam profiterentur religionem, nec in libero eiusdem exercitio vexarentur, nec suis privarentur templis ac ministris. (Doc. 28.) Ut longae Antistitis Kaln a sua Sede absentiae imponeretur finis, atque illi populi Pastoris sui praesentia afficerentur solatio, id etiam summa qua potuit indulgentia concessit, ut ea sedes ab urbe Cherson Tiraspolium transferretur. (Doc. 29. 30.) Sed hi sollicitudinis ac benevolentiae actus quem S. Sedes iure merito expetebat successum non habuere. Namque id temporis dignus Mohiloviensis AEppus ad Ecclesiarum Decanos literas dabat, ut iuxta ea, quae Concordati art. 31 statuta erant, parochialibus ac filialibus templis restaurandis operam darent; quasivero Concordatum appellasse culpae esset tribuendum, ille qui ab internis Imperii negotiis erat, literis datis die 8 Aug. 1852 huius tam iustae ac legi conformis praeceptionis ecclesiasticae rationem ab eo exigebat, atque asserere non dubitabat: illud Concordatum non eo certe fuisse animo constitutum, ut pristinus rerum status vel minimum immutaretur. (Doc. 31. 32.) Si quem vero vivaciores ab eodem Metropolita ad Imperatorem admotae querelae (Doc. 33.) successum sortitae sunt quoad parochialia templa novis operibus resarcienda (Doc. 34.), non idem tamen ceteris templis, quae filialia nuncupantur, contigit, ac sacris aedibus innumeris, quae vastis illis in regionibus fidelibus praesertim rigente hieme supplicationes statis temporibus facturis vel sacrorum mysteriorum celebrationi adstituris excipiendis adeo sunt necessariae. Praeterea quo Catholicorum templa silerent magis ac desertiora consisterent, parochis ceterisque sacerdotibus, quominus concione advocata Dei verbum fidelibus enarrarent, editis decretis interdictum est. Iam a die 28 Mart. (9 Apr.) 1852 per internorum Imperii negotiorum Ministrum lex Imperatoris nomine prodierat, qua ecclesiasticis viris omnibus praecipiebatur, ne quas alias in fidelium concione orationes haberent, quam quae ex libris, qui editi atque a Gubernio rati habiti essent, haurirentur. (Doc. 35. 36.) Altera lege, die 22 Mart. anno insequente edita normam idem Minister praecipiebat, qua orationum a Paro-

Digitized by Google

chis concinnatarum examen praescribebatur, eaque tandem erat, ut scripta, postquam haec Consistorii membra probassent, ab Civili Provinciae Gubernio confirmanda essent, tum traderentur Eppo eoque sponsore recitarentur ; (Doc. 37.) ita, ut nemini liceret sermonem eo suggerente proferre, qui ubi vult spirat, in Verbo Dei annunciando, nisi ei, qui ab Magistratibus esset constitutus, visum esset ; nimirum Eppis et Clero universo obstacula obiiciebantur, ne praecipuo ministerii sui officio, quod in religionis doctrina tradenda positum est, fungerentur ; cuius quidem doctrinae una Ecclesia divino sibi adstante Spiritu et methodum constituendi et integritatem custodiendi ac vindicandi ius habet. Hisce tam funestis constitutionibus et illud praeceptum accedit, quo omnes ecclesiastici viri prohibebantur, quominus calumnias, quibus in populos studiose perlatis Ecclesia Catholica per summum nefas passim impetitur, refellerent, atque ab iis scriptis, in quibus catholicae fidei doctrina vel dicteriis inficitur, vel mendaciis violatur, confutandis arcebantur ; tum etiam illud, quo sive ex cathedra sive in instructionibus de discrimine vetabantur disserere, quo Ecclesia Catholica a Russica dominante internoscitur, id demum docere, in catholicae solummodo Ecclesiae sinu aeternam salutem obtineri posse. Ex quo fiebat, ut fideles ea penitus ignorarent, quae praecipua S. Religionis dogmata sunt, atque nec opini se schismaticos factos fuisse quodammodo ingemiscerent. Ad Schisma vero eos adigebant et disciplinae militaris et civilis Gubernii constituta forma, et officiorum distributio. Catholici enim militiae nomen dare coacti atque inscripti in ultimam Russiam mittebantur, ubi inter distractiones, instigationes atque exempla christianae institutionis semine suffocato, omni spirituali auxilio destituti sensim sine sensu ad schisma convertebantur. Nobiles catholici ullo domi officio publico fungi vetabantur, eamque ob causam dissitas Russiae urbes adire coacti, ibi exhortationibus, consiliis, iisque operibus, quibus in catholica religione persisterent, destituti, schismaticis erroribus imbuebantur. Neque vero ab huiusmodi periculis procul ipsa plebs aberat, in quam modo vi modo insidiis ministri utebantur, crebrius autem mixtorum matrimoniorum favore, quo cum

Digitized by Google

ipsa morum honestate fidem etiam patrum suorum facilius amitteret. Haec tam miseranda rerum conditio S. Patrem summo afficiebat moerore, qui ut hisce malis prospiceret, querelis identidem admovendis numquam destitit. Igitur die 3 Sept. 1853 Russico Ministro quaedam Promemoria quam vocant ut traderetur curavit: in qua viro illi, qui Romae Imperatoris negotia gerebat, ea, quae in supradictis confidentialicus literis super instructione, quae acatholicis Armenis data esse diceretur, ac super editis mandatis de catholicorum templis instaurandis continerentur, referebantur; responsaque singula, uti par erat, idem S. Pater expetebat; multa de dioecesibus Mohiloviensi, Mincensi, Plocensi, et Augustoviensi, quae suis Suffraganeis carerent, commemorabantur; deque ceteris Regni Poloniae Sedibus, quae suis destituerentur Pastoribus; quibus S. Sedes ut consuleret, mutuam ab Imperiali Gubernio relationem postulabat; plura in dioecesibus Vilnae, Podoliae, et Volhyniae templa clausa fuisse eadem querebatur; earumque rerum, quae nondum definitae essent ut iterum susciperetur tractatio efflagitabat; difficultates morasque promebat, quae quominus cum Supremo Pastore fideles communicarent, interiicerentur; mandata denique, quibus ecclesiasticis viris ab Imperiali Gubernio Missae pro acatholicis vita functis celebratio, hymni ‚Te Deum' cantus lingva vulgari, postremo quarumdam precum recitatio praeciperetur, quae ab verae Ecclesiae disciplina haud parum abhorrerent. Sed responsa, quae his postulationibus ab Imperiali Gubernio deinceps data sunt, non ea fuerunt, quae S. Patrem tranquillum omnino tutumque facerent. (Doc. 38.) Attamen Summus Pontifex spem omnem deponere noluit, fore, ut idem Gubernium magis posthac verbis ac spiritui inhaerens tractatuum, ac iustitiae et honoris legibus magis obtemperans, ea, in quae statuenda Legati convenissent, exequeretur, atque catholicis religionis suae libere profitendae faceret potestatem. Huius rei gratia idem Pontifex summum, quoad sibi liceret, Imperatori gerebat morem; quapropter oretenus tantum ei viro, qui Romae Imperatoris eiusdem negotia agebat, querelas ut plurimum admovere satis sibi esse ducebat, et S. Sedis actis Notarum confidentialium forma ut tribueretur, adsentiebatur,

Digitized by Google

nec eas Imperatoris petitiones reiiciebat, quibus pro sui muneris ratione annuere se posse existimaret.

Supremum interea diem Nicolaus I obibat, atque augustus eius filius Alexander avito poticbatur imperio. Id enimvero in causa fuit, cur S. Pater novam conceperit spem, cum ad Imperium illud regendum iuniorem vocari Principem videret, qui praeter egregias mitis animi dotes favorem in catholicos praeseferebat, quem quidem ille ab ineunte iuventa saepius ac praesertim in hac alma Urbe, cum in ea moraretur, satis patefecerat. Ea igitur opportunitate cum uti vellet S. Pater, literis ab ipso Alexandro Imperatore de sui parentis morte, deque sua ad Imperium evectione datis rescribens, eumque non Imperatorem modo, verum etiam innumerorum populorum Patrem salutare se posse gestiens, eius magni animi benevolentiam compellabat, quam sibi exhiberi in catholicis populis, qui magno numero eius potenti subessent imperio, favore prosequendis enixe rogabat. (Doc. 39.) Atque ut eorum, in quae paciscenda conventum fuerat, executio novis additis stimulis hac occasione promoveretur, idem S. Pater paulo post Cardinalem, qui sibi ab exteris Status negotiis erat, verbalem Notam die 30 Ianuar. 1856 ad Imperatorem dare iussit, qua multa eorum, quae in illo Concordato unanimi sententia sancita essent, et quorum implementum hactenus desideraretur, Imperiali Gubernio in memoriam revocabat. (Doc. 40.) Haud ita multo post responsum acceptum est, videlicet quaedam Promemoria ad eundem Cardinalem data die 23 Iul. (4 Aug.) 1856. in qua significabatur, varias Concordati quaestiones, quarum S. Pater in sua postrema Verbali Nota meminisset, ut eius votis quoad praecipuae Imperii leges permitterent, fieret satis, sincero conciliationis curandae amore fuisse in deliberationem vocatas. Cuius rei gratia spondebatur, quominus Eppi suas Romam relationes mittere possent, nequaquam a Gubernio obstacula obiectum iri; tum decreta de exequenda bulla circumscriptionis dioecesium ad S. Sedem eadem die transmittenda esse; asserebatur praeterea ibidem, Gubernium in praesentia quoad Candidatos pro vacantibus Ecclesiis S. Sedi offerendos animum intendere, curam item suscepisse, ut Antistes Kahn suam

dioecesim adiret sedemque obtineret; Armenos Clericos in ea Seminaria esse missarum, quorum in Concordato mentio fieret; idem iam tum agere coepisse, ut idonei ex Catholicis literarum Professores seligerentur, historiam ac lingvam russicam in Clericorum Seminariis docturi; item Eppo Mohiloviensi huic Sedi vix praeposito, Ecclesiasticae Academiae Petroburgensis constitutiones Romam missum iri; mandata super restaurandis catholicorum templis edita, in legum codicem esse quamprimum inserenda, eaque ad sacras aedes ac filialia templa extendenda esse; demum 50 in Imperio religiosa coenobia et servaturum et perpetuo retenturum se esse Gubernium spondebat; quoad cetera vero, quae a Pontifice peterentur, ea Kisseleff, qui tum Legatus extraordinarius plena negotiorum apud S. Sedem agendorum potestate praeditus Romam mittebatur, oretenus esse explicaturum. (Doc. 41.) Nimirum ille, quamprimum S. Patrem est alloeutus, Imperatoris verbis rogavit, ut quae ante minus recte gesta essent, oblivisceretur, affirmans, aequo Imperatorem ipsum animo in subditos Catholicos esse, atque statuisse, se ea omnia, in quae et Pontifex ipse et Nicolaus pater sancienda convenissent, tum et alia magni momenti, quae suspensa atque infecta perstitissent, executurum. Adeo quidem expressae ac disertae sponsiones fuere, laetaque promissa, ut S. Pater Praesuli Flavio Chisio Eppo Myrensi, quem gratulationis ergo ad novum Imperatorem, cum Petroburgi imperii sceptro primum potiretur, mittebat, literas dederit Imperatori ipsi tradendas, in quibus huiusmodi cum sponsionum tum promissorum mentio grati cum animi significatione fiebat. (Doc. 42.) His igitur fidens S. Pater eundem Legatum suum multa opportune monebat, ut eo tempore, quo omnis generis homines bona plurima expectare solerent, Ecclesia ipsa ea tandem posset commoda nancisci, quae iamdiu frustra expetiisset. Ut Legationi suae faceret satis idem Praesul, cumprimum Imperatori se stitit, eidem bona omnia ac fausta coram ominatus, S. Patris spem patefecit, quam is in Imperatoris ipsius magnanimitate aequitateque collocasset, ut Catholicae Religionis iura et commoda iuxta ea, quae statuta essent, quaeque Romanus Pontifex merito postularet, idem Imperator pro

Digitized by Google

sua imperiali summaque auctoritate tueretur ac confirmaret. (Doc. 43.) Igitur tum Imperatorem ipsum tum etiam Imperii Magistratus, ut ii fideliter ea exequerentur, quae unanimi cum Pontifice sententia sanxissent, eaque componerent, quae suspensa atque indefinita perstitissent, urgere non desistebat, praesertim vero ut vir idoneus, qui Pontificem in imperialibus dominiis perpetuo gereret, adsciscerctur. Quas quidem legati Praesulis curas haud ita fauste feliciterque, uti post datas sponsiones sperabatur, cessisse vehementer dolendum est; hic enim Romam Petroburgo reversus, secum ferens imperiale Pontificis literis responsum (Doc. 44.), Ecclesiae Capiti faustum nuntium, Imperatorem aequis eiusdem votis annuisse, ferre haud potuit. Quaenam vero causae Principem illum, quominus is S. Sedis postulationibus faceret satis, prohibuerint, tum ex relatione deinceps data ab Comitatu, qui ad discutienda nonnulla eorum quae in Concordato continebantur paucis ante mensibus fuerat constitutus, tum etiam ex eorum articulorum Protocollo, qui suspensi atque indefiniti relicti fuerant, facile cognitum est. (Doc. 45.) Hoc magni momenti documentum, quod in publicis ephemeridibus editum fuit, dum hinc S. Sedis constantes atque assiduas ad provehendam Concordati executionem sollicitudines ostendit, inde vero eam obtineri per Gubernium Russicum haud licuisse demonstrat: tum etiam patefacit, quem animum Gubernium ipsum in Catholicam Ecclesiam gereret, ac demum quanti illius Gubernii repetitae declarationes atque sponsiones habendae essent. Enimvero in illo documento querelae a S. Sede variis temporibus ad Imperatorem admotae, atque his affines quaestiones in tres categorias distributae apparent. Earum prima querelas et quaestiones exhibet, quarum quidem Comitatus rationem se habiturum facile pollicitabatur; altera vero eas querelas continet, quas nimirum Comitatus ipse uti aequas ac veritati nixas agnoscebat, sed quarum tum rationem habendam esse putabat, quum novas aliasque S. Sedes admovisset; tertia demum eas praefert gravissimas controversias, quarum causa numquam sive reclamare sive urgere Pontifex desierat, quasque Comitatus membra S. Sedis favore iudicandas non esse decreverunt; quasivero ea vel Gubernii dignitatem, vel

Digitized by Google

Imperii praecipuas leges dedecerent atque subverterent. Huiusmodi scriptam relationem inter cetera eius Comitatus membra etiam D. Kisseleff, qui Romam uti extraordinarius Legatus plena praeditus potestate ab Imperatore mittendus erat, nomine signabat suo, cuius quidem actus secretis definitionibus Imperatoris sanctione munitis idem Legatus Russicus in colloquiis et consultationibus cum Romano Pontifice habendis regulae loco ac praecepti uti debebat. Quisque aequus lector haec definita atque suscepta a Comitatu consilia cum satis amplis, quas per suum Legatum Romano Pontifici Imperator dederat, sponsionibus comparare si velit, ea utraque simul conciliare quam difficillime poterit, causasque facile coniiciet, cur tali animorum propensione consistente, adhuc oppressa iacente Catholica Ecclesia, cum datae sponsiones, tum conceptae spes in cassum cesserint, infectaque ea quae statuta erant necessario perstiterint, cuius quidem rei novum satis cito proditurum erat argumentum. Novem post annis mense Nov. 1856 tandem Concordati textus in Varsaviensi ephemeride, prolegomenis satis magni momenti omissis, inserebatur; quae quidem studiosa omissio indicium apprime certum fuit, nolle Gubernium cetera conficere, quae in illo Concordato nondum definita erant, et quorum in iisdem prolegomenis specialis fiebat mentio. Eodem tempore ab his, quae in Ecclesiam fieri coepta erant, neutiquam desistebatur, imo vero apertius ea in Graecos cum Romana Ecclesia fide coniunctos committebantur. In dioecesi Chelmensi, quae quidem est postremum Ruthenae Ecclesiae olim adeo florentis vestigium, nihil non moliebantur schismatici, ut et Clerum et populum ad schisma perducerent. Quamobrem eo viro consentiente, qui ab internis Poloniae negotiis curandis erat, statuta quaedam methodi instar, multis Concordati articulis opposita, pro Seminario conscribebantur; nonnulli eius dioeceseos iuvenes Clerici in Graecorum Russicorum Gymnasia eo quidem consilio mittebantur, ut iidem aliquando in Dioecesis Seminario Professores sufficerentur; Monachis S. Basilii adeo de Orientali Ecclesia bene meritis in illis quinque quae sibi superfuerant coenobiis tyrocinia aperiendi facultas negabatur, iique per Imperium dispersi, quominus in coenobia

Digitized by Google

eadem ferme omnino deserta coirent, vetabantur. Ecclesia Catholica, quae pluries decies centena Catholicorum Ruthenorum millia, quos perfidi pastores in schisma deduxere, sibi ablata iamdiu lugebat ac luget, his rebus cognitis tacere haud poterat. Quare S. Pater dum penes eum, qui Romae Imperii Russici negotia gerebat, de huiusmodi vexationibus vehementer querebatur, Cardinalem, qui sibi ab exteris dominiorum suorum negotiis curandis erat, tum ad AEppum Varsaviensem, ut de illius dioeceseos statu ad se referret, (Doc. 46.) tum etiam ad Antistitem illum, qui Sedem Chelmensem Eppi loco regebat, ut eiusdem zelum contra schismaticorum artes excitaret, quibus ii alios ab Ecclesia Dei filios abripere conati erant (Doc. 47.), die 19 Nov. 1857 literas summa sollicitudine conscriptas dare iubebat. At vero non ideo augusti Ecclesiae Capitis angores mitigabantur; imo eosdem magnopere augebant ea, quae sibi identidem referebantur de dolis et crudelitatibus ac vi, quibus in miseros Dzencovicensis pagi incolas, ut hosce in schisma deducerent, schismatici uterentur, quamvis profecto illi humanitatis ac religionis nomine efflagitarent, ut sibi avitam fidem profiteri liceret. Probe enimvero Pontifex noverat, ad infelices illas gentes in schismate facilius devinciendas ac perpetuo continendas eos ecclesiasticos viros, qui maiori flagrarent zelo, ut iidem fideles antiquae fidei veritatibus profitendis praeceptisque servandis constantes persisterent, passim inde longe arceri, quinimo ut ipsis fidelibus spiritualia auxilia alibi invenire impossibile omnino redderetur, die 19 Nov. a. 1858 Latinis Presbyteris, ne aliis quam suae paroeciae subditis Sacramenta darent, interdictum fuisse, atque a singulis presbyteris scriptam sponsionem fuisse expetitam, se huic legi, adeo ministerio suo contrariae, esse obtemperaturos. (Doc. 48.) Tali modo dum Romanus Pontifex iam ab ipso constituto Concordato in sua Consistoriali Allocutione peramantissimis Sacerdotum Latinorum curis tot infelices Graecos cum Romana Ecclesia fide coniunctos, filios suos in vastissimis illis regionibus dispersos, pastoribusque ac ministris destitutos, commendabat (Doc. 49.), Imperiale Gubernium haec illis spiritualia auxilia

conferre Eppis et Clero culpae vertebat, atque contra firmissima conscientiae iura et sanctissima sacerdotalis ministerii munera, ut huic interdicto parerent, ab iisdem severe exigebat.

Interim S. Pater Iubilaeum Catholico orbi edicebat, atque omnibus tum Russiae tum Poloniae Eppis Consistorialem Allocutionem hac super re habitam per encyclicas literas a Cardinale die 13 Ianuar. 1858 datas mittebat; quae quidem quo citius ac tutius ad eosdem perferrentur, Russico Legato Romae commoranti traditae sunt. (Doc. 50.) At vero dum Ecclesiae Catholicae Caput, ut ab illis Eppis, prout iisdem in ipsis encyclicis literis mandabatur, de huiusmodi actus ad religionem pertinentis successu certior fieret, sollicite expectabat, magno sui animi dolore ac tristitia accepit, epistolas illas sacris Pastoribus datas non fuisse, et Iubilaeum nequaquam publicatum, ac proinde fideles iis spiritualibus thesauris, quos in illis rerum adiunctis communis fidelium Pater iisdem impertiebat, fuisse destitutos. Quae quidem res novum praebebat argumentum, quam parvi habendae Russici Gubernii sponsiones essent, quando Legationem Imperialem tamquam tutissimum eius communicationis fideles inter et S. Sedem exercendae medium exhibebat. Quo fiebat, ut S. Pater tot catholicos ob severissimas leges, quibus iidem cum S. Sede communicare vetabantur, Roma ferme seiunctos, ac tum eorum, qui publicis in Imperio officiis fungebantur, arbitrio, tum schismaticorum insanabili odio obnoxios conspiciens, summa afficeretur tristitia. Cernebat videlicet ille, dum ab remotissimis etiam christiani orbis regionibus de rebus ad conscientiam pertinentibus postulationes Romam frequenter adveniunt, ut a spirituali auctoritate opportuna sibi auxilia fideles comparent: ab imperialibus Russiae et Regiis Poloniae dominiis rarissime easdem pervenire; dum ab omnibus terrae partibus ferme 900 Eppi de suis dioecesibus iuxta ea, quae canonicis praescribuntur legibus, relationes Romam mittunt, eorum Epporum relationes, qui Russicae dominationi subsunt, plurimis abhinc annis desiderari; denique dum ob communicationum ubique locorum habendarum facilitatem sacri Pastores dissitis etiam in locis commorantes SS. Apo-

Digitized by Google

stolorum veneranda sepulchra invisendi causa Romam obsistente nemine frequenter adventant, eorum Epporum, qui vel Russiae Imperio, vel Poloniae Regno subiiciuntur, hic unquam visum fuisse neminem. Noverat, ecclesiasticos viros, quominus christianarum virtutum exercitium in catholicis promoveant, impediri: qui enim Commissioni quam vocant internorum negotiorum Varsaviae praecrat, die 16 Mart. 1858 nonnullis dioeceseos Plocensis sacerdotibus, qui tamquam rei sunt habiti, quod societates vel sodalitia a Temperantia nuncupata ad christianarum virtutum exercitium promovendum in suis locis constituissent, magnas infligendi poenas sibi ius arrogabat. (Doc. 51.) Huius generis facta ab generosi Imperatoris indole nimis abhorrebant, qui sincerum atque magnanimum se esse iure gloriatur: ea potius Cath. Religionis infensissimis hostibus tribuenda erant, qui quidem mitiora Monarchae illius consilia aspernantes ac mandata perperam exequentes, adeo tristia violentaque facta perpetrabant. Hac persvasione affectus S. Pater die 31 Ianuar. 1859 ad Imperatorem ipsum datis peramantissimis literis se convertebat; (Doc. 52.) in quibus sui animi moerorem ob Concordatum in pluribus articulis pessumdatum, bullamque circumscriptionis dioecesium neglectam expromens, ad opportuna huic rei mandata edenda eum excitabat; eodemque tempore verbis ei animum addebat, ut eorum articulorum, qui suspensi remanserant, tractationem pergeret; ut diuturnae plurium Ecclesiarum, praesertim vero Chelmensis, viduitati prospiceret, atque ut apud se virum a Pontifice legandum exciperet, qui Pontificis personam Petroburgi gereret; cum postremo rogabat, ut catholicos subditos, quos fide et caritate in Christo Iesu sibi filios esse S. Pater affirmabat, tueretur, ac daret operam, ut ea quae pro Catholicis imperiali essent sanctione constituta, eius Ministri fideliter exequerentur. Iis tam egregiis ac tam crebro repetitis postulationibus Imperator die 31 Mart. 1859 respondebat, scearum reddens Ecclesiae Caput de sua in catholicos Russico Imperio subiectos sollicita cura; eique significabat, suo Ministro Romae commoranti se mandata dedisse, ut quoad opus esset, super singulis rebus, quae Pontificis epistola continerentur, coram faceret satis. (Doc. 53.)

Frustra tamen ab eodem Ministro eas, quae promissae fuérant, explicationes Pontifex expectavit, cuius ideirco preces irritae perstiterunt; nec postulationi quidem, quae iuxta 8 art. Concordati a Cardinali de erigendo pro Catholicis Armenis Eppatu paulo post admovebatur (Doc. 54.), responsum est habitum.

Interea tristiores Ecclesiae Poloniae dies imminebant. Poloniae populi diuturnis incommodis vehementer exagitati manifesta dedere seditionis indicia, a quibus quidem religiosi sensus praepotens elementum, quod in universa illa gente altas radices egit, non omnino abhorrebat. Iis, quae ibi contingebant, late fama perlatis, ad Deum misericordiarum Patrem preces Ecclesiae Caput enixe fundebat, ut populos illos e tot malis eriperet, praesertim vero periculo fidei, ob iniquas artes ac dolos eorum, qui civilium rerum perturbationem fovebant, amittendae. Perlatum enim erat ad Pontificem, Catholicae Religionis infensissimos hostes ea utentes difficultate communicationis inter S. Sedem ac religiosos Poloniae populos, ut eos ab catholicae unitatis centro convellerent, passim spargere in populo, S. Sedis parvi aut vero nihili spirituales eorum indigentias ac miseram illam rerum conditionem interesse, sacrisque Ecclesiae rebus eas, quae inferioris essent ordinis, sordide anteponi. Hinc S. Sedes huius tam iniustae tamque impiae persvasionis removendae causa, ne ipsamet hominum malitia fidelibus sibi traditis petra offensionis atque scandali occasio esset, ad dignum Varsaviae AEppum die 6 Iun. 1861 literas dare coacta est, quo pleniori luce factorum veritate exposita contra dolosas malorum hominum artes constantem illam, quam pro Ecclesia Poloniae atque dilecta illa gregis sui portione a primis ipsis sui Pontificatus exordiis a se susceptam sollicitudinem ad ea usque tempora infelici licet successu gesserat, patefaceret ac demonstraret. (Doc. 55.) Meminisse piget, hunc actum, quem S. Pater eximiis religionis sensibus commotus edidit, perperam Imperii Ministros fuisse interpretatos, quasivero ad eius populi civilia consilia fovenda turbulentis illis reipublicae temporibus emissus fuisset. S. Sedes dum populares tumultus, quibus identidem nationes exagitantur, sincere deplorat, eosque, qui religionis

defendendae obtentu suam a Principe rebellionem tegere conantur, reprobat: haud tamen ideirco alii sanctiori etiam atque inviolabili et muneri suo arcte coniuncto officio deficere potest, quod quidem est, Ecclesiae iura tueri, ac fideles contra artes dolosque, qui ab ipsius Ecclesiae hostibus parantur, instruere. Contra Imperiale Gubernium subinde evidenter atque invicte expertum est, quantopere S. Sedis interfit populos commonefacere atque hortari, ut civili potestati in iis, quae sive Dei sive Ecclesiae legibus minime opponuntur, et pareant et subsint. Cuius quidem rei in iis ipsis litcris, quas S. Pater dedit, et de quibus immerito Ministri questi erant, siquidem aequo illas animo perlegere voluissent, novum potuissent argumentum comperire. Namque ad conciliandam illam erga civilem potestatem legesque populorum observantiam obedientiamque S. Pater in iisdem literis ab se datis virtutem colere Poloniae populos iubebat, excitabatque eius eccles. provinciae Eppos, ut fideles cohortarentur, ne ab honoris iustitiaeque itinere sese diverterent, atque scribendo finem imponebat affirmans, tali modo catholicos Poloniae populos fausta omnia ac prospera e coelo sibi facile impetraturos; uno enim benedicentis Dei favore fieri posse, ut ii perniciosis illis tumultibus, quibus eosdem convolvere perditi homines vellent, arcerentur, atque cordis pace et tuta avitae religionis professione felices redderentur. His Supremi Pastoris cohortationibus exciti Regni Antistites Varsaviam collocuturi id temporis convenichant: atque hi quidem rati, avitae religionis profitendae libertate populo illi tumultibus agitato restituta, tam diuturni dissidii praecipuam causam submotum iri, die 25 Sept. eodem anno Comiti Lambert, vices Imperatoris in universo Poloniae Regno gerenti, literas communi suffragio scriptas atque Imperatori ipsi tradendas obtulerunt: in quibus Ecclesiae libertatem, et Catholicae Religionis exercitium per Gubernii leges actusque vinculis constricta fuisse querebantur, expetebantque ut aequius Catholico Clero consuleretur. (Doc. 56.) Hae quidem querelae, quae iis literis continebantur, quasque Europae ephemerides retulerunt, atque honesti viri omnes aequas legitimasque cum his, quae ibidem expostulabantur, habuerunt, ab viro, cui illae oblatae

Digitized by Google

fuerant, minime exceptae sunt, nec ad Imperatorem perlatae, qui certe pro sua magnanimitate acquitateque eas minime reiecisset. Vix iisdem Polonis Eppis hoc pastoralis sollicitudinis officio functis, AEppus Varsaviensis ad iustorum requiem abibat, lugentem Ecclesiam linquens, gregemque suum praeteritis afflictum malis ac futura trepidantem. Templorum per furentes milites violatio; eorumdem Varsaviae obseratio ut novae profanationi subtraherentur; Praesulis Bialobrzeski, qui eius Sedis Vicarius Capitularis electus fuerat, comprehensio et in carcerem detrusio; violentia per Regni Ministros contra Concordati statuta in Metropolitanum eiusdem urbis Capitulum exercita, ut ad alteram Vicarii illegitimam sane electionem agendam cogerentur; interdictum Capitulo, ne a Pontifice Romano in tam arctis rebus consilium ac monita peteret; haec nimirum nonnulla ex iis sunt, quae illius venerandi AEppi mortem sunt consecuta, apprime dolenda; (Doc. 57. 61.) quibus nihilominus paulo post accedebant meliora nuntia de mitiori animi dispositione, quam praeseferre Imperiale Gubernium videretur. Cuius quidem benignioris dispositionis testandae gratia Russicus Minister reverendum virum ecclesiasticum Sigismundum Felinski Varsaviensi Ecclesiae vacanti sufficiendum S. Sedi Imperatoris nomine commendabat, ac significabat nihil obstare, quominus Pontificius Nuntius penes Imperatorem commoraturus designandus mitteretur. Quanta animi voluptate hasce ab Imperatore exhibitas significationes S. Pater exceperit, supervacuum est exponere; dum enim digni pro metrop. Ecclesia Varsaviensi Pastoris eligendi propositio angore illo, quo eius Ecclesiae miseranda conditio Pontificem afficiebat, eius levabat animum, invitatio ab Imperatore facta de aliquo viro, qui penes se Pontificem gereret, tum Pontificis ipsius tum etiam eorum vota qui in Romana Ecclesia praecesserant, mirifice explebat. Quapropter eximii illius sacerdotis ab Imperatore commendati virtutes apprime noscens, absque ulla mora actus, qui ad eiusdem evectionem ad illam cathedram referebantur, parabat, sacrum Consistorium extraordinarium, etiam ut augusto Imperatori pergratum faceret, advocabat, statuebatque diem Epiphaniae Domini quotannis recolendae dicatum ad ipsum AEppali di-

Digitized by Google

gnitate donandum, ut eius festi diei sanctae laetitiae paterni sui cordis gaudium, quo praecipuae Poloniae Sedi dignum Caput ac Pastorem tribuens afficiebatur, consociaret. Atque ut novo Antistiti difficillimis rei christianae temporibus ad eam Archidioecesim regendam assumto nec consilium nec animus deesset, literis datis die 20 Febr. 1862 amantissimis eum solabatur, ac vehementer exhortabatur, ut Ecclesiae libertatem strenue tueretur, honestam vitae rationem in Clero, ut christiano populo virtutum omnium esset exemplo, in grege vero mutuam animorum concordiam promoveret, enixeque curaret Antistitis Bialobrzeski liberationem, eorumque sacerdotum qui in exilium pulsi fuerant defensionem, tum etiam illorum e populo, qui post ultimas in Poloniae regno rebellionis significationes severe muletati fuerant, causam susciperet; demum de fausto laetoque accepto nuntio eum certiorem faciebat, licere tandem sibi virum aliquem ad Imperatorem legare, qui Romanum Pontificem gereret, quique profecto et solatio et subsidio Eppatui foret. (Doc. 62.) Magna videlicet S. Pater laetitia affectus ob ea commoda, quae Catholicae Religioni ea viri legatione, qui regiis illis atque imperialibus dominiis sui personam gereret, eventura erant, huic tam magni momenti legationi insignem Praesulem designabat, eique opportuna tradebat mandata. Legum nihilominus ac statutorum, quibus Epporum et Cleri cum S. Sede eiusque Legatis communicatio in Imperio interdicitur, per Cardinalem ab exteris negotiis super huiusmodi statutis Imperialis Ministri attentionem provocabat, quae nisi abolerentur, Pontificius Legatus ad huius gravis legationis scopum pertingere nequaquam potuisset. At vero Minister ipse sub idem tempus literas sibi a Principe viro Gortschakoff datas die 27 Mart. (8 Apr.) 1862 voce expromebat et communicabat, in quibus edicebatur, eiusmodi leges ac statuta, quae potiori ratione ad communicationes inter Clerum et Romani Pontificis Legatum extenduntur, etiam Nuntio Apostolico Petroburgi constituto omnino fore servanda, ne libera illa communicatione gravissima politici Gubernii negotia periclitarentur. Quam aegre haec animo Pontifex nec opinus acceperit, quisque coniicere per se ipse potest: attamen ut ad hunc praeclarum aequitatis

Digitized by Google

actum perficiendum omnia submoverentur obstacula, idem Cardinalis exteris negotiis praepositus Russico Ministro Notam confidentialem dabat die 2 Maii (Doc. 63.), in qua postquam enarrasset, quam Apostolico Nuntio ad egregii sui muneris exercitium necessaria sit in agendo libertas, exposuissetque discrimen magnum, quod inter legationem omnino religiosam quam Pontificius Nuntius habet, et legationem prorsus politicam quam habet cuiusvis civilis dominationis Minister, manifeste intercedit, inde deducebat intelligi non posse, cur politica Russici Imperii commoda ac negotia leges illas servari iuberent, liberam Cleri ac fidelium communicationem prohibentes: quibus nimirum vigentibus scopus qui expeterctur attingi nequaquam posset, atque ipse Nuntius omnino iners futurus esset, quod quidem Apost. Sedis nomen dignitatemque magnopere dedeceret. Quapropter ut eae leges abrogarentur, iterum flagitabat, sponsionemque sibi dari expetebat, Pontificii Legati auctoritatem munusque liberum fore. His tamen adeo acquis postulationibus Russicus Minister voce respondendum curavit: statuta illa legesque nec abrogari, nec dum vir a Pontifice legatus in Russia commoraretur, suspendi quidem posse; quo factum est, ut S. Pater licet aegerrime ab incoepto desistere coactus sit. Haud tamen parvae sive admirationi sive dolori fuit scire, eodem ipso tempore, quo S. Sedes ad virum, qui Romanum Pontificem penes Imperatorem gereret, legandum invitabatur, non modo sartas tectas eas leges servari, quibus legationis eiusdem successus irritus esset reddendus, sed et Ukas seu legem Petroburgi edi die 8 Ianuar. 1862 (Doc. 64.) ad quamdam Commissionem quam vocant instituendam, cui cultuum et publicae instructionis cura esset in Poloniae regno, Ecclesiae Catholicae constitutioni, atque his quae unanimi suffragio ante sancita erant, sane oppositam; cuius quidem legis notitia ut ad S. Sedem perlata est, nonnullis observationibus materiam suppeditavit, quas Cardinalis ipse in officiali Nota ad Imperiale Gubernium mittebat, ne idem decretum executioni mandaretur, exposcens. (Doc. 65. 66.) Hic statutis non obstantibus S. Pater apostolicam suam sollicitudinem ad oppressas Russiae ac Poloniae Ecclesias extendere haud desistebat, quarum

Digitized by Google

gravissimae sane necessitates etiam ab Eppis Mohiloviensis provinciae exponebantur in literis communi nomine conscriptis, quas per Ministrum internis Imperii negotiis praefectum ad Imperatorem perferendas curarunt. (Doc. 67.) Huius quidem Apostolicae sollicitudinis argumenta fuerunt literae, quas a Cardinali die 22 Maii 1862 ad dignum Mohiloviensem AEppum conscribendas curavit, quibus ille ad fideles Paroeciae Zabialensis, contra quos a schismaticis insidias strui sciebat, ut eos ad religionem in imperio dominantem amplectendam adigerent, tuendos excitaretur (Doc 68.); item sollicitae, quas instaurabat, curae, ut Chelmensi Ecclesiae iamdiu Pastore orbatae prospiceretur; ac paterna monita, quae literis datis die 29 Ianuar. 1863 eius dioecesis Vicario Capitulari, cum is eiusdem dioecesis renunciandus esset in Consistorio Eppus, tradebat (Doc. 69.); demum Suffraganeorum Varsaviensis et Chelmensis nominatio, cuius in Allocutione Consistoriali die 14 Mart. 1863 habita Apostolico Senatui rationem dabat. (Doc. 70.)

Hisce diebus Poloniae eventa graviora tristioraque fiebant. Severa edicta Imperiali Gubernio edente, atque animorum motibus fervescentibus crudelior quotidie in illo exagitato Regno sanguinolenta saeviebat concertatio, quam sua et populi et Gubernia maximopere interesse ostendebant. Iis calamitatibus quibus Poloniae populi premebantur, et Religionis iactura qua illi periclitabantur, commotus Romanus Pontifex, Ecclesiae universae Caput, apostolici sui muneris ac sui in Poloniae populos amoris officium esse arbitratus est, ad illum potentem Monarcham literas iterum mittere, ut eum veritatis ac iustitiae verbis moneret, adeo crebrorum Poloniae tumultuum praecipuam causam esse Religionis oppressionem, qua abhinc 90 ferme annis inclyta generosaque natio illa gemebat, cuius quidem sortes cum Catholica Religione arcte devinciuntur. Atque ideirco nobilibus cum dicendi modis rogabat, ut et Ecclesiae auctoritatem et fidelibus avitae religionis libere profitendae libertatem restitueret, quo praecipua tam diuturni dissidii causa submoveretur ac vehementer perturbatis animis pax et tranquillitas restitueretur. (Doc. 71.) Atque utinam Religionis querentis vocibus Imperiale Guber-

Digitized by Google

nium tum fecisset satis, atque eorum quae solemni suffragio ac saepius iureiurando annis 1773 et 1793 confirmaverat, praestitisset fidem: modo enim nova ac saeviora vulnera enarrare et lamentari non adigeretur S. Sedes, quae Russicum Gubernium Polonorum tumultuum infelici illi Ecclesiae intulit, quaeque extremum exterminium eidem Ecclesiae minitantur! Violentas sangvinolentasque catastrophes, quae in universo Poloniae Regno evenerunt, nemo est qui ignoret. Dignus Varsaviensis AEppus sua Sede exturbatus snoque abreptus gregi Ieroslaviam exulare iussus est, remotaque in plaga commorari, negata illi cum sacerdotibus ac fidelibus suae dioeccesis communicandi facultate, praeterquam per Imperialem Cancellariam, quasivero haec de his, quae expedienda essent, iudicare aut ab eadem Archidioeccos spirituale gubernium pendere deberet. (Doc. 72.) In illis sangvinolentis concertationibus ecclesiastici viri aut in exilium pellebantur, aut trudebantur in carcerem, aut interficiebantur hac una de causa, quod religionis auxilia ac subsidia vulnere in pugna confossis ac morituris non negassent; monasteria violabantur et polluebantur in militares stationes commutata; sacra supellex templorumque ornamenta diripienda militibus tradita; paucissima tum Epporum, tum Capitulorum bona peculiaribus aeris collationibus augendis muletisque pecuniariis universo illo obsessae Poloniae tempore subiecta. (Doc. 73. 74.) Plerisque in Parocciis divina officia intercepta, atque ipsa Sacramentorum administratio ob frequentes in ultimam Russiam Siberiamque Sacerdotum deportationes fere impossibilis redita; atque huiusmodi agendi ratio in parochos praesertim ceterosque Ecclesiae ministros animarum curam gerentes, iniquum universas ipsas provincias ad schisma pertrahendi consilium patefaciebat. Hoc nimirum consilio Generalis Dux Mourawieff Lithuaniae Gubernator factus, violenta quaeque adgrediebatur, ut Lituanas provincias tum pluribus Russicorum agricolarum millibus in fundos pagosque missis, quibus Lituani domini vel proscripti vel in Siberiam relegati exspoliati fuerant, tum etiam civibus ac plebeis vel in remotissimas barbarasque terras exulare, vel fide catholica abdicare coactis, Russicas omnino faceret; hoc item consilio cum Li-

Digitized by Google

tuaniae Metropolitano schismatico consultabat deliberabatque, ut Academia Theologica schismatica ad religionis in imperio dominantis propagationem promovendam Wilnae instituerctur; (Doc. 75.) schismaticum Kalongae Eppum de his quae circa ruralem administrationem ac docendi rationem religiosi ac Poloni in Lituania elementi destruendi causa ipsemet adgressurus esset, certiorem faciebat; (Doc. 76.) confidentiales literas encyclicas dabat, ne ruricolarum eruditio catholicis crederetur, et tum e scholis tum etiam ex catechismo polona lingva eliminaretur, atque ut rurales a schismaticis presbyteris iuxta nationis ac religionis Russicae formam instituerentur scholae; (Doc. 77.) huius etiam rei gratia schismaticus Eppus Mincensis ad suum clerum pastorales literas dabat, quibus praccipiebat, ut iste polonam lingvam omnino desereret; (Doc. 78.) ac triumphi instar quintus et vigesimus annus, ex quo Graeci cum Romana Ecclesia antea fide coniuncti ab ipsa misere defecerant, Wilnae celebrabatur. (Doc. 79.) Dum hac ratione in Lituania promoveretur schisma, violentis quibusque modis Ecclesia Cath. divexabatur, atque ipse venerandus Wilnae Eppus, quod iniquis Gubernatoris votis obsequutus non fuerit, ab suo grege abreptus in ignotas terras exulare compulsus est. Quid amplius? Novum factum, cui in Ecclesiae annalibus par comperiri vix potest, quanti Epporum auctoritatem, atque ipsa Cath. Ecclesiae principia, quae fundamenti locum obtinent, Imperiale Gubernium faceret, aperte demonstravit. Quoddam enim Gubernii ipsius decretum prodibat, quod Varsaviensem venerandum AEppum omni iurisdictionis potestate exspoliari iubebat, cunctosque ex eius grege cum eodem vetabat communicare; (Doc. 80.) edicebatque, ut eius loco dioeceseos illius regimen Praesul Rzewuski, oppressi AEppi Eppus Suffraganeus designatus et Generalis Vicarius, Administratoris nomine susciperet. Huius editi decreti nuntio accepto S. Pater in Urbano Collegio de Propaganda fide, quo S. Fidelis a Sigmaringa reliquias veneraturus atque cuidam SS. Rituum Congregationis decreto publicando adstiturus accesserat die 24 April. 1864, vehementer conquestus est. Paulo post encyclicis literis datis die 30 Iul. 1864 maximam ob id facinus malaque quibus Polonia

Digitized by Google

premebatur, sui animi moestitiam Imperii Regnique Eppis expromebat, vivacissimasque coram Ecclesia protestationes edebat. (Doc. 81.) Sed frustra omnino. Imperiale enim Gubernium Religionem in illis provinciis horrendum in modum divexasse satis sibi haud esse existimans, ut ad schisma complendum sibi viam muniret, Ukas seu lege lata die 8 Nov. 1864 saevissimum Ecclesiae vulnus infligere cogitabat: haec enim lex contra ea, quae in art. 8 ex iis, qui nondum definiti ac statuti superfuerunt, pleramque coenobiorum partem eorum bonis publicatis in regno abolebat, et certum eorumdem numerum, quae provisorie servata fuerant, in loca administratorum vigilantiae subiecta, atque aerario publico sustentata, quamobrem Status coenobia dicta sunt, commutabat. (Doc. 82. 85.) Videlicet haud latebat Gubernium, Religiosos Ordines Religionis fulcimentum nullo non tempore in eo regno fuisse, et contra schismatis irruptiones firmissimum propugnaculum. Non ignorabat, in religiosis coenobiis historica sacraque Poloniae vetustae monumenta atque avitae pietatis frequentia testimonia servari, tum etiam sacras imagines prodigiis celeberrimas, insignes Sanctorum Reliquias, Sanctuaria maxime illustria, universae nationi secularis religionis pietatisque documenta. Eius vis, quam in Religiosis Ordinibus Catholica Religio nanciscebatur, apprime guarum, opportunitatem ab domita seditione sibi oblatam arripiens, huiusmodi idcirco Instituta impetebat, ut a superiorum temporum Gubernis incoeptum opus pergeret perficeretque; vetustissima prae ceteris florentissimaque Varsaviae coenobia evertenda orbandave seligebat, quorum templa cum Cleri adsistentia tum populi frequentia ceteris anteibant; in provinciis item eas praesertim domos invadebat, in quibus Sanctorum corpora sacraeve icones prodigiis celebres servabantur. Religiosis viris e Regno discedentibus favebat, pecunia copiosiori iis, qui in exteras regiones proficiscebantur, assignata, quam iis, qui in Polonia consistebant. Contra huiusmodi arbitrariam agendi rationem S. Sedes Nota data die 30 Ianuar. 1865 vehementer conquesta est, in tam iniqua exspoliandi expilandique decreta gravissimis verbis protestans; neque vero conficta argumenta, quae sui excusandi gratia in quadam rela-

Digitized by Google

tione dolosis artibus affabre elaborata catholicae religionis infensissimi hostes protulerunt, sive earum querelarum, quas Pontifex ediderat, vim minuere, sive legi illi iniustitiae violentiae ac latrocinii notam adimere profecto poterant. (Doc. 86.) Inter cetera quatuor coenobia, quae ad Graecos Romanae Sedi fide coniunctos eosque Basilianos pertinebant, Lublini videlicet, Chelmae, Bialae, et Zamosciae, claudi iussa sunt, Varsaviensi tantummodo servato, (Doc. 87.) quo maius Chelmensi Ecclesiae damnum inferretur. Nec vero hic dolosa consilia in infelices Graecos illos, obedientia ac fide Romanae Ecclesiae iunctos, saevientia consistebant. Prohibebat Gubernium Praesulem Kalinski Eppum consecrari, cui propterea nec regno egredi, nec alterum eiusdem ritus Eppum Chelmam, ut haec sacra actio perficeretur, arcessere permitebatur. (Doc. 88.) Huius vero auctoritas in iis nominandis, qui eccles. officiis functuri essent, et in Seminarii regimine nihil habebatur; quasivero eius Ecclesiam quemadmodum et ceteras ea, quae in Concordato statuta essent, non pari ratione tuerentur. (Doc. 89.) Patroni vacantibus Graeci ritus paroeciis praesentandi iure exspoliabantur, Guberniique Ministri ipsam nominationem, Eppo candidatos sibi probatos proponentes, sibi arrogabant; ampliora quotidie iidem moliebantur, ut inter fideles illos schismatica principia spargerentur; quo quidem spectabat et ritus, quem cupiebant inducere, novitas, atque educatorum praeceptorumque, qui falsis essent infecti dogmatibus, studiosa electio; eo quidem consilio, ut quod in aliis permultis tum Russiae tum Poloniae Ecclesiis miserrime contigisset, quae profecto ab Ecclesiae Catholicae unitate per summum nefas avulsae erant, idem et Chelmensi Ecclesiae esset deplorandum. Tam infaustis nuntiis Romam perlatis, Cardinalis ab exteris negotiis Officialem Notam ad Imperiale Gubernium die 10 Febr. 1865 mittebat, in qua postulationes pro Ecclesiis illi crebro verbalibus communicationibus repetitas cum in memoriam eidem revocasset, flagitabat, ut Praesulis Kalinski sacrae ordinationi interposita obstacula removerentur, atque eius auctoritatis ratio iuxta Concordati statuta haberetur; Patronorum iura sarta

Digitized by Google

tecta servarentur, fidelesque in quieta sanctae unionis possessione vitam degere sinerentur. (Doc. 90.)

At quoniam Catholicae Ecclesiae auctoritatem in Poloniae Regno qui rerum publicarum potiebantur paulatim delere sibi proposuerant, inutiles profecto conatus omnes cessuri erant. Encyclicis literis die 10 Febr. 1865 datis Princeps Czerkaski Pastoralium scripturarum atque ecclesiasticarum praescriptionum publicationem civilis auctoritatis vinculis iniuria obstringebat. (Doc. 91.) Varsaviae venerabilis Praesul Paulus Rzewuski Vicarius Generalis continenter exagitabatur, ac demum nulla alia de causa, iuxta ipsam Gubernii relationem, quam quod cum S. Sede communicasset, eiusque decreta ad illius provinciae Eppos dedisset, mittebatur in exilium. (Doc. 92.) Quo quidem expulso, Regni Magistratus, quamvis profecto haud ignorarent, eius Civitatis AEppum zelo plenum ea, quae eximio Vicario suo eventura essent, apprime praevidentem, duos alios ecclesiasticos dignos viros subinde illius loco suffecisse, qui eidem in legitimae iurisdictionis exercitio singuli succederent, alium Vicarium Capitularem contra Ecclesiae statuta illico nominare Capitulum iubebant, et contra Concordati constituta eorum eccles. virorum animos vehementer angebant, quo ad alterum virum, in quo spem omnem Gubernium ipsum collocarat, eligendum adigerentur. Quapropter S. Pater harum rerum, quae illic gerebantur, probe gnarus, ad Canonicum Sczygielski ex duobus priorem ab AEppo ad eam dioecesim illis Ecclesiae temporibus regendam designatum die 21 Dec. 1865 literas dabat, quibus eum, ne creditum sibi onus, Dei fretus virtute, suscipere recusaret, peramanter hortabatur; monebatque, posse eum in muneris sui exercitio probos idoneosque eccles. viros adsciscere, qui facultatibus sibi datis iis deberent limitibus circumscriptis uti, quos ipsemet statuisset. (Doc. 93.) Qui quidem actus adeo violenti in causa fuerunt, cur idem S. Pater die 27 eiusdem mensis atque eodem anno ei viro, qui Romae Russici Gubernii negotia gerebat, dum is Natalis Domini festo bona faustaque ominaturus ad Pontificem accesserat, querelas suas iure iterum in peculiare colloquium admisso serio admoveret. Quo in colloquio cum de Religionis negotiis,

Digitized by Google

quam misere ea cederent, sermo incidisset, idem Pontifex continere se haud potuit, quin vehementer quereretur de obstaculis quae interiicerentur quominus electi Chelmae Eppi consecratio fieret, non ea quidem Imperatori culpae tribuens, cuius generosum animum probe noverat, sed cuipiam, qui eiusdem Monarchae optima studia adversaretur. Dein dolorem suum expromere pergebat, quod Praesul Felinski adhuc e sua dioecesi exularet; quod eius Vicarius carcere detineretur; quod gravia Varsaviensi Capitulo infortunia ab internorum Poloniae negotiorum cultusque publici Praefecto imminerent, qui eorum Canonicorum animos vehementer angere conaretur, eos adigens, ut Vicarium Capitularem in ea Ecclesia eligerent, quae suum iam AEppum haberet, et in qua inter Canonicos iam duo interessent, qui ipsius Antistitis absentis vices agerent. Vir tamen ille horum factorum, quae apprime nota erant, existentiam negare haud dubitavit. Hinc postquam indecora quadam allusione coram Pontifice inter colloquendum est usus, id libere adiecit, haec omnia catholicis eventura non fuisse, si eadem qua Protestantes ratione se gessissent hos enim cum in superiore Polonorum seditione Gubernio studuissent, plura bona ab eodem nactos esse, quae Catholicos, qui se Russico Gubernio infensos exhibuissent, sperare nullo modo posse; atque eo audaciae progressus est, ut affirmaret, nil mirum esse, si eo se modo Catholici gesserint, catholicismum enim et seditionem unam eandemque rem videlicet esse. His dictis iusta S. Pater accensus indignatione, cum universam fidelium societatem, cuius ipse Supremum Caput est, lacessitam persentiret, illum dimittens ait: se Imperatorem et obsequio et existimatione prosequi, sed eius gerentem negotia non item, qui certe contra sui Principis voluntatem se, Pontificem Regemque, in suis ipsius aedibus contumelia afficere ausus esset. Hoc adeo triste eventum, quod quidem eius conditionis origo fuit, in qua diplomaticae inter S. Sedem et Russicum Imperium relationes in praesentia versantur, maxima tristitia communem fidelium Patrem affecit; tum praesertim, cum nihil ab Imperiali Gubernio fieri magna cum admiratione vidit, quo et pessima Legati Russici agendi ratio reprobaretur, viaque muniretur Pontificem ipsum haesitatione illa libe-

Digitized by Google

randi, qua esset agitandus, si quando eidem novum alium Legatum huc mittere visum esset. Verum eius querelis flocci habitis, laesae Pontificis dignitati satisfactum non est. Quinimo electus Chelmae Eppus suo gregi paulo post abreptus in remotas terras exul exportabatur; quo vix cum pervenisset, itineris laboribus animique angoribus confectus animam Deo moriens reddebat velut hostiam pro Ruthenorum fidelium salute, qui Pastore destituti omni seductionis generi obnoxii relinquebantur. Vicarii vero ab AEppo Varsaviensi sibi suffecti non modo ministerio suo libere fungi haud sinebantur, sed in Varsaviae arcem ambo coniiciebantur, ubi una cum aliis sive ecclesiasticis sive laicis viris omni humana ope destitutis, durisque incommodis affectis in praesentem usque diem detinentur. Quasivero Pastorum ac fidelium conscientiis dire turbandis ista non sufficerent, novo Ukas dato die 14 (25) Dec. 1865 Imperiale Gubernium novam Romani Cleri Catholici, bonorumque ecclesiasticorum dispositionem constituebat, cuius quidem articuli ceteris coniuncti, qui ad eam peragendam statuti erant, Capitulorum Cathedralium, Ecclesiarum quas Collegiatas nuncupant, beneficiorum, paroeciarum, atque ipsius ecclesiastici patrimonii regimen ac constitutionem susdeque magis vertebant. (Doc. 94. 95.) Hoc quippe a Gubernio absorbebatur, constituto quodam singulis mensibus Clero ipsi tribuendo pecuniae subsidio; Collegiatae Ecclesiae aliaque eccles. beneficia dirimebantur; Kielcensis Collegiata in Cathedralem arbitraria potestate erigebatur; novae in Canonicorum Collegia inducebantur constitutiones; Paroeciae demum contra canonica statuta distribuebantur, atque Eppi Parochos paroeciis praeficiendos sive Administratores, nisi a Cultus publici Praefecto potestate facta, nominare vetabantur. Verum ad horum violenter gestorum complendam tabulam haud reticendum est: Epporum auctoritate spreta, atque cultus libertate pessumdata, peculiaribus Gubernii legibus, primis huiusce anni mensibus editis, Catholicis extra sua templa religionis causa pompam ducere vetitum est; (Doc. 96.) haud permissum est ecclesiasticis viris spiritualia exercitia in quibuslibet templis perficere, sed in iis tantum urbibus, quae alicuius territorii caput essent, siquidem

Digitized by Google

militare cuiusque loci gubernium annueret; (Doc. 97) sacerdotes prohibiti sunt, ne absque speciali Magistratus civilis venia ad alias paroecias opem in sacro ministerio et cultus ceremoniis Parochis laturi accederent; (Doc. 98.) nominationes ad officia ecclesiastica ita dispositae fuerunt, ut fere omnes Gubernii auctoritati subiectae sint. (Doc. 99.) Hanc demum heu! nimis tristem historiam claudet facinus illud a Gubernio patratum, quo Dioecesim Cameneciensem arbitrio suo e medio sustulit, eamque Dioecesi Luceoriensi et Zytomeriensi coniunxit, illius Ecclesiae Eppo viventi omni iurisdictione ademta. Hic adeo infandus Gubernii actus, quo idem percusso Pastore gregis dispersionem minitabatur, omnes eius dioecesis fideles, quae quidem sive vetustate, sive suorum illustrium Antistitum serie, sive templorum numero, sive demum populorum religione ceteras ferme omnes Regni Eppales Sedes antecellit, dolore maximaque tristitia affecit. Haud igitur fieri potuit, quin et paternum Summi Pontificis cor moerore summo afficeretur, qui in eorum eventorum casu, quae id temporis contigerant, quaeque in postrema Allocutione habita die 29 Oct. catholico orbi pandebat, etiam hoc recens, utpote quod evidentissime omnium patefaciebat, quanti Imperiale Gubernium divinam Ecclesiae auctoritatem, constitutionem, atque hierarchiam faceret, praecipue exposuit. (Doc. 100.)

Hic explicit tristissima eorum factorum expositio, quae una cum opportuna documentorum congerie S. Sedem propalam exerere decuit, ut iustitiae ac veritatis suarum querelarum et protestationum perpetuum argumentum consisteret. Concordatum quidem Pontifex per suos legatos cum Imperiali Gubernio communi suffragio confecerat: at vero eidem Concordato obtemperatum numquam est; querelas subinde admovit, sed iis satis numquam factum est; palam in Consistorialibus Allocutionibus vocem extulit, at non idcirco schismaticorum in catholicos, in Imperio Regnove commorantes, violentia quidquam unquam remisit; saepius Imperatoris aequitatem compellavit, sed laetum ac faustum responsum diu frustra expectatum est. Nihil igitur eidem Pontifici ad S. Sedem suspicione omni purgandam defendendamque supererat aliud,

Digitized by Google

quam earum curarum, quas ipse tam electae Christi gregis portioni tuendae gessisset, documenta publicare. Tristis procul dubio, quam illa exhibent, imago est: quam quidem conspicientibus quibusque miseranda conditio patefiet, in quam Imperialis Gubernii leges gestaque Ecclesiam ipsam in Polonia coniecerunt. Perspicient ii profecto ibidem apertissime, gregibus abreptos Pastores, vel sua destitutos auctoritate; proscriptos sacerdotes, vel in ecclesiastico ministerio exercendo vinculis compeditos; expulsos e coenobiis Religiosos viros atque durissima laborantes rerum inopia derelictos; Graecos Romana cum Ecclesia fide caritateque coniunctos ad schisma violenter traductos; Latinos vero vel subdolis obsessos artibus, vel religionis subsidiis orbatos; sacrum Dei cultum interceptum; violata templa, vel ea acatholico cultui addicta; tacentes veritatis cathedras; Ecclesiae bona diremta; pessumdatam Hierarchiam; corruptam sive literariam sive religiosam institutionem; contumeliis affectam Religionem; propagatum Schisma; postremo omnia sublata adminicula; omnem demum viam, qua Supremus Pastor tot oppressis afflictisque filiis suis sive opem, sive consilia, sive solamen conferre posset, omnino interclusam. Huc rebus adductis, communis fidelium Pater, spe nequaquam amissa, fore aliquando ut Potens ac Magnanimus Russiarum omnium Monarcha et Poloniae Rex in hanc malorum, quibus in eius vastissimis dominiis Catholica Religio afflictatur, luctu dignam historiam oculos coniiciat, ac pro illis laborantibus catholicis generosa tandem consilia suscipiat perficiatque; maximo interea moerore affectus nil sibi superesse arbitratur, quam ad Deum misericordiarum preces fundere, ut iis, qui supremae voluntatis ministri sunt, aequiora inspiret consilia; exagitatorum Epporum constantiam roboret; Ecclesiae ministros sive carcere detentos sive oppressos soletur; exulum, quibus omnia Religionis praesidia desunt, dolores leniat; eius tandem Nationis inclytae, quae nonaginta ferme abhinc annis amissam luget sanctae religionis profitendae libertatem, fidem regat atque sustentet. — Romae ex Secretaria Status die 15 Nov. 1866.

Digitized by Google

1607.

Decretum S. Congreg. Concilii de Dioecesi Camenecensi, quam Russicum Gubernium temere suppressit, per Epum Luceoriensem regenda: adnexa brevi protestatione adversus temerarium ac violentum praefati Gubernii factum. 1867.

Cuique generalem Ecclesiae Catholicae statum inspicienti patet, multas reperiri in orbe terrarum a Guberniis editas leges, multasque invectas consvetudines ex iisdem legibus originem praecipue ducentes, quae contra ecclesiasticum ordinem et disciplinam pugnant: at e contra non potest praesenti tempore generatim negari, populos et gubernia, si paucissima excipias, vocem Apostolicae Sedis aut prorsus venerari, aut ea aestimatione habere, cui non facile contradicant. Neque facta plura peculiaria et solemnia desunt, quibus ipsi haeretici, qui olim furore abrepti adversus Apost. Sedem et Cath. Ecclesiam vehementer sese invehebant, modo Cath. Ecclesiae non solum velut antea non resistunt, sed si quod opus in gratiam Apost. Sedis exhibere possint, id non difficile exhibent. Et quotidie conspicimus catholicam unitatem invalescere, et Pastores ac greges immobili Petri Sedi intimius devinciri, omnesque oculos non solum Catholicorum, sed propemodum omnium ad Apostolicam Petri Sedem eiusque gloriosum Successorem esse conversos. Unum tamen praesenti tempore eminet Catholicae Religioni infensum Gubernium, et praepotens quidem: quod dum aliarum religionum sectas in suo sinu fovet, Catholicam unam Religionem, nulla arte neglecta, spretaque Apostolica auctoritate, in miserrima servitute, barbarorum hominum more, detinet, atque omnes conatus iniquis legibus eo dirigit, ut fideles populos a centro catholicae unitatis avellat. Namque ipsam facultatem fidelibus sibi subditis denegare non erubescit cum Matre sua communicandi cum Matre illa, quae imbellis et inermis nemini unquam malum intulit, omnibus prospera adprecatur, ac populos fideles docet, ut Imperantibus quamvis discolis obediant, ipsisque in omnibus subsint, quae legi Dei et Ecclesiae eius

Digitized by Google

non adversantur; quas quidem iustissimas leges Gubernium ipsum se esse servaturum iteratis vicibus publica fide S. Sedi adpromittere non dubitavit, quamvis fidem suam numquam servaverit. In officiali Urbis Ephemeride Decretum a S. Congr. Concilii evulgatum est die 3 Maii, de quo eadem Ephemeris haec praenotat: „Post infaustum Decretum Russici Gubernii die 5 Iun. 1866 editum, quo arbitraria ratione supprimebatur Dioecesis Camenecensis, et proprius Pastor a ducentis et amplius fidelium millibus est vi avulsus, post iteratas Pontificias protestationes in Allocutione Consistoriali die 29 Octobris proxime elapsi habita, et in Expositione documentis munita, quae Allocutioni successit, contentas, S. Sedes infelices illos Catholicos plane desertos adhuc iacere novit. Ssmus Pater animi dolore comprehensus, cum sinere haud possit, ut eiusmodi rerum religiosarum status perseveret, consilium iniit, Dioecesim interea temporis pastoralibus committendi curis Eppi Luceoriensis et Zytomeriensis. Cum autem compertum plane sit, quam gravibus carceris et exilii poenis illi sese obiiciant, qui Supremo Ecclesiae Cath. Capiti directe communicent, ita ne compluribus miserandis victimis novae adiungantur, SS. Pater viam quamlibet ad exercitium Apostolici sui ministerii in illis miserrimis regionibus praeclusam esse sentiens, non alium reperit modum patefaciendi illi dioecesi eiusmodi temporaneam dispositionem, quam per Decreti publicationem in ista officiali Ephemeride, spe ductus fore, ut hoc decreto per publicas ephemerides typis iterum tradito in Eppi cognitionem et illorum fidelium possit devenire, atque ita normae eidem Eppo sit, eorumdemque fidelium solatio, qui tot inter difficultates Unitatis catholicae centro firmo animo adhaerere non desinunt. Decretum autem — est sequentis tenoris“:

Decreti tenor. Innotuit iam Apost. Sedi Gubernii Russici decretum diei 5 Iun. 1866, quo antiquam et insignem Camenecensem Dioecesim temere suppresserat, ac impedito proprio Antistiti RR. D. Antonio Fialkowski quocunque iurisdictionis exercitio, dispersisque Capituli Cathedralis et Eppalis Consistorii membris, necnon Seminario Clericorum sublato, Ecclesiam Camenecensem quavis legitima administra-

Digitized by Google

tione privaverat. Quae quidem omnia in divinam Ecclesiae auctoritatem, eiusque S. Hierarchiam patrata SSmus Dnus Noster Pius Papa Nonus Allocutione sua Consistoriali dici 29 Octobris memorati anni solemniter lamentatus est, atque iterum lamentata voluit in Expositione a Secretaria Status die 15 Novembris edita; ea spe fretus, ut pro rei gravitate et reclamationum iustitia praefatum Decretum tandem revocaretur, ac obstacula removerentur, quae Pastoris reditum ad propriam Sedem eiusque auctoritatis exercitium praepediunt. Verumtamen cum Summus Pontifex iusta spe fuerit frustratus, et ceteroquin sciat, illius dioecesis ingentem fidelium numerum in luctuosissima conditione et summo aeternae salutis discrimine versari, eo quod proprius Pastor a grege seiunctus oves suas nec regere, nec ad salutaria pascua ducere, nec ab inimicorum hominum insidiis defendere valeat: pro Apostolici sui ministerii debito illius Ecclesiae necessitatibus meliori qua fieri potest ratione in tam adversis rerum adiunctis consulere volens, mandavit, ut, quoadusque legitimus Camenecensis Antistes ab administranda sua dioecesi impediatur, regimen illius Ecclesiae moderno Eppo Luceoriensi et Zytomeriensi committeretur. Hinc est, quod perdurantibus supramemoratis rerum conditionibus vigore praesentis Decreti Rmo Dno Caspari Borowski, dioecesis Luceoriensis et Zytomeriensis Eppo pro recto dictae Ecclesiae regimine tribuuntur omnes et singulae facultates necessariae et opportunae, ad beneplacitum tamen S. Sedis duraturae, et quoadusque aliter consuli nequeat, quibus ea omnia et singula exercere possit et valeat, quae ex iure, privilegio, ac consuetudine in propria dioecesi sive iure ordinario sive delegato legitime exercet; ac proinde Clerus et fidelis populus eum in extraordinarium Dioecesis Rectorem agnoscant, eiusque praescriptiones, mandata, ac monita fideliter dociliterque accipiant ac sequantur: quo fiat, ut spiritualis incolumitas eorumdem fidelium, quos SSmus Dnus impensa caritate complectitur, iquantum fieri potest, servetur, et unitatis vinculum, quo pars lla dominici gregis Petri Cathedrae adstringitur, tot inter difficultates integrum custodiatur. Datum Romae ex S. Congr. Concilii die 3 Maii 1867. Prosper Card. Caterini, Praef. —

Petrus AEppus Sard. Pro-Secret. — Acta S. Sedis. Romae. 1867. vol. II. p. 609.

1608.

Aliud decretum eiusdem S. Congr. de provisione Eppatus Podlachiensis. 1867.

Decreto a Gubernio Russico anno superiori lato, suppressa Camenecensi Dioecesi, modo alterum decretum accessit eiusdem Gubernii die 22 Maii proxime elapsi editum, ex quo Eppatus Podlachiensis seu Janovaniensis una cum Capitulo Cathedrali, Consistorio Generali, ac Seminario extinctus, et Rev. Eppus Beniaminus Szymanski a finibus suae Ecclesiae discedere coactus est. SSmus Dnus noster Pius Papa IX in tanta rei acerbitate dum contra tam temerarios et sacrilegos prorsus ausus a seculari potestate perpetratos vocem extollit et reprobat, summopere exoptans memoratae dioecesis spiritualibus necessitatibus consulere, ac legitimae iurisdictionis exercitio prospicere, iussit eiusdem dioecesis Podlachiensis regimen et administrationem committere Rmo Dno Casimiro Sosnowski Vicario Capitulari Lublinensis Ecclesiae, donec praefatus Eppus fuerit impeditus propriam regere et gubernare dioecesim. Quare idem SSmus D. N. concedit praesentis decreti vi pro recta dictae Ecclesiae procuratione Rmo Dno Casimiro Sosnowski Vicario Capitulari Lublinensi omnes et singulas facultates necessarias et opportunas, iis exceptis, quae Eppalem ordinem requirunt, ad S. Sedis tamen beneplacitum duraturas, et donec aliter provideri queat, quibus ea omnia et singula exercere possit et valeat, quae ex iure, privilegio et consvetudine in Lublinensi dioecesi velut Vicarius Capitularis seu Ordinarius sive iure ordinario, sive ex generali aut ex speciali delegatione legitime exercet, atque proinde Clerus et fidelis populus eum in extraordinarium Podlachiensis seu Janovaniensis dioecesis Rectorem agnoscant, eiusque praescriptiones, mandata ac monita fideliter dociliterque excipiant et exequantur. Atque id, ut spiritualis eorumdem fidelium, quos SSmus D. N. summa caritate

Digitized by Google

prosequitur, incolumitas, quantum fieri potest, sedulo curetur, et unitatis vinculum, quo pars illa dominici gregis Petri Cathedrae obstringitur, tot inter difficultates integrum custodiatur. Datum Romae ex S. Congr. Conc. die 17 Oct. 1867. Prosper Card. Caterini, Praef. — Petrus AEppus Sard. Prosecr. — Acta S. Sedis. Romae. 1867. III. 203.

1609.

Encyclica Pii IX ad Eppos de tristi statu Ecclesiae tum in Italia, tum in Russia et Polonia, et de ordinandis per dioeceses publicis precibus. 1867.

Levate, ven. fratres, in circuitu oculos vestros, et videbitis ac una nobiscum vehementer dolebitis abominationes pessimas, quibus nunc misera Italia praesertim funestatur. Nos quidem inscrutabilia humillime adoramus iudicia Dei, cui placuit nos vitam agere hisce luctuosissimis temporibus quibus nonnullorum hominum opera, et eorum potissimum, qui in infelicissima Italia rem publicam regunt ac moderantur, veneranda Dei mandata, sanctaeque Ecclesiae leges plane despiciuntur, et impietas impune caput altius extollit ac triumphat. Ex quo omnes iniquitates, mala et damna, quae cum summo animi nostri moerore conspicimus. Hinc multiplices illae hominum phalanges, qui ambulantes in impietatibus militant sub satanae vexillo, in cuius fronte est scriptum ‚mendacium', quique rebellionis nomine appellati, ac ponentes os suum in coelum, Deum blasphemant, sacra omnia polluunt, contemnunt, et quibusque iuribus divinis humanisque proculcatis veluti rapaces lupi praedam anhelant, sangvinem effundunt, et animas perdunt suis gravissimis scandalis, et propriae malitiae lucrum iniustissime quaerunt, et aliena violenter rapiunt, ac pusillum et pauperem contristant, miserarum viduarum et pupillorum numerum augent, ac donis acceptis veniam impiis tribuunt, dum iusto iustitiam denegant, eumque spoliant, et corrupti corde pravas quasque cupiditates turpiter explere contendunt cum maximo ipsius civilis societatis damno. Hoc perditorum hominum genere in

by Google

praesentia circumdati sumus, ven. fratres. Qui quidem homines diabolico prorsus spiritu animati, mendacii vexillum collocare volunt in hac ipsa alma Urbe nostra, ad Petri Cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum. Ac Subalpini Gubernii moderatores, qui huiusmodi homines coërcere deberent, illos omni studio fovere, eisque arma resque omnes suppeditare, et ad hanc Urbem aditum munire non erubescunt. Sed omnes hi homines licet in supremo civilis potestatis gradu et loco collocati paveant: quandoquidem hac improba sane agendi ratione se novis obstringunt laqueis eccles. poenarum et censurarum. Etsi vero in humilitate cordis nostri divitem in misericordia Deum enixe orare et obsecrare non desistimus, ut hos omnes miserrimos homines ad salutarem poenitentiam, atque ad rectum iustitiae, religionis, pietatis tramitem reducere dignetur: tamen tacere non possumus gravissima pericula, quibus in hac hora tenebrarum expositi sumus. Animo plane tranquillo quoscunque rerum eventus, licet nefariis fraudibus, calumniis, insidiis, mendaciis excitatos, expectamus, cum omnem nostram spem et fiduciam collocemus in Deo salutari nostro, qui adiutor est noster, et fortitudo in omnibus tribulationibus nostris, quique in se sperantes confundi non patitur, et impiorum insidias subvertit, et peccatorum cervices confringit. Interim haud possumus, quin vobis imprimis, ven. fratres, et omnibus fidelibus curae vestrae commissis denunciemus tristissimam conditionem, et maxima, in quibus per Subalpini potissimum Gubernii operam nunc versamur, pericula. Quamvis enim fidissimi nostri exercitus strenuitate ac devotione defensi simus, qui rebus praeclare gestis prope heroicam praesetulit virtutem: patet nihilominus, ipsum diu resistere nequire numero longe maioti iniustissimorum aggressorum. Et licet non mediocri utamur consolatione ob filialem pietatem, qua nos reliqui subditi nostri a scelestis usurpatoribus ad paucos redacti prosequuntur, vehementer tamen dolere cogimur, ipsos non posse non sentire gravissima pericula sibi ingruentia ab efferatis nefariorum hominum turmis, qui eos iugiter minis omnibus terrent, spoliant, et quoquo modo divexant.

Digitized by Google

At vero alia numquam satis lugenda mala deplorare cogimur, ven. fratres. Ex nostra praesertim Consistoriali Allocutione die 29 mensis Octobris superiori anno habita, ac deinde ex narratione documentis munita et in lucem typis edita optime cognovistis, quantis calamitatibus Catholica Ecclesia eiusque filii in Russico Imperio ac Poloniae Regno miserandum in modum vexentur ac lacerentur. Namque catholici Sacrorum Antistites et eccles. viri laicique fideles in exilium eiecti, in carcerem detrusi, ac modis omnibus divexati propriisque bonis spoliati, ac severissimis poenis afflicti et oppressi, et Ecclesiae canones ac leges omnino proculcatae. Atque his minime contentum Russicum Gubernium pergit ex avito proposito Ecclesiae disciplinam violare, et unionis et communicationis illorum fidelium cum nobis et hac S. Sede vincula frangere, ac omnia moliri et conari, ut in illis dominiis catholicam religionem funditus evertere, et illos fideles a Catholicae Ecclesiae sinu avellere, et ad funestissimum schisma pertrahere possit. Cum incredibili animi nostri moerore vobis significamus, duo nuper decreta ab illo Gubernio post ultimam commemoratam nostram Allocutionem edita fuisse. Ac decreto die 22 proximi mensis Maii vulgato per horrendum ausum Podlachiensis dioecesis in Poloniae regno una cum illo Canonicorum Collegio, Consistorio generali, ac dioecesano Seminario penitus fuit extincta, et eiusdem dioecesis Eppus a suo grege divulsus, coactus a dioecesis finibus continuo discedere. Quod decretum simile est illi die 3 Iunii superiore item anno in lucem edito, de quo mentionem facere haud potuimus, cum illud ignoraremus. Hoc igitur decreto idem Gubernium non dubitavit proprio arbitrio et auctoritate Cameneciensem dioecesim de medio tollere, et illud Canonicorum collegium, Consistorium, ac Seminarium disperdere, et proprium Antistitem ab illa dioecesi violenter abripere. Cum autem omnis via, atque ratio nobis intercludatur, qua cum illis fidelibus communicare possimus, tum ne quisquam carceri, exilio, aliisque poenis exponeretur, coacti fuimus in nostras Ephemerides inserere Actum, quo legitimae illarum amplarum dioecesium iurisdictionis exercitio ac spiritualibus fidelium necessitatibus consulendum censuimus, ut illuc per

artis typographicae opem notitia perveniret susc epti a nobis consilii. Quisque vel facile intelligit, qua mente et quo fine eiusmodi decreta a Russico Gubernio edantur, cum mult orum Epporum absentiae dioecesium quoque accedat suppressio. Quod autem nostram cumulat amaritudinem, est aliud decretum ab eodem Gubernio die 22 superioris mensis Maii promulgatum, quo Petropoli fuit constitutum Collegium vocatum ecclesiasticum catholicum romanum, cui praesidet Mohiloviensis AEppus. Scilicet omnes petitiones, ad fidei etiam et ad conscientiae negotia pertinentes, quae a Russici Imperii et Poloniae Regni Eppis, Clero, populoque fideli ad nos et ad hanc Apost. Sedem mittuntur, ad hoc Collegium primum transmittendae sunt, easque Collegium idem examinare debet, ac decernere, utrum petitiones Epporum potestatem praetergrediantur, et hoc in casu illas ad nos perferendas curare. Postquam autem illuc nostra pervenerit decisio, praedicti Collegii Praeses ad internarum relationum Ministrum decisionem ipsam mittere tenetur, qui expendat, num aliquid in illa reperiatur legibus Status et Supremi Principis iuribus contrarium, et quoties hoc non existat, illam pro suo arbitrio et voluntate exequatur. Videtis profecto, ven. fratres, quam vehementer reprobandum ac damnandum sit huiusmodi decretum a laica et schismatica potestate latum, quo et divina Cath. Ecclesiae constitutio destruitur, et eccles. disciplina subvertitur, et maxima supremae nostrae Pontificiae atque huius S. Sedis et Epporum potestati auctoritatique iniuria infertur, et Summi omnium fidelium Pastoris libertas impeditur, et fideles ad funestissimum impelluntur schisma, ac vel ipsum naturale ius violatur et conculcatur quoad negotia, quae fidem et conscientiam respiciunt. Ad haec Catholica Varsaviensis Academia deleta est, ac tristis Chelmensi et Bettiensi dioecesi Ruthenorum impendet ruina. Atque illud maxime dolendum, quod repertus sit quidam Presbyter Woicichi, qui suspectae fidei, omnibus eccl. poenis censurisque despectis, terribilique Dei iudicio posthabito, minime exhorruit eiusdem dioecesis regimen et procurationem a civili illa potestate accipere, et varias iam edere ordinationes, quae dum eccl. disciplinae adversantur, funestissimo schismati favent.

In tantis igitur nostris et Ecclesiae calamitatibus et angustiis, cum non sit alius, qui pugnet pro nobis, nisi Dominus Deus noster, vos etiam atque etiam vehementer obtestamur, ut pro singulari vestro rei catholicae amore et studio, et egregia in nos pietate velitis ferventissimas vestras cum nostris coniungere preces, et una cum universo vestro Clero populoque fideli Deum sine intermissione orare et obsecrare, ut reminiscens miserationum suarum, quae a seculo sunt, indignationem suam a nobis avertat, et Ecclesiam suam sanctam ac nos a tantis malis eripiat, eiusdemque Ecclesiae filios nobis carissimos in omnibus fere regionibus ac in Italia praesertim et in Russico Imperio ac Poloniae Regno tot insidiis obnoxios, tot aerumnis afflictos omnipotenti sua virtute adiuvet, defendat, eosque in catholicae fidei eiusque salutaris doctrinae professione magis in dies stabiles servet, confirmet, roboret, et omnia impia inimicorum hominum consilia disperdat, illosque, illosque de iniquitatis barathro ad salutis viam revocet, et in semitam mandatorum suorum deducat. Itaque volumus, ut in vestris dioecesibus publicae pro vestro arbitrio preces per triduum intra sex menses, pro ultramarinis vero intra annum indicantur. Ut autem fideles ardentiore studio hisce publicis precibus adsint ac Deum exorent, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui praedictis tribus diebus devote eisdem precibus adstiterint, ac pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus ex nostra mente Deum oraverint, et Sacramentali Confessione expiati ac sacra Communione refecti fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis autem fidelibus, qui corde saltem contriti in quolibet ex commemoratis diebus reliqua praemissa opera peregerint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consveta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Denique nihil certe

nobis gratius, quam ut hac etiam occasione libentissime utamur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua vos in Domino complectimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipite apost. bened. quam effuso cordis affectu Vobis, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae concreditis peramanter impertimus. Datum Romae die 17 Oct. 1867.

III. Monumenta Helvetica.

1610—1612.

Internuntii S. Sedis Ap. in Helvetia reclamationes ad Gubernium Tessinense in merito religiosae institutionis, et festorum. 1864. 1865.

1610. Reclamatio in obiecto institutionis religiosae in Scholis. 1864. Mit Botschaft vom 14 Mai 1862 haben Hochdieselben (ad Status Consilium Tessin. scribit) dem Hohen Grossen Rathe des dortigen löbl. Kantons den Entwurf eines Schulgesetzes vorgeschlagen, dessen damalige Discussion im verflossenen Frühjahre fortgesetzt wurde. Wer die dem guten kath. Volke des Kantons Tessin eigene Klugheit kennt, erwartete, dass seine Vorgesetzten im erwähnten Vorschlage den köstlichsten und nützlichsten Unterricht nicht übergehen würden, nämlich den Unterricht in der heil. Religion, dieses Fundaments der menschlichen Gesellschaft, dieses Lichts, das den Verstand der Sterblichen erleuchtet, und ihnen unfehlbare Wahrheiten enthüllt, welche ausgeübt sie zum Heile führen können. In dem in Rede stehenden vorgeschlagenen Gesetze wird die religiöse Unterweisung nur für die Primarschulen vorgeschrieben, weil man für die Secundar- und oberen Schulen deren Nothwendigkeit nicht zulässig findet. Desshalb geschieht in der Organisation der Direktion der Schulen, bei der Ernennung der Ortslehrer, bei der Auswahl der zum Gebrauche und als Preise bestimmten Bücher der kirchlichen Behörden keine Erwähnung, und die Zeugnisse guter Aufführung für die Schüler werden nicht

Digitized by

von den betreffenden Pfarrern, wohl aber von den Ortsbehörden verlangt. Überdiess werden die für die Schulen eingesetzten Kapläne gleichsam in die Nothwendigkeit gesetzt, ihre Stellung zu verlassen und die allgemeinen Gesetze der Kirche werden dadurch verletzt, dass man vorschlägt, theilweise sich ohne Erlaubniss der kirchlichen Behörden der aus den Pfründen fliessenden Renten zu bedienen. Solche ebenso bedauernswerthe als den Religions-Indifferentismus der Jugend, die des Lichts und des Balsams der heil. Religion bedarf, begünstigende Vorschläge, welche der Religion des guten Volkes zuwider und dem ehrwürdigen Tessinischen Clerus verhasst sind, haben den allgemeinen Hirten der Kirche in Betrübniss versetzt. Um sich nicht gezwungen zu sehen, neue Verwahrungen einzulegen, um die Rechte und die Interessen der Kirche zu sichern, hat er mir auferlegt, Sie und die gesetzgebende Behörde inständig zu bitten, wie ich mit Gegenwärtigem zu thun mich beehre, Sie möchten bekümmert um das Wohl Ihres Volkes, wie Sie es sein sollen, dem oben erwähnten Vorschlag den religiösen Geist einflössen, dessen er ermangelt, und jene Verfügungen entfernen, welche die Gesetze der Kirche und die Ehre der Geistlichkeit verletzen. Luzern, 14 Nov. 1864. Jos. Bovieri.

1611. Reclamatio in obiecto Festorum. 1864. Auf Anregung eines Mitgliedes Ihrer Behörde haben Sie dem hohen Grossen Rathe einen Gesetzvorschlag eingereicht, zufolge welchem die Feier von 12 gebotenen Festtagen unterlagt, die Übertragung derselben auf Sonntage freigestellt, und die Übertreter mit einer Busse von 50—200 Fr. bestraft werden sollen. Dieser Vorschlag wurde von Ihnen mit einer Botschaft begleitet, mittels welcher man ausser den darin enthaltenen ebenso unwahren als wenig schicklichen Schlusssätzen, deren Zergliederung wir der Kürze halber unterlassen, eine solche Verminderung auf ein vorgebliches Recht der Staatshoheit der Republik, und auf ein anderes, welches die kanonischen Vorschriften dem Grossen Rathe gewähren sollten, zu stützen sucht. Beim Erscheinen des in Rede stehenden Vorschlages und der Botschaft gab die ausgezeichnete und

Digitized by Google

pflichttreue Tessinische Geistlichkeit einmüthig dem hohen Rathe dortigen Kantons eine Beschwerdeschrift ein, in welcher sie die Unbegründetheit der zwei Behauptungen auseinander setzte und die verehrte Behörde beschwor, einem so verderblichen und von unberechenbaren Konsequenzen begleiteten Vorschlage keine Folge zu geben. Sie schloss mit dem Verlangen, dass, wofern man nebst der durch Apost. Breve vom 14 Juli 1848 erhaltenen noch eine weitere Verminderung der Festtage zeitgemäss finden sollte, die hohe Behörde sich möge bereden lassen, ein daheriges Begehren an den heil. Stuhl zu richten. Der Stimme der ehrwürdigen Geistlichkeit des Kantons Tessin muss dasjenige des obersten Hirten der kath. Kirche noch grösseres Gewicht verleihen, da dieser einen solchen Angriff auf die Autorität der Kirche nicht dulden kann. Er hat mir daher den Auftrag ertheilt, Gegenwärtiges mit der Bitte an Sie zu richten, dass es dem hohen Grossen Rathe des kath. Kantons Tessin zur Kenntniss gebracht werde. Da die löbl. Behörden, Regierung sowohl als die gesetzgebende Behörde, die Ehre geniessen, der heil. kath. Religion anzugehören, so wissen sie schon, und wissen es auch aus der durch das entfernteste Alterthum bestätigten Erfahrung, dass nur der vom obersten Gesetzgeber mit der göttlichen Autorität bekleideten Kirche das Recht zukömmt, die Tage zu bestimmen, welche von den Gläubigen als Feiertage gehalten werden müssen. Die löbl. Behörden entsinnen sich wohl, wie der heil. Stuhl, welcher weit über die menschlichen Beunruhigungen erhaben ist, den 14 Juli 1848 durch päpstliches Breve eine nachgesuchte Verminderung der Feiertage in Tessin gewährte, und dass er, von dem allein es abhängt, seinen geliebten Gläubigen Gnaden zu gewähren, in Fällen von Nothwendigkeit sich nicht durch unfruchtbare Oppositionen aufhalten lässt, da, wo das wahre Wohl seiner Söhne es fordert, auch ohne Weiteres entgegen zu kommen und zu gewähren. Ich nähre somit das Vertrauen, dass Sie und die oben erwähnten gesetzgebenden Stellen als katholische Behörden handeln und auf die unvorsichtig vorgeschlagene Massnahme verzichten werden, aus der beklagenswerthe Folgen zum Schaden der öffentlichen

Ruhe und des Gewissens der katholischen Tessiner hervorgehen würden; und dass Sie, wenn Sie irgend eine weitere Verminderung der Feiertage zu erhalten wünschen, den geraden Weg einschlagen werden, welcher einzig zum gehofften Ziele führen kann. Luzern, 14 Nov. 1864. Bovieri.

1612. Altera Reclamatio in merito institutionis religiosae in scholis. 1865. Der Vorgänger des unterzeichneten Geschäftsträgers des heil. Stuhls bei der Eidgenossenschaft legte Ihnen, hochgeachtete Herren, mit Schreiben vom 14 Nov. des abgelaufenen Jahres einige begründete Vorstellungen über den Schulgesetzentwurf vor, und drückte Ihnen im Namen des heil. Vaters sein lebhaftestes Verlangen aus, Sie möchten seine Vorstellungen dem Grossen Rath mittheilen, um auf diesem Wege billigen Abänderungen Eingang zu verschaffen, und so gleichzeitig die Rechte der Kirche und die religiösen Interessen der Jugend zu wahren. Mit dem tiefsten Seelenschmerz hat Se. Heiligkeit noch einmal erfahren müssen, dass die gelassenen und gerechten Vorstellungen und Bedenken misskannt wurden. Der zum Gesetz erhobene Entwurf liefert dafür den überzeugenden Beweis, indem allen früher gemachten Einwendungen keine Rechnung getragen worden ist. Dieses neue so betrübende Factum, leider nicht das erste in diesem Kanton erlittene Bedrängniss der Kirche, kann vom heil. Vater aus Gewissenspflicht nicht übersehen werden. Damit aber sein Schweigen nicht etwa als Zustimmung zu den erfolgten Neuerungen gedeutet werde, hat derselbe geruht, dem Unterzeichneten den Befehl zu ertheilen, gegen die in dem erwähnten, unterm 10 Dec. 1864 genehmigten, Schulgesetze enthaltenen Bestimmungen zu protestiren. Der Unterzeichnete hat in Vollziehung der Befehle des heil. Vaters die Zuversicht, die hochgeachteten Herren werden die gerechten Beschwerden des Oberhauptes der kath. Kirche berücksichtigen und Mittel finden, um denselben Rechnung zu tragen. — Luzern, 13 März 1865. Angelo Bianchi. — Schweizerische Kirchenzeitung. Solothurn. 1864. p. 398. 407. et: 1865. p. 116.

Digitized by Google

1613.

Eppi Helvetiae ad Foedus Helvetum contra iniurias potestati ecclesiasticae, et Summo Pontifici occasione revisionis Constitutionis Foederis illatas protestationem mittunt. 1866.

Als in der letztabgehaltenen Bundesversammlung bei Anlass der vorgenommenen Revision der Bundesverfassung auch die Abänderung des Artikels 64 zur Sprache kam, blieb derselbe unverändert beibehalten, die katholische Geistlichkeit somit auf's Neue von dem natürlichen Rechte ausgeschlossen, wahl- und stimmberechtigt in die obersten Bundesbehörden zu sein. Diese verletzende Bestimmung konnte weder aus dem Geist und Wortlaute einer freistaatlichen Verfassung abgeleitet werden, welche den Grundsatz der Rechtsgleichheit für Alle an ihrer Stirne trägt, noch war man im Stande, die neubestätigte Rechtsungleichheit für die kath. Geistlichen durch eine Ungleichheit ihrer bürgerlichen Pflichten und Lasten zu begründen; denn Jedermann weiss, dass sie für die Gemeinden, die Kantone und den Bund mit allen übrigen Bürgern die gleichen Lasten tragen müssen und gegen Gesetze und Obrigkeiten in bürgerlichen Dingen dieselben Pflichten erfüllen. Ohne diese zu beeinträchtigen, nehmen sie jedoch für die höchsten Zwecke des Menschenlebens in der Kirche Gottes noch eine besondere, hervorragende Stellung ein, um deren willen die christliche Vorzeit sie mit Ehren und Vorrechten bedachte, ferne davon, sie unter die gemeinsten Bürger und Bewohner des Landes herabzuwürdigen. Andere Begriffe von Recht und Ehre haben sich mehrere Sprecher und Mitglieder des Nationalrathes gebildet; denn sie nahmen sich in Mitte Ihrer Behörde heraus, jene rechtswidrige Ausnahmsbestimmung durch die öffentliche Anklage zu begründen: als seien die kath. Geistlichen an eine auswärtige Macht, den römischen Papst, zu blindem Gehorsam hingegeben, hätten weder ein Vaterland, noch eine Liebe zu demselben, seien überhaupt gegen Freiheit und Fortschritt mit unversöhnlicher Feindseligkeit erfüllt. Wurde durch diese rohen

Digitized by Google

Ausschreitungen das kath. Volk in der ganzen Schweiz tief verletzt, das in der öffentlichen Beschimpfung seiner Geistlichkeit mit Recht auch seine Religion und Kirche beschimpft sieht, so haben nicht minder die schuldlos Angegriffenen im Gefühle ihrer erlittenen Misshandlung sich überall einmüthig gegen dieses Unterfangen erhoben; und an die Spitze derselben gestellt, sehen sich die unterzeichneten Bischöfe der Schweiz angewiesen, die Rechte der ihnen untergebenen Diöcesangeistlichen vor Ihrer hohen Versammlung zu wahren und die muthwilligen Angriffe auf deren Ehre und kirchliche Stellung mit tiefstem Unmuth zurückzuweisen.

Die kath. Kirche ist keine geheime Gesellschaft, die ins Dunkel sich hüllend, ihre Glieder zu verborgenen Zwecken durch feierliche Eide verpflichtet; sie ist vielmehr unter Gottes Beistand schon nach jenen Tagen, als der heidnische Kaiserhistoriker vom alten Rom sie eine lichtscheue und verächtliche Menschenklasse schalt, aus den Katakomben siegreich über alle ihre Verfolger ans frohe Tageslicht hervorgetreten, hat ihren Glauben offen verkündet, ihren Gottesdienst vor Aller Augen abgehalten, an ihr Gesetzbuch keine Siegel angelegt. Durch ihre Bischöfe, Priester und Ordensmänner hat auch seither diese geschmähte Kirche wie in die übrigen Länder des Erdkreises, so insbesondere in alle Gauen des alten Helvetiens das Licht, die Bildung, die Veredlung, die Segnungen und Tröstungen des Christenthums getragen, und an den Ufern der Rhone wie an den Gestaden des Bodensee's und an den Quellen des Rheins bis zu dem burgundischen Jura war sie es allein, die nach den Verwüstungen der Völkerwanderung jenes schöne Vaterland wieder geschaffen und ausgebildet hat, dessen wir uns heute erfreuen. Nur eine trügerische Geschichte kann das Gegentheil behaupten. Und wie im Laufe der entschwundenen Jahrhunderte, so verbreiten die Priester der Kirche bis zur Stunde noch immer in den Tempeln Gottes Erleuchtung und Belehrung für das Volk, in den Schulen der Jugend den christlichen Unterricht, in den Armenhäusern und am Kranken- und Sterbelager Hilfe und Tröstung für die Trostbedürftigen; ihre menschenbeglückende Sendung und Wirksamkeit durchdringt,

Digitized by Google

erhöht und veredelt alle Verhältnisse des menschlichen Lebens. Die hohe Bedeutung dieser Dienste auch für die Wohlfahrt und Ordnung des bürgerlichen Gemeinwesens wissen alle Staatsmänner, die diesen Namen verdienen, gar wohl zu würdigen. Warum dann sollen die Priester im Vaterlande minderen Rechtes als der gemeinste Bürger sein? Es lautet nicht nur wie ein sinnloses Gerede, es tönt wie ein Aufruf zur allgemeinen Ächtung der kath. Kirche in der Schweiz, wenn jene Sprecher von blinder Leidenschaft befangen, Angesichts der gewährleisteten Glaubensfreiheit und religiösen Duldung es wagen durften, dasjenige den kath. Geistlichen als Makel, Vergehen und Verbrechen anzurechnen, was einen integrirenden Bestandtheil ihres Glaubens bildet; das Verhältniss nämlich, welches der göttliche Stifter unserer Religion in seiner Kirche für alle Zeiten festgestellt hat; dem zufolge durch göttliche Anordnung in der Kirche des Herrn die Gläubigen mit ihren Seelsorgern, diese mit ihren Bischöfen, die Bischöfe hinwiederum sammt allen ihren Gläubigen und Priestern mit dem römischen Papste, dem Stellvertreter Christi auf Erden, durch die Bande des Gehorsams in dem Einen Glauben so unzertrennlich verbunden sind, dass wer diese Verbindung mit dem Oberhaupt der Kirche unterbricht, seine Verbindung mit dem Leibe der Kirche löst; und wer sich ausser die Gemeinschaft mit dem Nachfolger Petri auf dem römischen Stuhle setzt, sich auch von der Gemeinschaft der kath. Kirche losreisst. Das ist für alle Katholiken, Geistliche und Laien, ein unabänderliches Gesetz des Glaubens, eine unverletzliche Regel der Religion. Der römische Papst ist daher für die Katholiken der Schweiz keine auswärtige Macht, sondern der oberste Hüter ihres Glaubens, heimisch, anerkannt und hochverehrt von Altersher im Vaterhause der alten Eidgenossenschaft in ihren schönsten Zeiten; er ist für sie kein fremder Fürst, sondern der Vater aller Gläubigen, so weit die Grenzen der Erde reichen; die Angelegenheiten, die er als Oberhaupt der kath. Kirche für sie zu ordnen und zu leiten hat, sind nicht politischer, sondern religiöser und kirchlicher Beschaffenheit, haben mit der weltlichen Souveränität des Papstes nichts zu schaffen, fallen daher für die schweize-

Digitized by Google

rischen Katholiken in den Ressort ihrer eigenen, autonomen Behandlung, wenn anders die Glaubensfreiheit auch für sie eine Wahrheit sein soll.

Das war, hohe Versammlung, der objective Standpunkt der Gerechtigkeit, von wo aus die ersten Magistrate der Schweiz von jeher, unabhängig von ihrer subjectiven Meinung, den religiösen Glauben und die kirchliche Ordnung der Katholiken als etwas Gegebenes und historisch Berechtigtes aufzufassen, in ihrer amtlichen Stellung zu berücksichtigen und dadurch den Frieden zwischen den Bekennern der verschiedenen Glaubensbekenntnisse in den Kantonen und in der Eidgenossenschaft zu erhalten wussten. Sollen nun befangene Eiferer dieses Rechtsverhältniss zum Unglück des gesammten Vaterlandes antasten dürfen, ohne auf allseitigen gerechten Widerstand zu stossen? Dürfen sie die kath. Kirche als eine erklärte Feindin des Staates denunciren und ihren Priestern bloss um ihrer religiösen Gesinnungen und Pflichten willen das Vaterland und die Liebe und Treue zu demselben, die Hingebung für Menschenwohl und alles Edle und Grosse lieblos und übermüthig absprechen, ohne bei den Katholiken sowohl als bei allen rechtlich gesinnten Protestanten einen allgemeinen Schrei des Unwillens und der Entrüstung hervorzurufen? Glänzendere Vorbilder treuer Liebe zum Vaterlande werden wohl wenige gefunden, als die ersten Stifter schweizerischer Eidgenossenschaft es sind, und sie waren treue Katholiken; unsterblich ist der Name der Helden, die in den Unabhängigkeitskriegen für die Freiheit unserer Heimath ihr Blut vergossen haben, und sie waren treu ergebene Söhne der kath. Kirche; und es kann keinen bessern Bürger und keinen edlern Freund des Vaterlandes geben, als der sel. Nicolaus von der Flüe einer war; er hat aber auch durch seine religiöse Begeisterung und kirchliche Treue allen Anderen den Vorrang abgerungen, und zugleich seinen Miteidgenossen für alle Zeiten das erhebende Beispiel hinterlassen, dass man der treueste Diener Gottes und der Kirche sein kann und soll, ohne jemals aufzuhören ein treuer Bürger des Vaterlandes zu sein. Der Versuch dieser Sprecher ist also wohl verfrüht, die kath. Kirche mit ihren Priestern und Gläubigen zum Lande

Digitized by Google

superhabendi, aut proiectum legis a se factum reiiciendi. In relatione Exc. Vrae dicitur non posse admitti, quod exemtio Cleri ab officiis militaribus ab articulo primo Statuti descendat, siquidem iste explicari debeat cum articulis 24 et 25 eiusdem Statuti, qui stabiliunt aequalitatem iurium et obligationum pro universis civibus. Duo articuli aequalitatem iurium civilium et politicorum pro omnibus enunciantes, salvis exemtionibus per legem determinatis, et communis obligatio concurrendi ad onera Status in proportione possessorii, quomodo possint pertrahi in quaestionem, ubi e sententia Comitis Cavour, nullum existit privilegium, non comprehendimus. Sed cum venia Eiusdem, Domine Minstier, ut quid detorquere Statutum, et explicitum velle ariticulum primum cum subsequis duobus, et non potius hos subordinare illi, ut omne hermeneuticum et iuridicum criterium deposcit? Attunc facile potuisset convinci, quod Religio Catholica, Apostolica, Romana, sola Status Religio, habuerit nviolabile ius ad necess aria media pro exercitio sui Ministerii, in tantum, ut attestante Generali Alphonso Lamarmora Ministro 1853, subiiciendo Clericos collectioni militari, existentia Cleri compromitteretur. (Acta offic. Nro. 530. pag. 1919.) Principia libertatis et independentiae praeferenda sunt relationibus inter Ecclesiam et Statum. Sic arguit Exc. Vra ad iuvenes status ecclesiastici obligationi militandi subiiciendos. Ad hoc respondebimus verbis equitis Bon-Compagni, iustitiae et gratiae Ministri anno praecitato, recte in hoc ipso argumento de dispensatione Clericorum a servitio militari prolatit: „Leges liberales, dicebat in Sessione 21 Maii 1853, non sunt illae, quae persequuntur Clerum, sed, quae interesse omnium tam materiale, quam religiosum et morale protegunt, emolumenta in antiquissimis traditionibus fundata non minus, quam super novissimis ideis.“ (Acta off. Nro. 522. pag. 1889.) Accusatio de persecutione Cleri, hac vice, uti videt Exc. Vestra, non procedit ab auctoritate suspecta. Finaliter Exc. Vra asserit, quod ab hoc legis proiecto metuendum haud sit, ut minuatur numerus Ministrorum Religionis, cum existant causae exemtionis e motivis familiarum, reiectionis, et facultate surrogationis et liberationis etiam Clericis permissa. Motiva

familiarum supponunt obligationes cum exercitio officiorum ecclesiasticorum non semper conciliabiles; et illa reiectionis, tales conditiones personae, quae saepe impediunt sui resolutionem ad vitam abnegationis, egestatis, sacrificiorum omni momento, die et nocte, et non raro in locis montosis et fatigiosis. Quantum ad surrogationem, quis ignorat maiorem Cleri partem procedere ex familiis popularibus, quae vix possunt sufferre dispendia educationis et studiorum, et sunt fere semper in statu insufficientiae sibi substitutionem procurandi. Nolumus prolixi esse in hoc argumento, postquam Generalis Lamarmora, qua Minister in eam abivit sententiam, quod „subiicere Clericos militiae idem sit, ac compromittere existentiam Cleri.“ Proiectum hoc legis fuit iam iudicatum per annum 1853; Comes Camillus de Cavour declaravit, quod exemtio ab obligatione militari Clero concessa, non sit privilegium; Eques Bon-Compagni Minister eotum gratiae et iustitiae dixit, illiberale et oppressivum esse, iuniorem Clerum militiae subiicere; Minister Alphonsus La Marmora tenuit, quod hac agendi ratione compromittatur existentia Cleri, — et Camera reiecit illud. Quantum ad nos, sustinemus cum respectu et praecise declarare, quod proiectum legis per Exc. Vram 28. Aprilis p. p. propositum sit violatio iuris sacerrimi, illius nempe, sequendi impulsum divinum ad dispensationem mysteriorum christianorum vocantem; sit completissima negatio dispositionum, Canonum et legum Ecclesiae; quod subvertat, insuperhabeat omnes nostras institutiones ecclesiasticae et scientificae educationis, ob diffidentiam et incertitudinem, quae producitur in iuventute ad ministeria Sanctuarii electa quoad consecutionem sui finis; quod sit attentatum contra Religionem Status, per Statutum, ut solam et unicam proclamatam, cum Religio Catholica sine Ecclesia, Ecclesia autem sine Ministris existere nequeat; quod offendat conscientias, familiarum quietem turbet, beneficia Apostolatus christiani ignoret, per quem nationes civilisatae sunt, neget historiam, missionem Sacerdotii catholici, non minus quam libertatem nobilissimam, sanctissimam, et maxime inviolabilem. Tentavit porro D. Minister id plane, quod non accidit in Belgio, quod non est ausus in Gallia Bonaparte, imo nequidem Ledru-Rollin.

Digitized by Google

Nullum Europae Gubernium cogitavit adhuc de removendo ab Altari Levita in sortem Domini vocato. Qualificatus ille conceptus, de quo superius, non est in suspicione clericalismi, habetque meritum innegabilis originalitatis, quem sedata mente nemo sibi adtribuere volet. Quis posset desiderare, ut in paginis historiae scribatur: una solum existit in mundo regio, in qua Ecclesiae negatur delectus suorum sacerdotum, regio autem haec fuit Italia a. 1864; inter omnes ministros, qui dicebant, quod liberalibus ordinationibus gubernent, unicus solum fuit, qui ausus est sacris indumentis spoliare iuvenes sacris templi officiis addictos, Minister autem hic fuit descendens e familia duorum Romanorum Pontificum. Nos oramus Deum enixissime, ne id eveniat pro bono Ecclesiae et honore regni nostri, sicut alia ex parte fovemus fiduciam, quod Exc. V. maturius pensata rei gravitate, sit rationem habitura reverentis huius nostrae remonstrationis, cui aperta patet via descendendi ad mitiora et magis moderata consilia. In Iunio 1864. — L'Armonia. Torino. 1864. p. 691.

1649. Episcoporum Subalpinorum et Lombardiae ad Regem. Maiestas! Si quando accessimus V. M. animo moerore pleno, videntes mala Ecclesiis curis nostris concreditis imminentia, nunquam tamen (denuo alloquimur Eandem verbis S. Ambrosii ad Theodosium Magnum Imperatorem), nunquam tanto in aestu fuimus, ac nunc, dum reclamare debemus contra propositionem Parlamento praesentatam de abolenda Clericorum exemtione ab obligatione militandi, cum ea, ratione principii non minus hostilis sit, quam aliae praecedentes ad damnificandam, et deprimendam Ecclesiam catholicam pariter tendentes, et in suis consequentiis, ut clare patet, multo adhuc funestior; oramus itaque Eandem, pariter eiusdem Sancti verbis, ut patienter sermonem nostrum audias. Indulgeat Maiestas, ut prius rememoremus nonnullas innegabiles veritates. Ens supremum, Deus, est solus dominus, ab eo procedunt omnia, ob eo homines, Ecclesia, civilis societas, et omnia quae his comprehenduntur. Ecclesia divinam habet missionem instituendi populos in fide,

Google

morali, ad implendas medio eorum actiones cultus, eosque in tempore et aeternitate felices reddendos. Civilis societas coniungit familias pro bono, securitate et defensa communi, necessitas huiusce finis socialis importat Principatum, qui est a Deo, auctore et conservatore generis humani. Ecclesia igitur, ad consequendum finem suum, opus habet ministris et s. militia, non aliter, quam M. V. indiget ministris et militia civica ob securitatem populorum; et sicut populi in civili hoc consortio viventes ius habent ad securitatem et defensam, sic pariter iure gaudent, vi cuius implere possint suas erga Altissimum obligationes, quae certe prae omnibus aliis anteriores sunt, utpote cum creatura suo Creatori obstricta sit ea prorsus ratione, ut productum aliquod erga producentem artificem. Hinc sicut in Principe ab obligatione prospiciendi securitati et defensae populorum derivatur ius obligandi et in militia permanente tenendi hominum numerum ad consequendum hunc socialem finem necessarium, sic officium populorum erga Deum necessario importat ius habendi permanentem s. militiam; ab officio Ecclesiae implendi suum pro bono populorum sacrum Magisterium derivatur ius formandi sacrum ministerium pro eorumdem servitio. Certe Maiestas, ex his iuris naturalis et divini principiis provenit, quod omnes populi, omni tempore in peculiari respectu habuerint ministros cultus, eosque tenuerint exemtos a servitiis alienis, et cum eorum functionibus ne utiquam compatibilibus. Idcirco Deus in antiquo foedere integram tribum Levi ad honorem sacerdotii deligendo, eam a quibusvis oneribus communibus exemit. Postquam Ecclesia Christi Synagogae successisset, eadem tamquam ius natur ale ingenitum habuit, pro implenda divina sua missione ministros habendi, ius de eorum vocatione iudicandi, eos mediante educatione formandi, et ab alienis cum religioso fine componi haud queuntibus servitiis eximendi. Ecclesia ius istud a remotissima inde antiquitate exercuit, a Principibus catholicis omnium nationum, inde a Constantino Magno usque ad praesens in respectu habitum. Utut imperator Iulianus, eius nepos, in odium Religionis christianae ordinaverit, ut ab obligatione militandi senes dumtaxat, unam manum habentes, et in genere mutilati exemti sint,

Digitized by Google

attamen nomen illius posteritati traditum est cum macula apostatae et tyranni, et ordinatio illius mox per Valentinianum imperatorem revocata, et exemtio ad quam Ecclesia et populi catholici ius habuerunt, repristinata exstitit. Non secus egerunt gloriosi Antenati M. V. inclusive usque Augustum Eiusdem Genitorem, Regem Carolum Albertum, nunquam volentes impedire vocationem ad statum clericalem aut monasticum; ideo per ministrum sigilli custodem in Parlamento nationali in Maio 1853 enunciatum fuit, ius tale Ecclesiae omni tempore ab omnibus Europae populis in respectu habitum fuisse, fuitque novitus sanctionatum sub eodem gubernio constitutionali Eiusdem M. V. per legem 20 Martii 1854 de collectione tirouum militarium. Hinc stupor nos occupavit videndo, quod nunc Minister Regis et Status catholici prodiverit cum proiecto legis, quae, si adoptaretur, et sanctionaretur, esset in directa oppositione cum iure communi Europae, cum legibus naturalibus et divinis, ignoraret indubitata Ecclesiae et nationis iura, proderetque mundo, regimen hoc in principiis iustitiae socialis sibi non constare. Atque istud iam deberet sufficere ad M. V. omnesque regni legislatores ab acceptanda idmodi lege revocandos; in hac decisione DD. Repraesentantes firmari deberent ea consideratione, quod illud legis proiectum, praeterquam quod turpe in semetipso, sit insuper foecunda mater funestarum consequentiarum pro religione non minus, quam societate civili. Est turpe in semet. ipso, in principio admissum, quia tunc gubernium pro suo arbitrio posset limitare et impedire vocationes ad statum ecclesiasticum, hinc logice consequeretur, quod proiectum illud tendat ad destructionem Ecclesiae, quae, qua docens et regens, in sua hierarchia personificatur. Adversum foret Religioni, quia fructus et emolumenta, quae producere debet, in parte dependent a respectu, qui a fidelibus debetur suis legibus, a numero et qualitate ministrorum; sanctio vero dictae propositionis ei noceret plus omni persecutione. Quam multum pateretur religio, videndo sacrosancta iura sua, et sanctas suas leges conculcari, pateretur, recipiendo in respectu ministrorum suorum negativam, videndo etiam vocationes personarum ad divinum servitium educatarum in dubium vo-

Digitized by Google

cari; pateretur in penuria sacerdotum, quae certo hac ratione oriretur in exercitio cultus, in religioso animarum servitio, deberetque evocari aliunde. Quam grave detrimentum redundaret e proposita lege in ipsam civilem societatem, facile colligitur, Maiestas, si reflectatur ad id, quod haec eo maiora in civilitate capiat incrementa, et prosperetur, quo magis in ea florescit religio, quae iuxta verissimum philosophiae axioma, est ut anima corporis socialis, fundamentum magni aedificii, quod natio aut Status adpellatur. Labascente Religione, quod ex adductis rationibus foret inevitabile, labasceret ipsum civile consortium, deessentque insuper ei pretiosa illa emolumenta missionum extranearum, per ipsas potentissimas Europae nationes tanti aestimata.

Non videtur inopportunum examinare rationes illas quibus proiectum hoc succolari quaeritur; repraesentamus itaque M. V. primo: falsum esse, quod exemtio Clericorum ab obligatione militari sit mere privilegium, quod per civilem potestatem libere possit modificari aut tolli. Ecclesia Salvatoris gaudet pleno et indubitato iure prospiciendi suae conservationi et prosperitati; manifestum proinde est, quod facultate etiam gaudere debeat deligendi, educandi, consecrandi suos ministros, quin in implemento adeo vitalis iuris per auctoritatem secularem impediatur. Hinc sequitur, quod Augustus Genitor M. V. conformiter avitae pietati Dynastiae Sabaudicae, et iuri subditorum omnium catholicorum (exceptis paucis millibus individuorum ad duos cultus pertinentium, et solum toleratorum) ponendo in fronte Statuti, quod Religio catholica sit Religio Status, quemadmodum in priore Codice civili, indubitanter intellexerit, quod eadem possit ac debeat retinere ac exercere omnia sua iura cum libertate. Homines praeterea habent obligationes erga Deum, populi opus habent ministerio religioso; ergo et iure pollent habendi ministros sacros, qui non impediantur, aut ipsis eripiantur per collectionem tironum. Agitur hic de obligationibus prae omni alio genere gravibus, e quibus derivantur relativa iura, eandem gravitatem et prioritatem necessario roborantia, quarum implementum societas civilis respectare debet, quod faciendo non concedit privilegium, sed suum implet officium. Prono ex

Digitized by Google

hinc fluit alveo, quod obiecti articuli 24 et 25 Statuti, in quibus dicitur, omnes cives aequales esse coram lege, et omnes concurrere in supportandis Status oneribus, ne minimum quidem pariant obstaculum. Nemo est, qui non videat, quod ii intelligi debeant subordinate et in relatione ad primum, qui fundamentum constituit Statuti: quod clerici et milites aequales sint coram lege pro servitio sociali et concurrant aequaliter ad onera Status, hi in militia civili, illi in religiosa, quorum conditio in comparatione adhuc deterior est, cum clerici per totam vitam, milites autem adstricti sint ad servitium sociale solum pro quinque annis in actuali exercitio sub armis, et quinque in ‚reservo', alias in suis negotiis liberi. Et effective articuli hi sensu isto per ipsum Gubernium et Parlamentum intellecti fuerunt, dum supracitata lex organica de statuendis tyronibus discussa fuerat. Sed nec aliae rationes in relatione proiecto illi praemissa adductae maius habent fundamentum. Et revera, libertas et independentia in relationibus inter Ecclesiam et Statum non abolet obligationes proprias, et iura aliorum, non annihilat officia et iura populorum erga Deum, Ecclesiam et Statum, non subtrahit populos, Ecclesiam et Statum a subiectione erga Deum Creatorem hominum, causam efficientem Ecclesiae et Status. In hac iustissima invariabili norma est proclamatum a Divino Salvatore: Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Libertas ergo et independentia; sed Status impleat suas obligationes erga populos, qui in immensa sua maioritate catholici necessitatem habent et ius magisterii, servitii religiosi, adeoque exemtionis Clericorum ab obligatione militandi; impleat suas obligationes erga Ecclesiam, quae ius habet assistentiae, conservationis, electionis, educationis et formationis sacrorum ministrorum pro populis; impleat suas obligationes erga Deum, per quem Reges regnant, et non condantur leges supremum imperium Dei, qui est Dominus dominantium, ignorantes. Non sustinet porro crisin, Maiestas, suppositio illa, quod abolita licet clericorum exemtione, periculum haud sit, ut tantus numerus ministrorum Dei desit, quo sacer cultus detrimentum patiatur. Iam ipsa limitatio in praecitata lege occurrens probat insufficientiam eorum, quod nec

Digitized by Google

repraesentantes ignorant: eo minor erit succursus a Corporationibus religiosis; quid futurum sublata exemtione? Exemtiones propter motiva familiarum, propter inhabilitatem certe non procurabunt clericos, quia conservatio familiarum et qualitas inhabilitatis plurimos removent exemtos etiam a clericatu, ex alia vero parte indecens foret, ut Status Catholicus dicat Ecclesiae: Permittimus vobis eos, quos nos reiecimus ad habendum dein ius vos irridendi, vobis insultandi. Quis porro ignorat, quod filii populi et familiarum minus commodo situ locatarum sint illi, qui maiori ex parte se dicant ministerio religioso, et quod surrogatio, aut eliberatio graves deposcant expensas, quas illi supportare nequeunt? Reflexio haec nos urget enuntiare, quod exemtiones, reformationes, dispensationes, surrogationes et elibertationes (quae postremae indolem praeseferunt privilegii) demonstrent, quod aequalitas in societate non possit formare cynosuram, et quod eaedem ipsae rationes in favorem conservationis familiarum adoptatae fortius adhuc militent pro exemtione clericorum, cum indubium sit, hominem prius nasci religioni, quam familiae et societati. Vix erit porro opus, ut attingamus M. V. quod exemtio clericorum iuxta praesens systema collectionis tironum aut nihil, aut valde exiguum numerum iuvenum ab activo servitio in exercitu sit substracturum, dummodo evidentes teneantur rationes, et non negligatur ullum virium elementum. Ex alia parte est innegabile, quod longe maius detrimentum e sublata exemtione redundaret in Religionem, quam in Statum ex eius continuatione, e labascentia enim Religionis inevitabiliter sequeretur labascentia etiam Status, hinc est, quod emolumentum Status ipsius deposcat defensionem et sustentationem exemtionis clericorum.

Et quin plura memoremus, sicut verbis S. Ambrosii ad Theodosium Magnum inchoavimus, ita finem imponimus repraesentationi nostrae. Quod ergo libenter in iis accipitis, qui vobis militant, num hoc in Sacerdotibus potest molestum videri, cum id loquamur, non quod volumus, sed quod iubemur, non sint ergo ingratae M. V. devotae reclamationes nostrae, cum venerimus ex officio Pastoralis Ministerii nostri, Eandem enixe orantes, ne permittat effectum praecitatae legis

Digitized by Google

quae, ut demonstratum esse videtur, esset periculosa in suo principio, quia opponeretur Deo, vocationes in filiis suis pro servitio religioso per Eum inspiratas evertendo, privaret Eum gloria, quae ex officiis sacerdotalibus in Eum redundat: hostilitatem inferret Ecclesiae, privando eam pretiosissimo praehabito iure seligendi ministros suos ad complendam missionem salvandi mundum; insuperhaberet iura populorum in immensa pluralitate catholicorum, et finaliter funesta foret etiam integrae societati, quia imminuto sacerdotii numero pateretur Religio, quae est praecipuus fons omnis verae prosperitatis; sicque in vicem eius, ut progrediatur, regrederetur societas ad conditionem paganismi, totumque sociale aedificium in periculum totalis dissolutionis incideret. Dissipet Deus, Maiestas, tristes hos conceptus, faciatque eandem cognoscere, quod infrascripti ad praesentem reclamationem exhibendam permoti fuerint per strictissimas suas erga populos obligationes, Religionis et patriae bonum, cum sincero affectu, quem erga Augustam Eiusdem Personam, Familiam Regiam, totamque Dynastiam Sabaudicam fovent, coniunctum. — Episcopi et Ordinarii Provinciae ecclesiasticae Taurinensis, et Lombardiae. — 8. Iul. 1864. (Subscripti 17 Ordinarii.) — L'Armonia. 1864. p. 643.

1650. Episcoporum Mutinensium et Parmensium ad Regem.*) Maiestas! Dum feroces et exasperati assultus fervent, queis inimici Dei novis semper argumentis oppugnare student Ecclesiam catholicam, et si fieri posset evertere mysticam hanc Arcem, aut iuxta suum arbitrium coordinare; nos, divina voluntate pro custodia et defensa illius positi, obligationis nostrae ducimus attollendi novitus vocem nostram, et sustentandi, quoad in nobis est, sacras rationes, ne e silentio nostro detrimentum aut scandalum patiantur illi, qui curae nostrae sunt commissi. Maiestas! Luctuosum reclamationum et dolorum nostrorum motivum est

*) Praesens representatio praeter militare servitium etiam de Religiosis et bonis eccl. agit.

Digitized by Google

praesentatio duorum legis proiectorum potestati legislativae per Gubernium M. V. facta, queis compleretur mensura multiplicium sacrilegorum contra divinam Ecclesiae institutionem attentatorum. Primo eorum desideratur suppressio Corporationum religiosarum, et proponuntur dispositiones de Cassa Ecclesiastica, quae important spoliationem bonorum et subsidiorum, queis fidelium pietas et divina Providentia Ecclesiam providerunt, ad facilius terendam in hac terra viam per ipsum Deum designatam; altero abrogari petuntur articuli 98, 99 legis de 20. Martii 1854, seu abolitio exemtionis, utut satis restrictae, a servitio militari, qua hactenus gavisi sunt Clerici; quo facto semper difficilius, imo pro futuro etiam impossibile reddetur exercitium cultus sanctissimae Religionis nostrae. Auctores proiectorum horum supremae sanctioni M. V. ea substraturi repetent cum hypocritica asseveratione, non se inductos fuisse ad id iracundis motivis, aut hostilibus propositis, sed urgentibus necessitatibus politicis et occonomicis, et summis consortii civilis indigentiis. Proferent in medium, nescitur, quae libertatis religiosae et civilis principia, peculiaria temporum adiuncta ex integro mutata, aequalitatem pro universis civibus, et magnae nationis pluralitatis vota; nec intermittent affirmare, quod hae eorum propositiones sint conformes emolumento ipsius Religionis catholicae, et exigentiis publicae moralitatis. Sophismi et mendacia sunt ista, queis perversas suas intentiones tegere cupiunt. Nos in medio populi vivimus, noscimus veras indigentias et desideria, possumusque credere nos non minorem habere experientiam, quam turbidi isti novatores, et maiorem notitiam earum materiarum religiosarum, quas prodere intendunt. Dignetur M. V. priusquam proponendas sibi leges subscriberet, audire verba nostra, et persuadebitur, quod velint M. V. in errorem inducere, et novas calamitates addere ad multas, quibus affligitur Ecclesia catholica, et incrementum addere animo discontento populorum. Inde a primis relationis, quae proiectum legis de suppressione Corporationum religiosarum, et dispositione peculii ecclesiastici praecedit, vocabulis, manifeste apparet, qualiter proponens Minister non alio tendat, quam in errorem inducere, qui in materia hac non est suffi-

Digitized by Google

cienter versatus. Et revera, ut favorabilem proiectorum suorum acceptationem procuret, assecurat, ea esse urgentium votorum iteratis vicibus Gubernio manifestatorum implementum; in quibus videt certa ratione monstratam viam, et signatam metam ad ponendum finem amaris conflictibus et fastidiosis controversiis, relationem inter Statum et Ecclesiam hodie conturbantibus. Hinc cum solatio enunciat, quod praesenti generationi, in veris principiis libertatis religiosae, et civilis enutritae, sit reservatum solvere vincula, quo duae hae potestates cum mutuo damno innodatae fuerunt; seque accingit magno separationis operi, attribuendo Statui hoc, quod dicit usurpari per Ecclesiam, extendendo ad illum iura, quae posteriori sunt propria, sub praetextu quod ad Statum pertineat totum quidquid temporale est; procedit ad privandam Ecclesiam iis, quae eidem pro sua existentia, et pro necessaria explicatione divinae suae auctoritatis indispensabiliter debentur. An non poterunt unquam persuaderi hi omnis ordinis subversores, quod non a sola indole rerum spiritualium et temporalium, sed secus, et specialiter a fine, ob quem Ecclesia et civilis potestas a divino institutore ordinatae sunt, a maiori aut minori momento earum determinari debeant limites, intra quos respectiva earum attributa extendantur, quodve unice haec demarcationis linea finem imponere possit differentiis inter eas exortis? Haec est doctrina mille vicibus explicita, et in clara luce per scriptores ecclesiasticos aeque ac celeberrimos laicos publicistas collocata, qua cum iusta mensura positi sunt limites potestatis utriusque; sed qui per inimicos ecclesiasticae semper confundebantur ad legitimandas praemeditatas usurpationes, sibique nomine Status adpropriandum id, quod ad illum non pertinet. Impiarum idgenus tendentiarum non unum, sed plura sunt praesto exempla, Maiestas, et inter haec: duo legis proiecta, quae ingratum reclamationis nostrae argumentum constituunt. Agitur de Ordinibus religiosis, et bonis Ecclesiae; in respectu illorum admittendorum non fit difficultas, in quantum sunt associationes civium, qui utendo sua libertate, determinarunt in communi vivere assumptis pro norma specialibus regulis; pronunciaturque aperte, in obsequium libertatis religiosae,

Digitized by Google

et individualis, non minus libertatis associationis, non existimatur esse in competentia potestatis civilis eos abolere; in aperta dein contradictione cum iactata hac libertate, subiungitur, nescitur an per sarcasmum, aut directe ad nocendum Ecclesiae, quod libertas religiosa pugnet cum Statuto; sumiturque ad tollendos Ordines religiosos praetextus ex privilegio, eisdem ut praetenditur per Gubernium concesso, quod est, iuridica existentia entium moralium, atque exinde generalis suppressio desideratur, praeter paucas exceptiones, quas ei facere libuerit. Nescimus an ista argumentatio magis sophistica dici debeat in respectu principiorum quae supponit, vel in adplicatione eorum quam facit. Si Religio catholica, saltem ratione suae inter nos existentiae prior est hodiernis legislationibus, si iuribus gavisa est virtute tractatuum a tanto iam tempore recognitorum acquisitis, si vigore Statuti considerari debet ut sola Religio Status, hinc consequitur, quod potestas laicalis non possit abolere, aut secundum suum arbitrium immutare speciales illius ordinationes. Quandoquidem, sicut civilis societas, homine et familia posterior non potest ignorare, aut evertere naturalia et legitima iura, sic Status, utpote in ordine Religione inferior, nulla ratione potest laedere eius existentiam, et principales institutiones insuperhabere, quarum una, eaque non levis momenti, est recte Corporationes religiosae. Nec iuvat ad iustificandum suppressionis proiectum, dicere, quod hi Ordines non sint intrinsece iuncti cum ipsa constitutione Ecclesiae catholicae, et possint esse aut non esse, quin exinde aliquod in ipsam redundet detrimentum; quod amplius, non sentiatur efficacia beneficiorum, quae aliis temporibus in societatem civilem ex ordinibus religiosis promanabat; quod pro ipsis nunc fatigiosa foret perfectio laborum, qui exclusivam constituere deberent eorum occupationem, quod in hodierna societate, ut est constituta, pro iis nec conveniens situs supersit, nec digna occupatio. Ad ostendendam ratiocinationis huius insufficientiam vix alio opus est, quam rememoratione operum doctrina illustrium, per scriptores catholicos editorum, quoties contra Religiosos insurrexerunt adversarii, qui etsi non magis feri, fuerunt tamen melius ad pugnam parati, quam hi nostrorum temporum.

Digitized by Google

Nec difficile foret nobis demonstrare, quod Ordines religiosi naturalem habeant connexionem non solum cum Ecclesia catholica, sed cum ipso Evangelio, cuius principia de morali perfectione in effectum deducunt, et quod eapropter, quantum ad spiritum et essentialem praxin a primordiis Christianismi existant; et si subseque varias assumserunt formas externas, hae nonnisi accidentales fuerunt modificationes, sub directione Ecclesiae productae, ad quam solam spectat indicare sicut de utilitate quarumvis Corporationum religiosarum, sic et de earum opportunitate sive respectu specialis finis, quem sibi proposuerunt, sive ex obtutu convenientiae quoad continuationem existentiae earumdem. Manifesta itaque usurpatio est a parte civilis auctoritatis, determinare velle, qualis debeat esse occupatio Ordinum religiosorum, et investigare, an de praesenti possibile sit eam in effectum deducere. Oportet autem per accidens discernere sensum magnae societatis catholicae a satanico odio, quod aliqui increduli contra Religiosos fovent, et a clamoribus ac imprecationibus in aliquibus regionibus a conducta furentium manu adversus domicilium pacificorum Religiosorum directis. Ad procurandam super his convictionem sufficiet, Maiestas, oculos coniicere in diversos Status, etiam non catholicos, et videbit qua veneratione respiciantur illic Corporationes religiosae, et numerosae novarum Domuum fundationes, et incrementum quod inibi capiunt etiam illae, quae dicuntur minime gratae; hinc concludere debebit, quam diversa a M. V. Ministris consiliariis desuper cogitet catholicus mundus. Quodsi Ordines religiosi, qua realisatio perfectionis evangelicae tam strictum habeant cum Ecclesia nexum, ut sint, possumus dicere, vitale eius elementum, exhinc sequitur, quod Gubernium nunquam possit reputare ad suam competentiam eorum abolitionem pertinere, et nos gratulamur, quod auctor ipse proiecti id confessus sit. Sed non comprehendimus, qualiter credat illusoriam reddere hanc incompetentiae confessionem suo novo invento, auferendi singulis domibus existentiam iuridicam entium moralium. Si existentia haec esset etiam privilegium a lege concessum, ut frustra asseritur, posset forte ad arbitrium sufferri, et quod plus, quoad omnes Corporationes in genere? Sed

Digitized by Google

qualis attunc foret differentia inter abolitionem Ordinum religiosorum, quam civilis potestas dicit non esse in manu sua, et sublationem existentiae iuridicae? Non potest revera concipi, qualiter Ordinibus religiosis possit auferri iuridica eorum existentia per legem recognita, eo minus, si per id non intelligantur concessiones privilegiorum, et specialium favorum, ratione quorum potuit esse gubernium plus minus liberale relate ad illos; postquam nemo volet credere, quod in Statu, in quo tam procaciter proclamantur iura libertatis religiosae, libertatis individualis, libertatis associationis, privari possint aliqui cives iurium horum pretiosissimo, illo nempe, eligendi sibi statum vitae, quem libuerit, et sibi convivendi, absque omni praeiudicio societatis civilis. Et quid? Associationes scientificae, artisticae, industriales, mutui succursus, usque ad turpia commercia permittentur, et solummodo religiosae vetabuntur? Ubi est iactatus ille respectus Religionis regni, Statuti, impartialitatis, iustitiae? Et post haec amara cum irrisione dicitur, quod intendantur adplicari Ordinibus religiosis iuris communis normae, protectrices libertatis associationis?

Non immorabimur condemnationi, quam omnino mereretur, sacrilegae illius non minus, quam ridiculae temeritatis, quacum proiectum istud proponitur, enunciando, quod Religiosi sint ligati votis, et constricti vinculis religiosae professionis, arrogando sibi facultatem soli Romano Pontifici propriam, eos solvit a claustralibus obligationibus, et subtrahit incommoditati permanendi sub arbitrio superioris, remittendo eos in plenitudinem iurium, queis gaudet quilibet civis! Unice observabimus quam sit illogica, inusta et irreligiosa consequentia, quam inde deducit, volendo spoliare Corporationes religiosas, earum proprietate, eas e domibus suis expellere, iisque auferre existentiam iuridicam entium moralium. Quod privilegia iisdem non conferantur, id comprehenditur; sed quod iisdem bona auferantur, quae sub palladio legis data fuerunt Ecclesiae, et cum iis, qua cum re Status disponatur, est talis abusus potestatis, est adeo manifesta violatio rationum summe favorabilium, ut vix possit concipi eius possibilitas in consortio civili. Quo iure, quaerimus, manus exten-

Digitized by Google

duntur in bona Ordinum religiosorum? Hanc quaestionem nostram extendemus saltem ad id, quod respicit alteram proiecti partem, in qua, sub specioso titulo erigendi peculii ecclesiastici compleri intenditur totalis spoliatio facultatum Ecclesiae. Forsan credit proponens dominus Minister in suo falso supposito, quod gubernium possit auferre domibus Ordinum religiosorum, Capitulis Collegiatarum, aliisque institutis ecclesiasticis qualitatem entium moralium per legem recognitorum, succedet ei nobis persuadere, quod habeat ius et obligationem providendi circa bona et reditus constituentes dotationem domorum, et ipsorum institutorum? Sed, praeterquam quod non pertineat ad civilem auctoritatem iudicare, an haec instituta, quorum suppressio intenditur, sint aut non essentialia in regimine Ecclesiae catholicae, iam ipsum argumentum adductum, pro suppressione Capitulorum collegiatorum, quod nempe non amplius floreat antiqua illa disciplina ecclesiastica, quae Canonicis iniungebat vitam in communi specialibus regulis gubernatam, in proiecto ipso, quo succolatur suppressio omnium institutorum, in quibus Religiosi vivunt in communi assumptis pro norma specialibus regulis, est non solum manifesta contradictio, sed adiuncta damnificationi subsannatio: est porro error manifestus damnatus a iure naturae et gentium illud suppositum, quod Ecclesia nonnisi virtute privilegii per Statum concessi possideat, et quod ad hunc pertineat, examinare, utrum haec vel illa portio Cleri, haec vel illa ecclesiastica fundatio constituant entia moralia possessionis capacia; et quod possit revocari assensus iam datus; ac annihilare fundationes, si ab ipso qua nocivae, aut minus opportunae recognoscantur. Admissis idgenus principiis, quam funestae sequelae debebunt deduci in praeiudicium iuris proprietatis omnis ordinis et iustitiae? An non est ista realisatio principiorum eorum, qui omnia licita esse putant omnipotentiae Status, quam proiecti auctor se fingit reprobare? Ecclesia habet ius possidendi a divino suo Fundatore, qui eam ut societatem perfectam constituit, instructam omnibus ad perpetuam existentiam necessariis, ergo et materialibus bonis, et capacitate eadem acquirendi, ac pro ratione suarum indigentiarum administrandi. Possedit ea inde a suis

Digitized by Google

primordiis, dum primi fideles tenuta sua vendebant; eorumque pretium ad pedes Apostolorum deponebant; possedit sub imperatoribus paganis, persecutoribus suis, videmusque primum Constantini post suam conversionem actum fuisse dispositionem, ut ei restituantur bona, quae illi ablata fuerunt; possedit, bonisque abundanter provisa fuit sub imperatoribus christianis, semper omnique tempore, utut varia fortuna, in possessorio conservata. Ius istud Ecclesiae invincibilibus argumentis confirmatum a suis Patribus et Doctoribus, a celeberrimis iurisperitis etiam non catholicis, nonpotest everti per sophismata mille iam vicibus energice diluta, et nunc novitus in arenam adducta, queis spoliationi omnium suarum facultatum inhiatur. Non negatur, quod propositis proiectis opponatur auctoritas iuris canonici, et tamen omne momentum ei adimitur assertione illa, quod ratio civilis se emanciparerit a canonica, specialiter sec. XVI. et XVII. in quibus frequentes fuerant Ecclesiae spoliationes; sed non sufficit ad novas iniustitias iustificandas, allegatio ad antiquas! Fors quia ius civile et politicum nova profitetur principia, novo amicta habitu, licitum existimabitur usurpare totum, et inauditam hanc facultatem exercere? Id vero est, ut affirmat auctor proiecti, quod nempe Ecclesia in suis externis relationibus se accommodare debeat normae iuris communis, sed ex hoc et alio inferri potest, an non per violentiam subire debeat etiam pro praeterito eas iniurias, quae eidem nunc inferuntur? Ipsa Concordata per Pium VII. cum Republica Gallica, et Italica inita, dum parte ex una nobis in memoriam revocant, quomodo post tanta mala, tantas iacturas, quas Ecclesia subivit, Sanctus hic Pontifex se compulsum viderit ad accceptandas propositiones sibi factas propter multa ab universali naufragio praesalvanda; ita ex alia parte demonstrant, quod ad illud usque tempus potestas civilis persuasa non fuerit de legitimitate dispositionum super bonis ecclesiasticis a se praesusceptarum, cum earum ratificationem et convalidationem a S. Sede postulaverit. En, Maiestas, qualia sunt argumenta, quibus iustificari quaeritur actus, qui non vocatur quidem confiscatio, non tamen est aliud quam spoliatio Ecclesiae, et quam gubernium consummare intendit sub novo titulo creatio-

nis peculii ecclesiastici. Quid refert, an vocetur conversio, si bonis illis abusum fuerit gubernium iuxta arbitrium, ea vendendo, in chartas debiti publici convertendo, et erogationes in fines alienos ab eis, in quos destinata fuerunt, diversos faciendo? Volunt e bonis his fundum ecclesiasticum formare? Sed ea iam sunt fundus ecclesiasticus, et sunt in manu solius legitimae, et naturalis administratricis, Ecclesiae. Volunt perstringere expensas cultus? Bene, permittant ea Clero, qui sciet id praestare maiori cum decore. Volunt demum succurrere sacerdotibus egenis, et specialiter classi plurimum laboriosae? Concredatur haec quoque cura Ecclesiae, et ea providebit illis, sicut antehac, cum caritate et iustitia. Sed non sunt haec motiva, ob quae manus iniiciuntur in patrimonium Ecclesiae; verus finis est, Ecclesiae dominari, minuere ministros, privare eos benefico influxu in populum, verbo ipsam Religionem nostram sanctissimam, si possibile foret, evertere.

Tendentia haec apparet manifestius adhuc ex altero legis proiecto, quod paulo ante per Cameram deputatorum adprobatum esse, cum summo dolore intelleximus, quodve Ecclesiam privat exili illo numero iuvenum, eidem hucusque pro conservatione Cleri tantopere iam attenuati relictorum. Quis reipsa alter esset scopus legis eiusmodi? Fors ille, ut accrescant series exercitus? Ast secundum confessionem ipsius proponentis Ministri, adeo pauci fuerunt clerici, exemtione a servitio militari gaudentes, ut dici non possit notabilem exhinc fuisse pro Statu falcidiam. Sed etiamsi maior fuisset eorum numerus pro exigentia indigentiarum Ecclesiae, quae potestas humana credet se facultatem habere retrahendi ex militia ipsius Regis Regum eos, quos pro immediato servitio suo destinat, ad talem principis terreni amplificandam? Religio catholica, quae est Religio Status, ad implendam, quam a Deo sortita est missionem, promovendi in terris cultum illius, et genus humanum manuducendi in consecutione ultimi sui finis, aeternae quippe felicitatis, a divino suo Institutore ornata fuit iure eligendi ad sacerdotium eos omnes, qui necessarii fuerint, quosve ipsa iudicat a Deo vocatos esse. Absurdum est tenere, quod potestati civili fas sit determinare numerum Ministrorum Ecclesiae, et magis adhuc, quod obsi-

Digitized by Google

stere possit divinae vocationi ad Ministerium sacerdotale, quia per id proderet nisum Religionem Statui subiugandi, et negandi praerogativam indefectibilitatis existentiae suae. Ius Ecclesiae liberi delectus Cleri sui, et liberae institutionis in scientiis, et ad vitae sanctitatem formationis, est adeo naturale et manifestum, ut eidem fuerit ab ortu inde suo usque ad praesens a quibusvis terrenis potestatibus assertum et quidem non solum catholicis, sed etiam infidelibus et haereticis, quibus idcirco semper erat curae Clericos a militari servitio eximere, ab omni item alio publico onere, quod cum officio et dignitate sacerdotali compatibile non fuisset. Nostris itaque diebus est reservatum triste illud spectaculum confusionis ordinis et idearum, vi cuius sacrum et inviolabile ius Clericorum ad hanc exemtionem non solum consideratur qua privilegium a Gubernio, quod se profitetur esse catholicum, sed etiam conculcatur et evertitur ea intentione, ut Ecclesia ipsa cum suis ministris inter nos exstinquatur. Et revera, quis se in futurum dedicabit statui sacerdotali, qui longum requirit tirocinium, specialem educationem, et morum probitatem, severa disciplina probatam, si in certitudine se desideratum scopum attigisse, viderit se retrahi ab Ara ad capiendam partem in militia, ab ea, quam praeclegerat tantopere diversa? Quis parentum se resolvet ad faciendas graves expensas et curas in formandum e filio suo Domini ministrum, in dubio, quod videlicet sit dein adstringendus ad professionem militarem, pro qua non aliud requiritur, quam regularis forma, et firmitas corporis? Si ad haec obstacula, constitutioni Cleri secularis opposita adiiciatur dispersio, et haud remota exstinctio regularium, spoliatio bonorum Ecclesiae, et defectus vitae mediorum, quae fortuna poterit, etiam a minus videntibus praevideri pro sacerdotio catholico, nisi proxima et totalis annihilatio? Quae enim conditio poterit esse Ecclesiae sine ministris, nisi ruina eius? Funestae, quas timemus, sequelae fuerunt iam per ipsum proponentem Ministrum praevisae; quamvis enim cum laesivo suo cynismo affirmet, quod Status non occupetur materiis religiosis, mox tamen studet id impugnare dicendo, quod per proiectatam abolitionem non sit oriturus in sacro cultu defectus. postquam

Digitized by Google

etiam pro Clericis existunt causae exemtionis e motivis familiarum, et e causa inhabilitatis. Sed praetermittendo, quod iste sit crudus et impius praetextus, quasi Deus non posset vocare ad sacerdotium novi Foederis nisi homines imperfectos, qui plane in sacerdotibus antiquae legis voluit, ut sint immunes a quibusvis corporis defectibus; quis ignorat, quod non paucae e physicis imperfectionibus, aliquos a militia Status excludentibus, a ss. etiam canonibus considerentur, qua impedimentum militiae Christi? Insuper autem an non gravissima Divini Auctoris naturae et Religionis offensa censeri debet, eum Principi terrae postponere, eique pro ministris cultus eos tantùm offerre, quos iste in sui exercitus serie habere recusat?

Sed estne illud verum, quod haec proiecta legis, aut potius totalis haec rerum et iurium Ecclesiae convulsio sit votum magnae maioritatis nationis? Maiestas! non sumus in dignitate, et debemus id simpliciter negare, ac repetere, quod, qui tam impudens mendacium asserit, in errorem quaerit inducere M. V. illoque celare odium ad destructionem rei sanctissimae et maxime venerandae in terris conceptum. Populus italicus, non obstantibus continuis, a pluribus iam annis per impios adhibitis adstrictionibus ad subvertendam fidem et bonos mores, ubique adhaeret, sint Deo laudes, catholicae religioni, amat, et reveretur benefica illa instituta, quae sunt Ordines religiosi. Effectivam probam affectus huius habemus constanter in mediis sustentationis, quae magnae parti idgenus Corporationum sponte offert, in moerore et luctu, quem manifestat ex eo, quod spectator esse debeat tam crudelis dispersionis nonnullarum familiarum religiosarum; in quibus assueta fuit clara virtutum exempla cernere; et medium semper promtum reperire occurrendi spiritualibus suis indigentiis, et frequenter consolationem in suis tribulationibus, lenimen in doloribus. Non, non est verum, quod populus libenter videat spoliatam per Gubernium in sua substantia Ecclesiam, postquam vidit pium, quem exinde fecit Clerus usum, et pariter videt, quonam redeant publicae administrationes in arbitrio infelicium illorum omnis ordinis etiam perfectissimi reformatorum positae. Scit ille ex experientia, quod de bonis

Digitized by Google

ecclesiasticis plus longe participet, dum in manibus sunt sacerdotum, quam in manibus novorum adeo laudatorum administratorum. Et reipsa quis consolatur pauperem et mercenarium e tantis praebendis in possessionem illorum devolutis? Quomodo manipulatur pars cultui divino debita, postquam videmus negari erogationes ad decentiam Domus Dei necessarias, vel ad alium scopum usu antiquissimo destinatas? Populus cum solatio videt filios suos servitio S. Altaris dedicari, et religiosis Corporationibus adnumerari, et fors in proemium piae huiusmodi animi dispositionis Deus praeferenter elegit ex illo, quos ad excelsum sacerdotii sui ministerium vocat; potestne ergo credi, quod populus iste libenter videat sublatam a Clericis omnem exemtionem respectu militaris servitii, cui ob exiguum proventum inutilis, imo irrisoria redditur propositio per Ministrum belli facta, de ordinariis mediis liberationis a servitio militari, uti sunt surrogatio, et redemtio, nam ut huius ope iuvetur, non ei sufficeret integrum forte patrimonium? Maiestas! utut a Consiliariis Eiusdem delineemur tamquam isolati in nostris habitationibus viventes ad fruendum exaggeratis divitiis, invenimur tamen fere continuo in medio populi, noscimusque vota et indigentias eius longe melius ac illi, qui sibi id imaginantur in sua pervicacia, suis irreligiosis tendentiis conformiter. Unde cum libertate declaramus, quod tantum absit ut propositae leges sint sincera expressio sensuum magnae pluralitatis nationis, ut sint potius manifesta contradictio, credimusque nos utile praestituros obsequium emolumento non minus societatis, quam Ecclesiae, dum contra eas solemniter protestamur, et M. V. obtestamur toto animorum fervore, ne eas suprema sua sanctione ratificare dignetur. Nec deponimus omnem spem, Maiestas, quod in conspectu funestarum sequelarum quae ex hinc in praeiudicium augustae Eiusdem Religionis et Status derivarentur, non sit assumtura in se tremendam responsabilitatem in facie Dei et hominum. 15. Iulii 1864. — L'Armonia. 1864. p. 683.

Digitized by Google

1651. Episcoporum utriusque Siciliae ad Regem. Maiestas! Clamor doloris, quem Italia catholica ministerio Episcoporum suorum attollit ad regalem Thronum, est clamor mulieris sapientis: Serva me rex. (II. Reg. 14.) Unde nobis impendent minae? Proiectum legis, quod Clericos officio militandi subiicit, minatur completam negationem Religionis catholicae, Statuti, et ipsius Dei benedicti. Sapienti et illuminato Regi sufficit indicasse periculum, comprehendit enim extensionem et gravitatem illius; Surculo antiquissimae christianae Dynastiae, quae tantos dedit Ecclesiae Sanctos, uti Augusta Domus Sabaudica, sufficit illud intellexisse, ut promtum afferat remedium. Iam si e respectu formae constitutionalis, qua regimur, conveniens est, ut auctores et fautores proiectorum legis motiva, queis ad faciendam propositionem inducuntur exponant, nostrae quoque obligationis est Throno Regio remonstrare praecipua motiva et rationes nostri recursus; „quia error, cui non resistitur, adprobatur, veritas, quae minime defensatur, opprimitur.“

Et primo quidem ad bene ordinatam societatem, ut subsistat, duae res sunt indispensabiliter necessariae, scilicet successio et perduratio familiarum legitima generationis via, dein Principes et Magistratus medio quorum regitur et gubernatur. Inde est, quod Iesus Christus Dominus noster, qui inter homines apparuit non ad destruendam, sed reparandam hominis naturam, quoad animam et corpus peccato destructam, volens depositum revelationis concredere societati, quam appellavit Ecclesiam, duobus his substantialibus requisitis socialibus prospexit institutione duorum Sacramentorum, Matrimonio velut medio generandi filios, qui fierent membra Ecclesiae, — et sacra Ordinatione, ut ei prospiciatur de Principibus et Magistratibus ad regendam et gubernandam illam. Si ergo sufferatur S. Ordinatio, suffertur magistratus Ecclesiae eaque annibilatur. Iam autem subiicere omnem Clericum officio militandi, significat de facto sufferre S. Ordinationem, Sacerdotium enim catholicum non est opificium, cui pro genio et arbitrio alii possint adplicari, sed est sublimis dignitas et officium, ad quod nemo aspirare potest, nisi a Deo ipso vocetur. Doctrina Apostoli non potest esse clarior. Nemo sibi

Digitized by Google

sumit honorem Sacerdotii, nisi vocatus a Deo tamquam Aaron. Vocatio haec a Deo, quae revelatur quando, quomodo, et in quibus placet Domino, non manifestatur per subitaneam inspirationem, sed per diuturnam vitae consuetudinem, ob quam necessaria est in Ecclesia catholica sacra Seminariorum institutio, prout id alia occasione demonstravimus. Admisso autem novo proiecto de obligatione militandi, quilibet Clericus anno aetatis 20, seu dum ad Sanctuarium definitive per S. Ordinem admittendus esset, e sacra solitudine eriperetur, et in medium strepitum armorum et cohortum poneretur, ut a s. sua vocatione abstrahatur cum periculo etiam incurrendi irregularitatem, si partem caperet in bello. Quis ergo, ablatis Clericis, constitueret subiectum promotionis ad SS. Ordines, ad providendum Ecclesiae de sacro Magistratu ? Sed dicitur: habetis elibertationem, habetis surrogationem; ast minime; cum vocatio sancta non sit privilegium opulentorum, Spiritus S. ubi vult, spirat, et experientia in primis postremorum sexaginta annorum demonstrat, quod Dominus deligat a proportione plures filios populi ad opplendas vacuitates in sanctuario enasci solitas; quis autem possit supplerre occurrentes hic erogationes ? postquam nunc spoliata Ecclesia defectum patitur necessariorum ad simplicem ss. suorum ministrorum sustentationem. Qui vero ausus est assignare sanctuario eos, qui occasione selectus reiiciuntur, ignorantiam prodidit non solum respectu necessitatis de vocatione, sed et maledictionis, cui Deus Israel subiecit, quotiescunque sanctuarium subire ausus est Levita coecus, claudus, aut quacunque macula vitiatus. Legis itaque proiectum sacram ordinationem impossibilem reddendo ad annihilationem Ecclesiae tendit, sufferendo Sacrum Magistratum ad existentiam omnis societatis indispensabiliter necessarium, ut nec loquamur de defectu Sacrificii ad religionis essentiam pertinentis. — Proiectum legis circa obligationem militandi Clericorum est negatio Statuti: negat enim articulum primum de religione catholica tamquam sola religione Status, impossibilem reddendo sacram ordinationem ministrorum Rel. Cath. Negat porro articulum 25: siquidem una e praecipuis Status obligationibus sit, securum reddere civibus catholicis

Digitized by Google

liberum religionis suae exercitium, quae tamen adimpleri nequit, nisi manutentione specialis sphaerae pro iis, qui sancta vocatione sua soli reputantur digni ministerio, quod alias etiam per se gravissimum, per obligationem militandi magis onerosum redditur. Violat etiam articulum 24, iuxta quem omnes regnicolae cuiuscunque gradus et conditionis sunt aequales coram lege: itaque nec sacerdotium qua sublimissimam in societate catholica dignitatem fieri oportet monopolium divitum, sed filius coloni aut fabri, filius pauperis, qui non habet modum elibertationis, aut surrogationis, poterit, ascendendo in Sacerdotio collocari cum principibus populi sui, usque ad Sacrum Collegium Cardinalium, et supremam Cathedram Petri. Secundo, tantopere laudatus articulus incipit quidem cum declaratione, omnes aequales esse coram lege, finitur autem cum dictis: salvis exceptionibus in lege determinatis. Et reipsa, si omnes cives sunt aequales, cur non sunt omnes electores? Exceptio aetatis, sexus, census, et officia: cur non sunt omnes electores una eligibiles? Nova exceptio propter aetatem, censum et alia requisita, et cur professores Universitatum sunt eligibiles? Exceptio in favorem scientiarum. Omnes sunt aequales, ast soli deputati gaudent inviolabilitate, nec possunt inquietari propter debita durante Sessione sine Camerae indultu; nec ob certa crimina iudicari, nisi a Senatu in tribunal iustitiae transformato; non loquendo de aliis plurimis in eorum favorem exceptionibus. Omnes sunt aequales, et tamen soli Magistratus sunt inamovibiles, non autem alii Officiales gubernativi; militares proprium habere debent codicem et magistratum; commerciales eadem ipsa gaudent exceptione; lex ipsa de militatione, quae emendari intenditur, usque ad tollendam exemtionem clericorum, continet bene multas exceptiones. Taliter exceptiones, nihil aliud nisi exceptiones deposcit organismus constitutionalis quin evertat articulum 24 Statuti, cur ergo sola exceptio in persona clericorum esset eidem articulo contraria? Quia, respondebitur, exceptiones hae sunt necessariae et convenientes . . . Ergo articulo 24 opponere nefas; examinandum saltem est, an sint clerici digni exceptione a 16 seculis possessa. Et hoc erit argumentum ultimae reflexionis. Nun-

Digitized by Google

quam exstitit gens adeo barbara, quae non suos habuisset Deos, suam religionem, ergo et suos sacerdotes. In quanto honore et veneratione fuerint apud omnes gentes ministri religionis, nemo ignorat. Non loquendo de hebraeis veri Dei cultoribus, quantae fuerunt in antiquitate gentiles nationes per Imperia aut Respublicas gubernatae, Aegyptii, Medi, Persae usque ad Graecos et Romanos, quae suos sacerdotes privilegiis et favoribus cumularunt. Sufficit hoc solum, quod in democratica Romana Republica sacerdotibus tributa fuerit auctoritas, Consules ad renunciandum officio stringendi, eisque alios surrogandi, item annullandi leges quae fuissent inustae et inutiles; in iudiciis non potuerunt stringi ad iurandum, sola eorum affirmatione pro sufficienti acceptata, erant praeterea exemti ab omni iudicio et poena, nec obligati reddere rationes de sua vita sive Senatui, sive populo. Si id verum est de sacerdotibus idolorum, quanta esse debuit veneratio erga sacerdotes participes sacerdotii Unigeniti Dei incarnati? A Constantino usque ad nostra tempora non potest produci natio christiana aut Princeps, excepto Iuliano Apostata, quae non profudisset in Clericos et privilegia et honores, et inter haec exemtionem a militari servitio. Philosophia constantis huius praxis generis humani suppeditata fuit a divino Redemtore in Evangelio, ubi docet, quod qui honorat missum, honoret ipsum mittentem, honor ergo sacerdotibus tributus fundamentum suum habet in reverentia et obsequio, qua populus erga Deum suum fertur. Si itaque in sola Italia quaestionata lege Sacerdotes declarantur omn exceptione indigni, evidens est, quod negatio characteris sacri Ministrorum Dei productura sit negationem Dei ipsius. — Neapoli, festo S. Mariae de Monte Carmelo 1864. — L'Unita Cattolica. Torino. 1864. p. 1061.

1652. Episcoporum Piceni et Umbriae ad Regem. Maiestas! Cum animo profunde vulnerato accedimus altera iam vice posituri M. V. nostras demissas, sed graves reclamationes, quae ininterruptim adcumulantur super Ecclesiis gubernio nostro creditis, volumusque sperare, ut

Digitized by Google

exaudiantur tandem, habeaturque earumdem reflexio. Permultis iám vicibus intra quatuor annos elevavimus vocem nostram, et audiri fecimus gemitus Religionis varia ratione tribulatae et oppressae, insuperhabitione immunitatis ecclesiasticae, ablatione mediorum vitae, impedita libera inter supremum Ecclesiae Caput et Pastores ac fideles communicatione, subtractione independentiae Episcoporum, scholarum et piorum institutorum, quae aut illi ipsi fundaverunt, aut eorum regimini et custodiae per pios fundatores commissa fuere, profanatione, et fere eversione sacrorum templorum, dispulsione familiarum religiosarum, et innumeris aliis modis, quos enumerare prolixum foret ac dolorosum. Nulla nostrarum, utut iustissimarum reclamationum ratio habita nos ad silentium disposuit, remanente nobis saltem planctu et precibus. Sed novum illudque gravissimum Ecclesiae imminens damnum urget nos ab substernendum M. V. recursum, et querelas nostras, cum querelis nostrorum gregum uniendas. Quamcunque sit iam actu restrictus iuvenum clericorum numerus, qui erga petitionem Episcoporum a militari servitio eximi possunt, eo tamen non obstante medio novae legis id quoque totum annihilari intenditur usque ad exstinctionem sacerdotalis ministerii. Allegatur singularis praetextus, quod nempe universi cives aequaliter supportare debeant onera Status cuiuscunque sint conditionis. Sed non memorando, quod principium hoc in aliis casibus Clero adplicitum non fuerit, in cuius praeiudicium plurimae odiosae exemtiones decretatae fuerunt, considerandum est, quód delectus suorum ministrorum non sit privilegium Ecclesiae per legem humanam concessum, sed ius sacrum eidem a divina institutione competens, unde tantum abest ut possit eidem eripi, ut potius nulla ratione diminuendum aut restringendum sit. Iniuriam faceremus M. V. quae fortunam habuit in catholica fide nascendi, et educationem capiendi, si hic evolvere vellemus sapientissimas dispositiones, queis Iesus Christus perfectam hanc societatem instituit, quae est Ecclesia; sed solum attingemus, quod essentiale eius constitutivum sit hierarchicus ille ordo ministrorum, sacerdotum et Episcoporum in Romano Pontifice Caput suum venerantium, qui continu-

Digitized by Google

ando sacerdotium Christi efficit, ut coelestem suam missionem inter homines impleat. Hinc sublimis dignitas sacerdotii catholici, quod Apostolorum Princeps non dubitavit vocare regium „Regale Sacerdotium“ ob eminentem duplicem potestatem super mystico Christi corpore, quod est congregatio suorum fidelium, et super reali corpore, quod est Augustissimum sacrificium, et Sacramentum eucharisticum. Hinc evidenter apparet nativum ius, quod habet Ecclesia deligendi ministros suos medio sacrorum Pastorum: ius, quod a Deo concessum, non potest diminui, laut sufferri per quamcunque humanam legem, quae si id impediret, ordinationi divinae se opponeret. Si ministerium sacrum aboleretur, eo ipso everteretur Ecclesia, quod recte fuit stultum Iuliani Apostatae tentamen, dum ordinavit, ut omnes imperii subditi absque discrimine obligentur ad servitium militare, compulsis eo senibus, monachis et defectuosis. Ast tyrannica haec lex sat mature fuit abrogata per Imperatorem Valentinianum, qui ad exemplum Constantini Magni, recognovit in Ecclesia ius liberae vocationis suorum ministrorum. Et dum Imperator Mauritius prohibuisset militibus ordinem religiosum ingredi, Gregorius Magnus levavit ponderosam vo cem suam ad Principem illum a sacrilego hoc decreto permovendum. Servire Deo in militia ecclesiastica non est professio e finibus humanis, et emolumentis temporalibus assumta. Est specialis Dei favor, aliquibus tribuens gratiam quae dicitur, vocationis, sine qua, ut clamat Apostolus Paulus, nemo audeat accedere ad sacrum ministerium. De indiciis huius vocationis iudicare non ad alios spectat, quam ad Pastores illos, qui a Spiritu S. positi regere Ecclesiam Dei, ab ipso necessarium habent lumen pro re tanti momenti. Si Episcopi impedirentur in delectu pro officiis spirituali fidelium bono necessariis eorum, in quibus vident requisitas eo fine dotes, quo deveniret cum tempore in variis Dioecesibus sacrum ministerium? Et hic, Maiestas, non memorabimus, qualia et quam longa ac profunda studia exigantur, praeter qualitatem animi, ut iuvenes clerici pro momentoso suo officio praeparentur: studia, quae recte in illam aetatem incidunt, qua ad militiam traherentur. Hinc propemodum impossibile foret,

Digitized by Google

ut iuvenis, etiamsi per aliquot militaris servitii annos in omnibus retineret integritatem morum, nec amitteret in medio tantorum periculorum et incentivorum spiritum sui status, possit semet longo tirocinio disciplinarum ecclesiasticarum praeparare ad subeundum Sanctuarium. Conditio iunioris Cleri penes specialitatem suorum officiorum, est ex toto diversa ab ea civilium professionum, quarum alumni etiam in militia possunt invenire occupationem secundum suam capacitatem; sed vita Clerici est perfecte incompatibilis cum vita militis.

Sed opponitur, quod finaliter non omnes iuvenes adstringantur ad servitia armorum, praeexistentibus motivis, ob quae dispensantur. Infirmitates illae, et physicae debilitates, quae eximunt a militia, sunt ut plurimum eae ipsae, quae secundum Sacros Canones excludunt a sacerdotio; cum Ecclesia prout iam in veteri foedere, ob reverentiam suorum ministrorum non recipiat eos, qui affecti forent certis imperfectionibus, et deformitate corporis. Insuper, quam dolorosum vel cogitare, quod in populo catholico dispensatores augustorum mysteriorum quaeri debeant inter eos, qui reprobati fuerunt pro exercitu. Nec posset formari calculus ad paucos illos, a militia revera dispensatos, filios utpote matrum viduarum, aut grandaevorum patrum, cum idipsum plurimis vicibus futurum sit in causa, quod semet ad vitam ecclesiasticam haud determinent. O! Maiestas, iuveni filio conceditur, ut maneat pro sublevanda labascentis patris aetate, pro succolanda viduitate matris, et in carissimos illos filios, quos pater coelestis ad se vocat pro sancto ministerio suo, et communis Mater Ecclesia pro bono fidelium deligit et poscit, nullus habebitur respectus, nulla sentietur pietas? Dum habetur cura, ne ulla in Statu pereat familia, nulla habebitur sollicitudo pro conservanda hierarchia ecclesiastica, quae tamen summi est momenti pro tota familia christiana? Oramus M. V. ut considerare dignetur, quod redemtio a militari servitio pecuniaria non alleviet acerbitatem nostram, nec adferat desideratum lenimen. Quandoquidem desideratur pretium tale, quod angustae facultates modestarum familiarum supportare nequeunt, e quibus hodie potissimum prodeunt individua Ec-

Digitized by Google

clesiae. Sint ii temporales respectus, sit corrupta educatio, sit exiguum aestimium, quod saepe mundus impendit characteri sacro, maior tamen vocationum pars habet locum inter minus opulentos, qui ad assecutionem status sacerdotalis non haben aliud adiutorium, praeter facultatem Episcopis datam eos reclamandi. Quae facultas in tantum est iam restricta, ut subinde videamus cum dolore paterni cordis nostri e Seminariis in optimo studiorum cursu exire iuvenes caros, obiecta laetissimae expectationis; et cur nobis datum non est reclamare unum alumnum e viginti mille inhabitatoribus, qui adstringuntur ad amplectendam professionem indoli eorum ac desideriis e toto contrariam? In dolore animi nostri non potuimus nobis persuadere, qualiter inter tanta de individuali libertate verba, haec locum non haberet in re gravissima, quae in vita cogitari potest, delectus status, et libera facultas semet Deo dicandi?

Inimici Ecclesiae, Maiestas, dicent abundantem esse Sacerdotum numerum pro spiritualibus populorum indigentiis. Ast de indigentiis his iudicium pertinet ad Episcopos, qui in vicem eius quotidie dolenter experiri coguntur crescentem cooperatorum suorum in regimine animarum defectum. In multis Dioecesium nostrarum locis, ubi non multo ante, inveniebantur sacerdotes coadiutores, reperitur nunc solus parochus in medio multiplicium agendorum ministerii sui. Praeterea calamitas temporis, principia irreligiosa, dissolutio morum, educatio Ecclesiae, eiusque ministris inimica aliaeque rationes imminuerunt in iuventute vocationem ad Altare. Nunc ad omnes has causas, quae non ut imminutae fuissent, sed increverunt, accedit diminutio mediorum subsistentiae Cleri, illicium ad inferentia officia secularia, et effrons persecutio, quae toto coetui nostro infertur, cum impudentibus mendaciis, atris calumniis, ludibriis, sarcasmis, insultibus usque ad templa, processibus, mulctis, exiliis, carceribus, iis solum, qui in Ecclesia altiores dignitatis, et iurisdictionis gradus occupant, inflictis. Quapropter si quando resolutio sui ad ministerium Altaris, et amplexio vitae clericalis fuit actus abnegationis sui, id profecto hodie crevit in infinitum. Unde, si nobis sublata fuerit pro summo utique infortunio exilis facultas

Digitized by Google

salvandi a servitio militari paucos iuvenes valentes, bonos et probatos, quorsum reducetur numerus adiutorum nostrorum nunc, in primis post dissolutionem familiarum religiosarum?

Maiestas, supremum nationis bonum est moralitas, haec autem non aliunde procedit quam a Religione et salutifero influxu suorum ministrorum. Quid prodesset armata defensio in populo sine fide, sine moribus, in populo corrupto? Si eliminata fuerit institutio christiana, praedicatio evangelica, frequentatio Sacramentorum, cultus et timor Dei, poteritne vis armorum continere homines in suis obligationibus? Ipsa moralitas exercitus nonne est effectus publicae moralitatis, religione populi iudicata? Obsecramus itaque M. V. velit considerare, ad quam extremam corruptionem deveniret societas, si una ex parte succuterentur fulcra moralitatis, et ex altera viae malignitatis facilitarentur? Dolorosa pro nobis est haec confessio, quam nobis elicit ex ore evidentia factorum. Licentiosum prelum non respicit amplius personam, aut rem sacram, publica spectacula sunt impia et obscoena, domus infames apertae ad peccati securitatem. Impune blasphemantur Deus, B. Virgo et Sancti, et nemo froenat sacrilegas lingvas, s. imagines insultantur, Cruces evertuntur, Ecclesiae etiam consecratae publicis mercatibus profanantur, quin impedimenta ponerentur, ministri Dei usque ad Ecclesias, usque ad ministeria sanctuarium conscientiarum respicientia insectantur. Et quasi totum hoc parum foret, fit attentatum usque ad destructionem ministerii ecclesiastici. Cogitatio nostra confunditur, cor nostrum prae dolore rumpitur, dum considéramus, quod penes tantas, quas vix superficialiter attigimus, calamitates, defuturum sit cum sacerdotio, omne remedium, omnis reparatio. Quid erit ex populo christiano, si non venerit necessarius párvulorum institutor, consolator viduarum et pupillorum, quis alleviabit poenas et labores vitae praesentis cogitatione, et spe vitae futurae; quis absterget planctum affictorum, quis suggeret salutaria consilia dubitantibus, quis confortabit in ultimis vitae momentis morientes? Et si defuerint sacerdotes pro indigentiis gregum nostrorum, poteruntne existere generosi illi ministri Dei, qui spretis tener-

Digitized by Google

rimis, quae homini in terra supersunt, vinculis, coniiciunt se in medium populorum ferorum et barbarorum ad annunciandum eis verbum vitae, et recipiendam cum fide Christi humanae civilisationis sementem? Non exaggeramus, Maiestas, sed isti forent effectus infaustae legis; quae, dicere non sciremus, essetne plus nociva Ecclesiae, aut sociali consortio. Post haec, mirum non est, si nulla culta Europae natio, non exclusis iis bellicosissimis, ne tempore quidem maioris necessitatis virium armatarum, cogitavit unquam de simili lege. Erit ergo Italia, catholica Italia, quae primum datura est mundo exemplum adeo luctuosum? An hoc pro honore aut opprobrio patriae nostrae serviret, facile est iudicare, cui receptis exinde gravissimis damnis, nescimus, quale emolumentum dignitatis, aut potentiae accederet ex paucis centuriis individuorum seriei exercitus insertorum.

Oramus itaque M. V. quam enixissime, ut considerare dignetur omni cum maturitate ea, quae, ne longa ratiocinatione indiscreti simus, attigimus potius, quam recensuimus. Cessent tandem tantae leges, quae sibi continuo succedunt, semet erigunt, et accumulant pro damno Ecclesiae, damno, quod ab illo civilis societatis separari nequit. Speramus, quod reclamationes, protestationes nostrae, e sincero zelo, et strictissimo nobis incumbente obligamine voce adminus et scripto sacra Ecclesiae iura defendendi profectae, favorabiliorem sortiturae sint effectum, quam hactenus. Non permittat M. V. ut per decreta et ordinationes Augustum Eiusdem nomen in fronte gerentes, tribuletur et affligatur sanctissima illa Religio, quae, in Italia per Principes Apostolorum fundata, durat firma, et incorrupta, in patria carissima constituit thesaurum, pulcherrimum et vinculum unitatis gloriosissimum. Obsecramus, ut confringat vincula illa, quae ab uno fere lustro tantis modis constringunt libertatem sacrorum Pastorum in exercitio ministerii sui, e quo Ecclesia evolvere posset totum beneficum suum influxum. Nos gemimus vehementer non solum super damnis iam irrogatis, sed in summa constituimur anxietate et trepidatione ob illa adhuc graviora, quae nobis imminent. Si media temporalis subsistentiae continuo amplius succidantur usque ad ablationem remanentium adhuc Ecclesiae bono-

rum, quomodo providebitur necessariae ministrorum sustentationi, indigentiis pauperum, et decoro cultus divini? Si efficaci subsidio ordinum religiosorum ipso illo tempore privati exstiterimus, quo numerus Cleri secularis minuitur, quomodo respondebimus tantis spiritualibus gregum curae nostrae creditorum indigentiis? Si nefasta lex profanat Matrimonium et auctorisat civilem concubinatum, quomodo poterit agger opponi publicae immoralitati? Quis disordo, quae convulsio non est metuenda pro ipso civili consortio, succussa prima illius basi, christiana familiae ordinatione? Refugit animus noster a sola cogitatione tantarum calamitatum, et dum oramus Deum, ut eas a nobis elongatas tenere velit, una suspiramus, ut M. V. sana consilia instillet ad impediendam infaustam eorum effectuationem. Contestantes omnem debitum respectum a Deo imploramus super M. V. potens coelestis gratiae adiutorium. Die 1. Augusti 1864, festo S. Petri in vinculis. — L'Armonia. 1864. p. 836.

1653. Episcoporum Romaniolae ad Regem. Maiestas! Non sine gravissimo moerore venimus ad conspectum M. V. ad praesentandas novas reclamationes, novas querelas. Sed postquam in amaram redacti necessitatem repetendi cum magno Archi-Episcopo et Martyre Cantuariensi: Emergunt quotidie nova .... et regula Canonum a sorte Domini penitus exclusa, novis legibus subiiciuntur clerici, et pro voluntate laicae potestatis agitantur, supprimere debemus quemvis resensum, ne desimus officio nostro. Officium hoc nos stringit ad levandam vocem contra propositam per ministrum belli Cameris legem circa omnes Clericos servitio militari subiiciendos, eamque M. V. denunciandam, qua maximam Ecclesiae oppressionem, qua summum attentatum contra divinam illam libertatem, quam nobis Iesus Christus acquisivit sanguine suo. Ea effective maxima ponit obstacula vocationi Ecclesiasticae, et minuendo sensim sacerdotium, quantum in se est, eo tendit, ut in his regionibus annihiletur cultus patrum nostrorum. Contristati sumus, Maiestas, videndo, hac ratione Consiliarios Coronae continuo insidiari Religioni

Digitized by Google

illi, quae iuxta Statutum, per M. V. et illos iuramento firmatum est sola Religio Status, et revera talis est, sicut in monumentis, ita in conscientia et amore populi nostri. Ad iustificandam propositam legem duo praecipua argumenta sunt adducta: 1. aequalitas omnium civium coram lege, et oneribus Status, conformiter articulis 24 et 25 Statuti; 2. abolitio omnis privilegii. Quoad aequalitatem, verum fatendo, nescimus, qualiter potuerit pronunciari verbum hoc in medio tantarum legum exceptionalium et summe odiosarum, solos ecclesiasticos ferientium, et hodie iam sicut oves occisionis consideratorum. Sed praetermisso eo, respondemus primo, quod provocati articuli 24 et 25 Statuti, dependere debeant ab articulo eiusdem 1-o, non autem eidem anteponi, eumque paralysare. Articulus autem 1-us proclamando Religionem Catholicam Apostolicam Romanam pro Religione Status, non illam subiicit sive ministro sive Cameris, ut eam pro lubitu manumittant; sed eam ex adverso locat sub aegyde inviolabilis pacti, ut ab omnibus respiciatur in omnibus iuribus sibi ingenitis et propriis, super quibus civilis potestas nec habet, nec habere potest unquam quidpiam influxus. Inter sacrosancta haec illius iura est evidenter liber delectus et libera formatio Cleri sui, lex ergo quae ei id eripere attentat, praecise tendit, ut accommoda utamur phrasi, ad decapitandum Statutum. Respondemus loco secundo, quod supracitati duo articuli, dum absque omni falcidia alicuius civilis aut politicae aequalitatis reservant exceptiones per legem determinatas, non impediant exemtiones a servitio militari etiam alias, quae iuste manuteneantur. Si conservatio familiarum pro bono publico momentosa est, forsan conservatio sacerdotii non erit emolumentosa? Nunc descendimus ad retundendum secundum argumentum in medium adlatum: abolitionem privilegiorum. Privilegium presbyterorum nos melius ac quisquis alter noscimus. In eo illud consistit: seminare beneficia, frequentissime turpissimas ingratitudines metere, sollicitudine opprimi, seque sacrificare ad iuvandas animas et corpora, individua, societates, et proemium reportare odia, calumnias, feroces persecutiones. Privilegium, quod revera mundus nobis non invidet, imo indefesso studio adlaborabat omni tempore illud

pro nobis conservare, quo super de cetero pro nobis divinum supe rest exemplum a Deo-Homine his in terris relictum. Quantum vero ad exemtionem clericorum a servitio militari, istud nunquam fuit privilegium, aut favor eius gratia concessus. Imo vero, est ius, quod homini competit sequendi vocem Regis Regum,ad sua sancta ministeria vocantis; ius essentiale Ecclesiae deligendi et educandi suos Levitas. Insuper, cum Sacerdos pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, exemtio illius a terrena militia est ius, est necessitas socialis apud omnes gentes recognita. Unde manifestum fit, quod ius istud, necessitas ista pro sacris et inviolabilibus tenenda sint eo magis,quo pretiosiora sunt bona,ad quae tuenda,ecclesiastica hierarchia est destinata,fides scilicet ac moralis catholica. Qui sanctissimam Religionem nostram pro re individuali reputant,et politicam ab Evangelio separantes, veritatis et iustitiae aeternae normas a publico regimine eliminant, in sola vi brutali fulcrum reponentes, ii viam sternunt truculentissimae tyrannidi, populos christianos ad paganismum retrudunt, et versus illam catastrophen directe tendunt, quam M. V. rememorare opus non est. Ex alia parte, quale est illud augmentum exercitus, quod a M. V. per propositam abolitionem potest expectari? Officiosae Statisticae demonstrarunt, quod clerici dispensati a militia in toto regno per annos quatuor summam 1290 effecerint. Quid autem interest, an M. V. 300 militibus plures quotannis sub vexillis habeat? Ex adverso autem, si Ecclesia annue 300 sacerdotes amiserit, praevidere est, quod perseverántibus intra tam duros limites rebus, Clerus noster intra breve tempus deficiet. Quandoquidem omnis videt, quod vocatio ad sacerdotium hodie, de inscrutabili Dei iudicio non amplius manifestatur, quam in iuvenibus rusticae, et humilis originis, non valentibus se pecunia redimere a militia; quisque confitetur, quod generatim in numero deficiant; et in conspectu spoliationum, opprobriorum, omnis generis vexationum, quae ubique super Clerum adcumulantur, non potest non amplius adhuc de die in diem deficere. Abolere itaque nunc etiam exilem illam exemtionem, quae hactenus Clericis nostris a servitiis militaribus permissa fuit, idem foret, ac aditum praecludere ad Sanctuarium. Ad pensanda, quae hinc

Digitized by Google

derivarentur, materialia damna, ut plurimum pro maiori aggravio egenorum, deberet recursus fieri ad provisionem non minus infaustam. Quod igitur remedium, quae compensatio pro iactura morali ex insufficientia Cleri in populos profluxura? Forentne magis moratae, magis felices hae nostrae regiones, si rarefactis Ministris Salvatoris, parvuli in vanum peterent verbi Dei panem et praesidia ac robur sanctissimae fidei nostrae? Potest esse, quod recte istud intendatur et quaeratur per osores Ecclesiae, ut adeo cum invicto Archi-Episcopo Cantuariensi hic quoque dicere debeamus: „machinantibus, quomodo sub iuris obtentu et reverentia legis iustiam subiicere valeant, et Deum legitime impugnare.“ Sed M. V. demonstret, obsecramus, quod non in vanum habeat ius et obligationem negandi suam sanctionem legibus, quae ordinationibus divinis et bono populorum contrariae sunt. Talis est lex, contra quam apud M. V. reclamamus, talis et illa de suppressione ordinum religiosorum, de peculio ecclesiastico, de Matrimonio civili, quae nobis iam imminent, et adversus quas renovamus protestationes et querelas, praeterito Novembri ad M. V. directas. Non, Maiestas, non licet vigore donare leges tales. Si eas Ministri proponere, si Camerae adprobare possunt, cogitet, o Maiestas, quod ii non sint in statu futuri Eandem sive defendendi coram tribunali divino, sive impediendi ruinas, quas sociali consortio illaturae sunt. In Augusto 1864. — L'Armonia. 1864. p. 852.

1654—1657.

Reclamationes Episcoporum contra legum proiecta de abolendis Ordinibus Religiosis, et bonis eccles. confiscandis. 1864. 1865.

1654. Epporum Subalpino-Liguriensium ad Regem. 1864. Dum Episcopi antiquarum provinciarum ad Parlamentum nationale reclamarunt contra proiectum legis 29 Maii 1855 sanctionatum, non praeviderunt eotum, quod

Digitized by Google

aliud foret proponendum, omnibus illis funestis characteribus praeditum, quos in illo deplorarunt. Tale reipsa est proiectum per Ministrum gratiae et iustitiae Camerae repraesentantium usque 18. Ianuarii postremo evoluti praesentatum, contra quod urgemur levare vocem, ut imponit nobis officium nostrum, Episcoporum Ecclesiae Dei. Est affectus Pastorum et Patrum populorum nostrorum. Nefas nobis est, quisquis sit huius officii exitus, silere in conspectu violationis manifestissimae, — quae eveniret, si proiectum abiret in legem, — omnis sacratioris iuris. Proiectum illud extra quaestionem ponit, quod sit competentiae potestatis civilis disponere de Ordinum religiosorum bonis, et omni alio instituto ecclesiastico, quod idem est, ac dicere Statum esse dominum absolutum. Et hoc inde deducit, quia in potestate Status situm est sufferre qualitatem entium moralium, a lege recognitorum, ad omnem scrupulum dissipandum adiiciendo, quod „supremae exigentiae consortii civilis non possint subordinari vano timori offendendarum rationum certorum entium, quae existentiam suam a Statu repetendo, non possunt opponere Statui ius absolutum.“ Idgenus principia offendunt omnem rationem naturalem, socialem, divinam, ecclesiasticam et civilem, adeo, ut eorum falsitas evidenter appareat omni bono sensui etiam maxime vulgari. Incipiendo ab Ordinibus religiosis: in virtute ipsius iuris associationis situm est quod radices suas habeat in hominis indole, effective in Statu exurgentes; quae societates licite et legitime existentes sicut ius habent praetendendi ut recognoscantur, sic etiam ius habent proprietatis, nihil repugnando, quod istud sit inhaerens plus societati, quam individuo. Istud est illud ius, vigore cuius sunt firma moralia entia, lege quippe naturae et iure absoluto, non autem relativo, aut privilegio; quae Status recognoscere et protegere debet: „Redeundo ad principium legislationis, dicebat celeber Siegés in Conventu nationali Galliae 1789, securitas omnis proprietatis invenitur in omni legislatione. Quomodo ergo posset illam legislator mihi eripere, postquam illam protegere debet.“ Legalisatio quam civilis potestas relate ad existentiam Ordinum religiosorum et similium entium adhibitis determinatis formis facit, est modus recognitionis eorumdem

iuris, esset ergo opprobrium rationi et bono sensui actum obligativum in instrumentum confiscationis propriorum aliis beneficiorum convertere. Deplorabilis haec inventio, infaustis temporibus digna, quibus sophistica iurisprudentia cavillos suos tradebat servitio praepotentiae, et tyrannidis, in casu nostro summe inhumana foret. Praescindendo enim a violatione iuris naturalis, et considerando uno solum momento, quod ius in forma legis positivae acquisitum, tribuat existentiam iuridicam, qua iustitia possent eo privari entia actualiter recognita? Quae est illa culpa, ob quam talem mereantur poenam? In quo codice stat scripta haec mortis poena? Ipsa id videt Maiestas, quodsi rationes hae non essent sufficienter firmae ad impediendam tantam iniuriam, inutile foret provocare ad art. 25 vigentis Codicis civilis, quo dicitur Ecclesiam et corpora moralia considerari tamquam personas iuribus civilibus gaudentes; ad art. 24 Statuti omnes regnicolas coram lege aequales recognoscentem; ad 26, libertatem individualem asserentem, ad 29, omnes proprietates sine exceptione inviolabiles declarantem. In quantum sunt formales et clarissimae hae dispositiones, in quantum sunt conformes dictamini iustitiae naturalis, in tantum eas alia vice conculcatas, deformatas, et iuxta beneplacitum potestatis intellectas conspicimus. Ad attenuandam iniustitiam spoliationis Ordinum religiosorum, in proiecto comparentem, dicitur, „quod hi non sint cum constitutione Ecclesiae catholicae intrinsece nexi, et possint esse aut non esse, quin eadem aliquod patiatur detrimentum; quod in societate, ut hodie existit, Ordinibus religiosis nec locus conveniens possit assignari, nec agendorum sphaera; quod maior pars domuum religiosarum sit in aperta contradictione cum indigentiis, propensionibus, et statu oeconomico horum temporum; quod antiquo favori, quo gaudebant, successerit apathia, quae multis in locis in aversionem et contemtum degeneravit; quod dubium nullum supersit, maioritatis nationis votum esse, ut obex ponatur perdurationi et dilatationi Ordinum religiosorum.“ Nemo dicet Ordines religiosos cum constitutione Ecclesiae intrinsece esse nexos, sed et nemo poterit negare, quod cum illa intimo iungantur nexu, et sunt pars illius utilissima. Sufficiet tantillum

Digitized by Google

respicere ad historiam antiquam, et contemporaneam, ut convincamur, quod spontanea regeneratio e vita ambitiosa, succrescentia novitiorum in despectum violentiarum revolutionis, et hypocriticae persecutionis per nonnulla gubernia, clare ostendant, existentiam eorum respondere indigentiis societatis christianae. In qua historia, speciatim contemporanea, mille factis retunduntur praerecensitae assertiones. Et istud nos dispensat, a defensione alias facili, ab adducendis testimoniis et argumentis, quae nobis suppeditarent opera doctissimorum inter Catholicos et heterodoxos virorum. Volumus saltem provocare ad factum 50 mille subscriptionum, quae occurrunt in petitione contra proiectum, 29. Maii 1855 in legem elevatum. Qui cominus noscunt populum nostrum, per relationes officiosas id quod superior desiderat asserere solitas necdum in transversum acti, non credunt imminutum esse numerum eorum, qui Ordinibus religiosis affecti sunt. Sunt igitur consveti praetextus, per fortes adhiberi soliti ad opprimendum debilem, vagae accusationes e contradictionibus non paucis, et falsitate in proiecto legis latente, erutae.

Iisdem sophismatibus innititur argumentatio respectu aliorum Ecclesiae institutorum, faciens Statum bonorum illius dominum, quae sub generica denominatione bonorum ecclesiasticorum universa comprehenduntur. Post manifestatam nobis huiusmodi absurditatem, praenotamus qualiter deducendo consequentias illius doctrinae, vi cuius gubernium Statui attribuit potestatem continuo maiorem pro emolumento, utdicitur, praesentium et futurarum generationum, iuxta filum logicae omnia sacratiora civium iura absorberentur. Non est proinde mirum, quod positive asseratur, alias non occurrere obiectiones, nisi auctoritas iuris canonici in medium proferatur, ast mox subiungitur, per hanc limitari non posse legislatorem. Et quibus argumentis se subducit valori tantae auctoritatis? Quomodo potest eludere praescriptiones iuris canonici adeo claras, utpote in iure naturali, in iure divino fundatas, et sub terribilibus poenis spiritualibus sanctionatas? Res sane mirabilis! Adductis violationis anterioris praedictarum praescriptionum exemplis, usurpatio transformatur in ius. Reipsa portentosam hanc mutationem, iuxta proiectum,

produxerunt principia per iurisperitos sustentata, mox ac ratio civilis a canonica semet emancipavit, sed vel maxime, dum post seculum XVI. transplantata fuissent in legislationes omnium Statuum catholicorum; hinc leges illae, in variis Italiae Statibus post dimidium seculi prioris publicatae, et signanter illae in regno Subalpino post 1848 promulgatae, e quibus citare sufficiat legem de 29 Maii 1855, et decreta de exercitio praerogativae regii placeti, et exequatur. Dispositiones iuris canonici, dicitur porro, non possunt praevalere post ingentes mutationes in omni ordine sociali inductas, quarum loco iura Status facta sunt basis novi ordinis, quibus Ecclesia in externis suis relationibus, velut normis iuris communis se accommodare debet. Ad tales propositiones, adeo libere pronunciatas, in hac temporum luce, in quo, sint gratiae progressibus rationis civilis, reciproca iura Ecclesiae et Status rite sunt determinata, secundum eorum indolem et fines, homo obstupescit, quod scilicet auctor proiecti, quin observet, regressivo idgenus passu nos reducat ad periodum obscuram, et confusam medii aevi, et Ecclesiam Catholicam ponat ad conditionem illorum servorum, qui omni proprietate spoliati, et arbitrio subiecti, dicebantur divisibiles ad misericordiam despotici domini. Non observat ille, quod duae hae societates ecclesiastica et civilis sint ab invicem distinctae, constituentes duas personas iuridicas, et in suo genere supremas, ita, ut iura unius, adeoque etiam proprietas non possint attrectari per aliam. Ecclesia ut coelum respiciat, peregrinatur tamen cum filiis suis super terra. Illa est ex indole sua spiritualis, et non desiderat,secundum citatam in proiecto cogitationem,quam libertatem transitus; sed in hac peregrinatione, quam benefica haec viatrix peragit manuducendo homines ad aeternam salutem, non potest semet subtrahere a constitutiva lege mundi praesentis, quae est consociatio elementi coelestis cum terrestri, habet opus mediis materialibus pro splendore cultus divini, sustentatione suorum ministrorum, succolatione pauperum a Iesu Christo sibi creditorum. Itaque ut societas religiosa et legitima, e ratione finis sui, innatum habet ius naturale possidendi bona, qualia sua membra, liberi cives eidem contulerunt ad exercendum suum sanctum ministerium, et

Digitized by Google

consequendum sublimem finem. Repetendo porro a principio, Statu superiore, personalem et iuridicam existentiam suam, ius suum proprietatis, quod in suis incunabulis in persona Apostolorum suam habet basin, appodiat Evangelio, omni tempore ut haereticos condemnando illos, qui assererent lege evangelica prohiberi possessionem aut omnibus christianis, aut saltem ecclesiasticis. Soliditas horum argumentorum, in favorem Ecclesiae ius absolutum stabilientium, nunquam poterit logice everti principiis, quae iurisperitis ratio illa civilis inspirabat, quae se, iuxta expressionem proiecti, a canonica emancipavit; seu absque aequivocatione in specie facti loquendo, se emancipavit a quinto praecepto Legis Divinae. Noscimus nos historiam seculi XVI. ac tendentias despotarum et leguleorum, qui tentarunt spoliationes cohonestare omni solemnitate formarum legalium. Sed, si principia iurisperitorum possunt delere principia iusti et honesti, si potentia potest evertere ius, si legalitas instificat rapinas, si praevaricatio legis unius excusat aliam, eotum confitebimur, quod citationes factorum in proiecto attactorum, quae deploramus, argumenta sint invincibilia. Sed et perspicimus, quod cum omnipotentia decretorum, quae Minister pro lubitu multiplicare potest, praecedentibus adeo commodis et efficacibus adiiciendorum,eo sumus deventuri, ut stabiliatur, neminem civium aliud possidere ius, quam se spoliari sinere. Ast Ecclesia, aeterna custos principiorum iusti et honesti, quae sunt immutabilia, ad huiusmodi theorias non accedit, etiamsi a magno legislatorum numero recipiantur, ut in Conventu Nationali Galliae 1789, aut per potentiam unius autocratae, ut in Patentalibus (Ukaz) 6. Ianuarii 1842 Nicolai, qui bona ecclesiastica in infelici catholica Polonia confiscavit. Ea in Concilio Tridentino sanxit ius sibi competens possidendi et administrandi, excommunicationem vibrando in eos, qui eius proprietatem usurpant, etiamsi Principes fuerint, sub qualicunque praetextu, et quacunque arte, aut impediunt, ne perveniant ad manus eorum ad quos spectant.

Nec cogitatio, nec facta Ecclesiae postremis his temporibus discordabant ab enunciatis principiis, ideo vehementer errat auctor proiecti, dum ad probandum contrarium facta

Digitized by Google

nonnulla adducit, quae referimus propriis eius verbis, nempe: „Conventiones illas, ad quas diversis temporibus suprema auctoritas ecclesiastica condescendit cum principibus et guberniis catholicis, e quibus citare sufficiet Concordata a Pio VII. 1801 cum Republica Gallica, et 1803 cum Republica Italica, in quorum posteriori (iuvat e pluribus rationibus rememorare) ratificatae sunt et convalidatae dispositiones per potestatem civilem super bonis ecclesiasticis factae, in ipsis legationibus, quae miti illi Pontifici resignabantur, quin iracundas interposuisset protestationes adversus consensum, quod efformaverint partem novi Status Italici.“ Sufficiet consulere acta Pontificis in hac manca citatione indicata, et redire ad historiam, ut purgentur a condemnatione proiecti. Pius VII in Concordato cum Republica Gallica inito declaravit: „quod nec ipse, nec sui successores ulla ratione sint molestaturi eos, qui alienata bona ecclesiastica acquisiverunt, et per consequens quod proprietas eorundem bonorum, iura et reditus cum eis connexa immutabiliter sint permansura in manibus eorum, aut qui habuerint ius ad illa.“ Sed per id, ob bonum pacis, et felicem restaurationem religionis catholicae, ut ibi dicitur, post tantam desolationem et convulsionem, indulgentia ad extremum fuit perducta, attamen nunquam potuisset induci ad sanciendum hoc capitulum, si istud significasset recognitionem iuris proprietatis in acquisitoribus. Iuxta expressiones, et earum in dicto capite contextum non erat id aliud, quam sequela condonationis in promissione non molestandi possessores, implicite comprehensae. Idipsum dici debet de Concordato cum Republica Italica, in quo conceptus articuli 16 est identicus cum 13. gallico. Ex asserto, quod iuxta proiectum Pius VII. consenserit, ut legationes partem constituant Status Italici, nunquam poterit legitimum duci argumentum ad stabiliendum, quod Pontifex adprobaverit usurpationem. Praedecessori suo per tractatum Tolentinum ereptae, et in arbitrio victoris existentes fuissent et tunc et deinceps intempestivum obiectum inutilium protestationum. Quam zelosus et fortis defensor fuerit iurium S. Sedis, apparet ex querelis consuli Napoleoni ob articulos organicos, queis illegaliter comitabatur publicationem Concordati, propositis;

Digitized by Google

e reclamationibus contra articulos, pari legalitate, Concordato Italico adiunctos; ex solemnissima protestatione contra decretum Imperatoris Napoleonis, quo provincias Marcarum, et Anconae regno Italico aggregavit. Hi fortitudinis actus, quos, quin mitis esse desiisset, exeruit, Pontifex Pius VII. inermis, minis circumdatus, oppressus, ostendunt, quod Ecclesia, benigna Mater condescendat ad exigentiam mutatorum temporum, si id deposcant indigentiae populorum, est tamen inflexibilis tunc, dum agitur de principiis religionis et iustitiae. — Inconsideratus itaque fuit proiecti auctor in citandis duobus Concordatis, et speciatim posteriore cum Republica Italica, quod pluribus ex motivis memorare necessum erat; cum in eo reperiatur condemnatio suarum theoriarum. „Non fiet ulla fundationum ecclesiasticarum suppressio, qualescunque sint, sine interventu Sedis Apostolicae.“ Aut doctrina capitalis proiecti, qua derivat a Statu facultatem possidendi entibus moralibus, est falsa; aut provocatio ad Concordatum, in quo relatus articulus continetur, est suicidium propriis armis consummatum.

Restaret adhuc examinare adplicationem proiectatae legis, sed hic novitus impingimus in principia, quae praevalere facerent arbitrium Status inviolabilitati iuris, proprium lucrum iustitiae; idque nomine sacrarum doctrinarum oeconomicarum, ad magis securisandam proprietatem, ad consolationem Clero laboranti tribuendam, ad magis effectuandum principium separationis Ecclesiae a Statu. „Ius proprietatis, dicit proiectum, certe comprehendit valorem et formam, quam assumit; sed secundum hoc elementum — nullum habet momentum pro eo, qui mutabiliter repraesentat iura proprietatis, quae ex ipsa indole eiusmodi proprietatis limitantur in usu et administratione correspondentis reditus.“ Hinc concluditur fas esse absque violatione iuris, bona immobilia peculium ecclesiasticum efformantia convertere in reditus debiti Status, funduales, aut emphyteuticos. Et dein adhuc enunciatur: Nemo dubitat iuri proprietatis plenum deberi respectum. Sed respectus iste proprietatis significat, quod sit inattrectabilis in suo valore et sua forma; significat, ut sit apud proprietarium vera possessio, libera administratio et inte-

Digitized by Google

gra fructuum perceptio. Conceptus proprietatis, laicalis aut sacrae, individualis aut collectivae est proprium. Nulla subtilitas potest efficere, ut meum sit alterius; idque e dictamine scientiae rationis non minus, quam sensus communis. Est itaque laesio iuris Ecclesiae competentis, efformatio peculii ecclesiastici. Est iniustitia, eam privare administratione suorum bonorum, sicut est excessus contra eius dignitatem, acsi esset mente capta, aut stupida, dum ei curator constituitur. Est latrocinium creatio fundi specialis pro cultu, quod resultat ex ereptis legitimo possessori proventibus, ut dentur alteri. Est vera spoliatio enorme tributum, quo mensae episcopales et alia entia ecclesiastica gravantur; est insultatio principii aequalitatis civium in oneribus et iuribus. Est contradictio, si non mendacium, dicere, quod efformatione fundi specialis pro cultu, sibi Status non adpropriet bona, et non retrahat proventus a primitiva destinatione; dum affirmatur, quod sint alleviaturi bilancem Status duobus incirca millionibus, et deservient ad efficaciter succolandas publicae utilitatis operas. Est illusio sperare melioration em oeconomicae parochorum sortis in genere, et si deessent argumenta in proiecto ad conclusionem contrariam, est ibi argumentum facti in peculio ecclesiastico. Certum autem est sortem non paucorum necessario deteriorandam per legem propositam, quae abolet decimas. Est irrisio affirmare, quod per proiectatam legem salvetur independentia Cleri. Adhuc credi posset illa possibilitas, quod specialis fundus pro cultu sit abstractus ab omni ingestione, et vigilantia gubernativa, quod parum credibile est, qualem vero independentiam sperabit, qui quotidie vinculatur per regia exequatur, et placeta regia aliasque catenas, et qui carum pretium solvere debet persecutionibus politiae, processibus, muletis, incarceratione ob actus etiam stricte spirituales ministerii sui; qui ius habet ad libertatem adminus tantam, quanta gaudent haeretici, schismatici, apostatae, qui tantas scandalisant conscientias, tantas perturbant familias, religiosum in regionibus ordinem pervertunt, cuius pacifica possessio ut manuteneatur, cives praetendendi iure gaudent. Est hypocrisis dementare, quod civilis potestas non sit competens ad abolendos Ordines religiosos, iis interea subtrahendo

Digitized by Google

qualitatem entium legalium, appropriando sibi eorum bona, eorum domos, ut non habeant existentiae media. Et quare non imitatur gubernium, quod in tractatu Tigurino scivit respectare iura Ordinum religiosorum, potius, quam ex pulveribus eruere antiliberales dispositiones, quarum nonnullae obiectum suppeditarunt risus uni e celebrioribus suis coriphaeis?

Hactenus loquebamur, Maiestas, circa iniquitatem huius proiecti, et iam a nunc praevidemus funestissimos illius effectus. Vexationes omnis generis contra ecclesiasticos, afflictiones eorum, religiosorum et religiosarum erunt obiectum condolentiae et indignationis populorum; notum enim est, quod causa eorum infortunii fuerit possessio bonorum, quibus sunt iniuste spoliati. Audivit Maiestas ipsa, quod pauperes in Statu enormi contributione gravato iam numerosi multiplicarentur in infinitum, privati eleemosynis mensarum Episcopalium et beneficiorum, quorum proventus in eos impendebantur; imo audivit, inde originem sumsisse et propagatum fuisse pauperismum, gravissimam plagam schismaticae Angliae. Maiestas, non sufficit adhuc cumulus malorum, super miseram hanc Italiam aggravatorum, ubi Ecclesia gemere debet sub exilio plus quam sexaginta Episcoporum, sub persecutione contra totum Clerum concitata, imo contra omnes christianos, sub servitute sancti ministerii? Infrascripti, Maiestas, Apostolica cum libertate loquuntur, obligati ut sunt ad praestandum Eidem homagium, subiectionem et obedientiam, non ex timore, sed sicut omnibus subditis praecipit Dominus propter conscientiam; assueti in Augusta Eiusdem Persona honorare Descendentem Dynastiae, quae tam gloriosa reliquit exempla pietatis et affectus erga Ecclesiam. Forte non erit possibile removere tanta suspiria ob legem pestiferam nobis intentatam, quae nec ephemerum quidem allatura est financiis Status remedium, expressa? Annon datur medium, quo indigentiis eiusdem provideatur, tantis vicibus cum fructu per praecessores Eiusdem adhibitum, recursus ad S. Sedem? Infrascripti sunt M. V. qua meticulosi, exaggeratores, Gubernio adversi, descripti, nimia videbitur libertas suarum remonstrationum, nec eis tribuetur fides; sed auctoritas eorum verbi posset forte salvare patriam a gravi infortunio. Quidquid tamen eveniat,

Digitized by Google

ii erunt contenti adimplevisse suum officium, et satisfecisse exigentiis sui affectus erga populos, obiectum pastoralium suarum curarum; reputarent se indignos Apostolorum successores, si minis malorum a Iesu Christo ipsis assignatorum, qua distinctivi signi sectatorum veritatis suae, qua haereditatis et proemii missionis suae, deterrerentur. Ipsi scient se consolari pro omni eventu, reflectendo ad certitudinem triumphi Ecclesiae, super illam petram fundatae, contra quam omnis altitudo extollitur, quae voluntarie sibi proposuit eam succutere. — Mense Novembri 1864. — L'Armonia. 1864. p. 1087.

1655. Episcoporum Provinciae ecclesiasticae Vercellensis ad Regem. 1864. Maiestas! Episcopatus italicus summo cum dolore e publicis foliis intellexit, quod in proiecto existat propositio legis, urgenter discutienda, et Parlamento praesentata pro generali suppressione Corporationum religiosarum, et confiscatione proprietatum ecclesiasticarum, et iam maiori ex parte consignarunt ad Thronum M. V. voces debitae lamentationis, et amarissimae desolationis suae. Amplissimus clamor iste, qui procedit ex corde non saltem totius Cleri, sed etiam piorum fidelium et honestorum cuiuscunque cultus hominum, magnum facit echo, Maiestas! et infrascripti Episcopi et Vicarii Capitulares ecclesiasticae provinciae Vercellensis, adhaerent protestationibus et reclamationibus S. Patris Papae Pii IX. feliciter regnantis, et veneratorum suorum collegarum catholicae Italiae, variis annis publicatis adversus atroces violationes iurium Ecclesiae Dei. Non repetemus hic argumenta et inconcussa facta adoptata per Rssmos Praelatos, et postremis his temporibus per prelum religiosum, decursu seculorum per infallibile oraculum Summorum Pontificum, supremorum populi christiani magistrorum proclamata, et collecta in libris, qui possunt classici nominari pro defensa et commendatione sacrorum institutorum et bonorum ecclesiasticorum. Supervenit experientia ad confirmandum totum hoc apud multas alias nationes, ubi vidimus, quod dissolutio religiosorum claustrorum et sacrarum proprietatum S. Ecclesiae, non solum nihil produxit pro emolumento

Digitized by Google

Religionis et humanae societatis, sed potius immensum et horribilem pauperismum; praeterea Status, qui impinguationem sui exinde speraverunt, redditi sunt miserrimi; taxae et tributa, quae imminuta voluerunt, crevere in infinitum, et dum populis ingenerata est fanatica agitatio, ipsi vitae civili et domesticae admodum funesta, non remansit aliud, quam momentanea utilitas paucorum avidorum speculatorum sine conscientia, qui ipsi etiam cum suis familiis divina maledictione percussi, ob excommunicationes Ecclesiae semper pro tempore et aeternitate tremendas, tristissimum sortiti sunt finem. Moralitas autem publica et privata minuitur cum progressivo incremento omnis generis delictorum antea nequidem auditorum, et bonae animae attritae gemunt ob incessantes maioris ruinae minas. Disperdat misericors Deus crudelia malevolorum consilia, elonget terribile istud flagellum a cara nostra Italia, adeo secus prospera, ut saltem esse potest in mortali peregrinatione, sub paterno regimine suorum catholicorum Principum; nec velit permittere unquam, ut Augustus Filius piissimae Regiae Domus Sabaudicae in historia Italiae notetur inter destructores operum insignium tantarum beneficarum generationum, quae tam valide ornaverunt patriam, providendo Ecclesiam et populos inexhaustis thesauris pro sublevamine egestatis et infortunii, ac incremento verae perfectionis christianae, et civilis. Supplicamus M. V. dignetur considerare, an post infaustas probas praeteritorum temporum tolerari adhuc debeant obstinati Ecclesiae hostes, qui sunt vere perpetui inimici Regis omnis principatus sive ecclesiastici sive civilis, et vero emolumento populorum infesti, ut super Italia, super terra ista Deo Praedilecta, quam mirabili modo multis vicibus praesalvavit ab insatiabilibus revolutionibus et a rapacibus manibus exterorum praedonum, — ut inquam probas illas barbara prorsus ratione porro instituant: praesumentes adhuc cum inverecunda hypocrisi dicere, se id facere pro melioratione conditionis Cleri, sibique dein contradicentes cum accusando, quod defendat sua bona et sacras fundationes, per eundem ipsum maxima in parte factas e causa solius egoistici amoris sui ipsius! Sic impii illi et ingratissimi calumniam et insultationem adiungunt spoliationi victimarum; sed tantorum seculorum

Digitized by Google

opera denudant crudeles eorum accusationes, et Deo sint laudes, vix est tam degener sensus, qui nobis e pectore eripiat altos nostros clamores. Id autem est pro immenso animarum damno, quod nobis minatur infaustum proiectum; est autem horrendum exterminium benemeritarum familiarum religiosarum utriusque sexus, apud quas institutionem et educationem nacti sunt iuvenes; dulce refugium senes, consolationem afflicti, materialem et spiritualem succursum tribulati, virtutum exempla et laborem artifices, et ad quas omnis generis necessitate pressi omni momento confidenter recurrunt, qui tamen maiorem portionem generis humani constituunt. Est eversio Religionis, quam tentant et sperant sclavi et amici omnium vitiorum, prout id demonstrarunt operibus et scriptis centum annorum, et prout id tandem detracta larva proclamarunt; est irreparabilis perditio, quam post multorum seculorum sacrificia intra breve tempus experietur patria, quam ad idololatriam passionum, indifferentiam religiosam, et paganismum antiquo deteriorem reducere adnituntur. Est maledictio, quae in nos a practeritis generationibus descendet ob dilapidationem substantiae donatae Deo et pauperibus in respectivis regionibus, et a generationibus futuris ob defraudationem iurium suorum in easdem substantias, et in modum per sacram voluntatem venerandorum suorum antenatorum stabilitum; est desolatorium praesagium, imo proxima realitas! pauperis et miseri Cleri salarisati in medio immensarum indigentiarum populi, qui eum parum aestimabunt penes abundantes et opulentas phalanges ministrorum inferni; istud est, quod nos plorare facit sanguineas lacrymas ad propositas suppressiones et iniquas dilapidationes. Non foret conveniens, Maiestas, longiorem texere discursum, postquam nunc iam implevimus sacrum nostrum debitum respectu Regis et patriae, Ecclesiae et populorum gravissimum, Eandem orando et obsecrando nomine Dei, cui omnes reddituri sumus de operibus nostris rationes, nomine omnium legum naturalium et humanarum, religiosarum et civilium, quas omnes mundi nationes respiciunt, et defendendo Ecclesiam ipsam, communem nostram matrem coram regali Eiusdem trono: sed quia humilis hic recursus etiam ad publicitatem destinatus est propter nostram

Digitized by Google

iustificationem praesentem et futuram in memoria posterorum nostrorum, et Annalibus ecclesiasticis ac secularibus, utilisque esse potest veris catholicis, qui libenter audiunt vocem divinorum Pastorum, et nonnullis deceptis, quia deceptores sunt innumeri, — adnectimus aliquot verba contra inhonorantem assertionem Vestri Ministri, quod nempe praevium proiectum sit indicatum inter vota magnae pluralitatis nationis. Non, Maiestas, vestri fideles subditi, inter quos vivimus, non obstante potenti labore Satanae, eiusque servorum pro diffusione immoralitatis, necdum apostatarunt a divina fide suorum maiorum, nec sunt adhuc corrupto adeo corde, ut aversentur bonos suos Sacerdotes, qui sunt magnum Dei donum, aut venerabiles religiosos, a quibus pretiosissimas consequuntur coeli et terrae gratias, aut sacras Virgines, sancta Ecclesiae Catholicae instituta, queis pro posse tribuunt adiutoria, fiduciam, affectum, aestimationem, ipsos filios, propriamque animam concredunt in vita et in morte lucrifaciendam Deo; et magna maioritas nationis a multis annis nisi pacem desiderat, iustitiam, respectum pro omnibus, et bonum exemplum, honestatem in gubernio et in privatis; nisi sub nomine nationis intelligi intendatur, o Maiestas! cohors maxime virulentorum et iuratorum Religionis et ipsius vestri throni hostium, mirum enim haud foret, si infaustis his ruinosarum agitationum temporibus pro summo et vere nationali infortunio invaserunt etiam istud dilectum italicum solum. Qui, dum inconcinno et potenti suo clamore suffocant voces et protestationes sapientissimorum, et maxime sincerorum catholicorum, qua maxime devoti et legales vestri subditi, ipsi soli praetendunt repraesentare opinionem publicam, cuius tamen non sunt nisi falsificatores et tyranni. Quantum ad veram magnam maioritatem Italorum, sicut perdurat semper, Deo laudes, in antiquo et profundo amore catholicae fidei, cuius, non obstantibus quibusvis insidiosis hostium machinationibus, quotidie solemnissimas et solatiosas suppeditat probas; sic demonstrat, ab ea adminus non attrectari veneranda illa et salutaria instituta, quae alii cuperent deleta, et quae naturale et spontaneum germen, pulcherrimum et pretiosissimum ipsius sanctissimae fidei constituunt. Quomodo igitur posset adhuc maioritas Ita-

Digitized by Google

licae gentis desiderare adprobationem Camerarum, et sanctionem M. V. pro infelici illo proiecto, cuius nuda propositio animum eius summa affecit consternatione, faciat vota coelis, Parlamento, et Vobis; vota, quorum pro ecclesiastica ista provincia nos legitimos repraesentantes reputamus, ut oriatur tandem aurora suspirati illius diei, quo omnes sanctae institutiones Ecclesiae, filiorumque eius sint et maneant, ut sunt positae, ut Statutum et civilis Codex, iustitia et ius reclamant, sub tutela et securitate sapientium legum, sub quarum umbra, ut in praeterito, possunt semper florere et crescere ad gloriam Religionis, decorum et subsidium pietatis, promotionem omnis civilis et bene intellecti veracis progressus, non secus ad stabilem prosperitatem et magnitudinem M. V. R. et regalis Familiae. — 25. Novembris 1864. — L' Armonia. 1864. p. 1140.

1656. Praesulum Hetruriae ad Regem. 1864. Nolit vitio vertere nobis Maj. Vestra thronum Eiusdem iterum reverenter accedentes, clamorem terroris emittamus in conspectu trium factorum; quae dolore complebunt patriam nostram, quaeve sunt: concubinatus lege sancitus, suppressio Ordinum Religiosorum, et destructio patrimonii Ecclesiae et pauperum.*) — Per secundam harum legum contemnetur et laedetur exercitium maxime sublimium Christianismi virtutum, per tertiam pia haereditas, quam patres nostri cultui divino et sublevamini pauperum obtulerunt, ad voraginem debitorum Status proiicietur, cum sacrilegio, quod illud perpetrantibus nonnisi indesinentem ruinam fructificabit. — Gubernium Maj. Vestrae de innocentia et sanctitate societatum Murariorum, acatholicorum et democraticorum convictum, existentiam illarum defendere, liberam propagationem promovere, ac iisdem quaqua ratione favere gestit. Ast de coenobitis utriusque sexus mundo acclamat: hos esse inane pondus, quo societas liberari debet; aridas arbores, ad quarum radices securis po-

*) De matrimonio civili sonans passus praesente loco per nos exmittitur, cum alibi (in Monum. de Matr.) exhibeatur.

Digitized by Google

nenda est, obsoletas reliquias barbarorum temporum, atque eapropter dispergendas. Frustra illi demonstratum fuit: praetextum inutilitatis Ordinum Religiosorum frivolum, iniurium et inhonestum esse; homines maxime sublimem virtutem profitentes, sedulosque adiutores in evangelico ministerio, ubivis locorum, omnique tempore, cumprimis autem temporibus et in locis depravatissimis plurimum necessarios esse; atque hos pios monachos vi patriarum legum ius liberae associationis habere. Frustra, praelucente Historia, evictum fuit: Gubernium per hoc propositum suppressionis, praeter iniustitiam, inane quoque opus suscepturum; nam cum regulares familiae per longam seculorum seriem semper et ubique comparuerint, et post seculares luctas, atque multiplices persecutiones constanter resurrexisse visi sint; ex hac continua eorundem apparitione concludi debet: per asceteria et claustra nonnisi magnae cuidam religiosae ac sociali indigentiae satisfieri. Sed omnia vana fuerunt; nam Gubernio firmum fixumque est, hoc grande institutum monasticum, cui Europa civilisationem, culturam, artes, literas et scientias debet, spreta sanctitate iuris, vi argumentorum et doctrina Historiae, supprimere. Interea hi pauperes coenobitae, hac Deo sacratae Virgines, sublime spectaculum abnegationis et sacrificii, in sua desolatione amaras profundunt lacrymas, sed lacrymas, quae, o Clem. Rex! a Divina Iustitia colliguntur! Adhuc semel, animo dolore vehementer commoto, fervidissimis atque humillimis precibus supplicamus MVrae: ut has solitudines, repagula electarum virtutum, et a Deo privilegiatarum animarum ab huiusmodi eversione et ruina praeservare dignetur. Denique, utut inviti, protestari debemus contra aliam, non minus gravem iniustitiam, quae, ut nobis constat, nomine MVrae consumari deberet, videlicet contra totalem direptionem patrimonii Ecclesiae. Diximus, nos admodum aegre hoc thema attingere; etenim apprime scimus, qualibus cum malignis suspicionibus acceptari sueverit vindicatio iuris nostri in hoc obiecto, et quali cum asperitate formae, atque despectu respondeatur nobis ab illis, qui cunctos homines sua habendi cupiditate commaculatos supponunt. Nos quidem Eppi catholicae Ecclesiae, et discipuli Calvariae palam profitemur:

Digitized by Google

nos paupertatem non horrere; cum sciamus, quantum meritum quantave vis eidem insit; et, si isthic non ageretur de sacrilega iniustitia contra Ecclesiam, et contra pauperes Christi, sed solum de privato nostro commodo, nos non fuissemus tantopere commoti, et ne quidem verbum protulissemus in conspectu Mattis Vrae. Omnibus spoliati, memores nuditatis Crucifixi, ad casas filiorum nostrorum confugissemus, et assidentes pauperibus illorum mensis, panem charitatis manducassemus, quem antea nos ipsis frangebamus, quemve certe non denegassent Patribus animarum suarum! Verum tamen Gubernium Mattis Vrae generalem usurpationem bonorum, non nostrorum, sed Ecclesiae sibi proposuit; spoliationem, quam nonnisi ferocissimae et truculentae revolutiones, inter convulsiones civilis consortii, cum negatione maxime inviolabilium principiorum, atque in medio horroris nationum inultarum praesuscipere audent. In praesentia harum minarum, indulgeat MVra, ut quivis nostrum Eisdem repetat verba S. Ambrosii, de violatione iurium Ecclesiae dicentis: „Si Imperator voluerit res meas: tollat pro lubitu meum patrimonium, meam personam, meam vitam. Non petam, ut iustitia mihi fiat, non, omnia cedo, quia nihil horum amo, aut magni facio; beatum me! si pro Ecclesia non tantum res meas, sed et sangvinem offerre deberem. Nihil ferventius opto. Sed habeo res, non meas, sed fidei meae concreditas, res, quae ad Ecclesiam et Deum spectant, et has nec possum, nec volo cedere, nec unquam cedam. Hic neque inobedientia, neque superbia est, sed fidelitas.“ (Serm. cont. Auxent. et alibi.) Hoc fuit responsum S. Ambrosii, AEppi Mediolanensis et Patris Ecclesiae; hoc nos quoque post 14, et quod excedit, secula iteramus; nam ius sponsae Christi omni tempore unum, invariabile, atque praescriptionis expers est.

Dicunt: patriam multum egere, nec suppetere ad succurrendum alia adminicula, praeter bona Ecclesiae. Maiestas, si revolutio imperiosas indigentias habet, iustitia quoque immutabiles normas habet, et vae illis! qui eas negligunt, aut conculcant! Nunquam fuit his in terris regnum, quod sine fundamento honestatis et iustitiae prosperitatem consecutum fuisset. In Decembri 1864. (Subscripti 4 AEppi, 12

Digitized by Google

Eppi, 7 Vic. Cap.) Ghilardi L' Episcopato e la Rivoluzione in Italia. Mondai. 1867. t. 2. pag. 293—297.

1657. Epporum Marcarum et Umbriae ad Regem. 1865. Maiestas! Infrascripti Episcopi, et Ordinarii variarum dioecesium Marcarum et Umbriae in pervigilio novae promulgationis, quae contra catholicam Italiam intenditur, legis de totali abolitione Corporationum religiosarum, et de generali confiscatione patrimonii Ecclesiae, vi officii s. suae missionis se impulsos sentiunt ad lamentabilem vocem suam usque ad thronum M. V. levandam pro avertendo, si fieri possit, tanto infortunio, et adeo funesta rei religiosae, et sacrosanctarum rationum strage. In historia sane monumentis tam solemnium ac dolorosarum totius Episcopatus remonstrationum consignata est series anticatholicarum innovationum et oppressivarum ordinationum, queis a prima aera militaris occupationis afflictae fuerunt dioeceses hae sub dominatu Commissariorum extraordinariorum ad restaurandum, ut dicebant, ordinem moralem isthuc exmissorum. Non erat hic persona, domus aut institutum ecclesiasticum, quod eorum dictatura, ac decreta non feriissent; spoliatae substantia et ministris Ecclesiae, profanatum in Umbria matrimonii sacramentum, Religio dominans vitali securitate, et efficaci tutela privata; vilipensum sacerdotium, a proceduris et omnis generis contradictionibus tribulatum, et usque ad legale interdictum condemnatum; omne fere ius ecclesiasticum ignoratum et manumissum. Memorarè insuper iuvat desolationem claustralium familiarum, et fere generalem sacrarum dotationum confiscationem ab iisdem gubernatoribus intra terminum activitatis suae ordinatam, binis decretis de 11. Decemb. 1860, et 3. Ian. 1861, ac indilatim in executionem sumtam cum acerbitate mensurae, et iurium conculcatione quam ipsae officiosae statisticae evidenter demonstrant. Generatim a. 1861 fructus duorum horum decretorum Cassae Ecclesiasticae Status in Marcis et Umbria importarunt hos conspicuos numeros: Domus religiosae Ordinum possidentium et mendicantium suppressae 721, — Capitula et Collegiatae suppres-

Digitized by Google

sae 104, — membra Ordinum possidentium intra dies quadraginta e claustris exesse iussa 877, — Reditus bonorum iis ereptorum ad hoc usque tempus, annue 3,027,731 lirae, 41 ob. Quis non crederet, post tam luctuosum spectaculum, tantorum damnorum seriem hodie iam completam esse? Et tamen, Maiestas! nova praeparantur super isto themate iacula, novi dolores, nova detrimenta Ecclesiae. Sub hastam societatis exponi intenduntur ipsae ultimae reliquiae monachismi, et quae adhuc remansit, exiguitas proprietatis ecclesiasticae, quam priores gubernatores extenuarunt enormibus tributis, non tamen adhuc pro aerario publico totaliter occuparunt. Possent hic infrascripti pro asserto suo allegare iura ordinis naturalis et divini; possent in medium producere gravissimas considerationes a iure positivo et sanis socialis oeconomiae doctrinis petitas ad demonstrandum usque evidentiam, quam iniusta et illicita sit in se ipsa, quam infausta et damnosa in suis consectariis praefata dispulsio religiosarum consociationum, et intenta Ecclesiae spoliatio. Ast supersedent ab eo, quod egregie fecerunt iam alii insignes Collegae, et illustres nostri temporis publicistae; quali tamen cum successu, M. V. rite potest cognoscere e crescentibus machinationibus, et obstinatis planis factionis illius, quae ut Italiam catholicam subiuget, eique dominetur, sanctissimas rationes, imo religionem ipsam insuperhabet. Igitur qua ministri causae nobilissimae, et missione summe venerabili, quae cogitari potest, ornati non volunt, neque possunt tacere in conspectu novi periculi, et quamvis succussa fiducia, perferunt tamen usque ad thronum M. V. lamenta Ecclesiae, incorruptae depositariae inviolabilium possessoriorum, et augustissimarum rationum, divinae magistrae iustitiae et moralitatis pro gubernantibus et gubernatis. Dignetur M. V. considerare funestum illud scandalum e nova hac lege in universam societatem dimanaturum. Siquidem nemo non videt, qualiter in tanta principiorum confusione, in tanta ambitionis et privatorum commodorum studio, dum e tenebricosis sectarum antris socialismus erumpere minatur ad penitus proterendam ordinem, et consortii humani oeconomiam, nemo non videt, repetimus, quale incentivum praeberet officiosa ignoratio imo spoliatio vetustissimae et sacrae proprie-

Digitized by Google

tatis Ecclesiae; nemo non videt, qualiter iniusti illi praetextus, et subversiva sophismata, quae hodie contra eandem fine spoliationis allegantur, eras adversus omnem publicum et privatum possessorem adplicari poterunt. Non est intenta depauperatio, quae metum incutit infrascriptis, sed est violenta conculcatio iuris, sunt rationes utilitatis, inviolabilibus iustitiae normis substitutae. Ius fortioris in detrimentum Ecclesiae catholicae adbibitum, profunde succutit ipsa principia etiam respectu aedificii socialis; aliisque pro futuro abusibus viam sternit pro parte illius, qui potentiam in manu tenet, aut in favorabilibus situatur adiunctis ad eam mediis etiam scelestibus inferendam. Sectae, quae gubernium M. V. ad spoliandam Ecclesiam stimulant, sicut hodie deglutire anhelant patrimonium Christi et pauperum, ita nullum habiturae sunt deinceps repagulum ad impium nisum suum contra substantiam publicam ipsosque principatus pari attentato succutiendos, supprimendum. Eadem est securitatis ratio unius et alterius; divinum quippe et naturae ius, et sacrae normae iustitiae naturalis in omnium nationum codices assumtae, et a sanctionibus iuris positivi sustentatae. Et revera an non art. 29. Statuti asserit hodie etiam in Italia inviolabilitatem quarumvis proprietatum sine ulla exceptione? An non art. 25 vigentis Codicis civilis aperte proclamat Ecclesiam, Communitates, publica Instituta, societates a Rege auctorisatas, aliaque moralia corpora ut alias personas consideranda esse, iuribusque civilibus gaudere? Poteritne hodie in conspectu populorum violari fundamentale Statutum ad aufferendas Ecclesiae possessiones; poteritne publice proclamari abrogatio civilis tutelae ad cohonestandum spolium, quin iidem populi perniciosam hanc doctrinam non rite intelligant, et quin effectus invasivi huius systematis in tanto passionum fervore dilatentur, et omni sociali ordini ruinam minentur? Sed non est sola violatio cardinalium principiorum moralitatis publicae, quam infrascripti designant et deplorant in proiectata lege, verum etiam gravissima Religionis offensa et sacrilegium cum abolitione religiosorum Institutorum, et appropriatione substantiae ecclesiasticae commissum: Omnis persona, domus aut Institutum religiosum depauperatum, profanatum, et ad alios

Digitized by Google

fines adplicitum, quam quos e pia fundatorum voluntate, et provida Ecclesiae dispositione praefixos habuit, scilicet gloriam Dei, et emolumentum fidelium. Infrascripti, quin appellent ad historias aliorum temporum, exemplum rei huius habent in iis, quae post commissarialem domuum religiosarum suppressionem evenerunt. Vident quippe quantum sit alleviata conditio Cleri observantis, et laboriosi, quantus decor in cultu divino, quanta inviolabilitas piorum legatorum, quanta institutio religiosa filiorum populi! Sed et vident quantum in beneficentiam publicam impendatur post tantam substantiae ecclesiasticae confiscationem; et si derelictus, infirmus egeat, obtinetne succursum illum, quo olim sublevabatur in angustiis suis? Miseranda tantarum familiarum claustralium, quae suppressae aut spoliatae sunt, conditio est factum obvie notum. Sacrae virgines et innocentes coenobitae in penuria quotidianae sustentationis permissi, e pacificis claustris abacti minis, invasionibus, concentrationibus, deportationibus. Post deplorandas scenas, quid expectare possunt infrascripti a novo proiecto, quod in discussionem assumetur? Ergo Regimen catholicum non erubescet brevi pro sanctione praesentare Regi catholico ordinationes pro detrimento Ecclesiae et sacerdotii, quibus similes visae non sunt nisi fors in autocratia gubernii illius schismatici, quod systematice maturabat exterminium instituti catholici in infelici Polonia? Ordinationes hae, ut facile praevidere est, foecundae genitrices erunt gravium damnorum respectu fidei, pietatis, sensus catholici; erunt causa privationis, et imminutionis pro exercitio cultus religiosi, sustentatione et educatione Cleri, caritativo sublevamine pauperum et egenorum: erunt novum incitamentum pro incredulitate et heterodoxia, iam nunc adeo effrontibus, ut impune promoveant bellum et insultus in Ecclesiam Catholicam, et tantas animas ducant in perditionem. Non igitur permittat M. V. ut novum hoc infortunium aggravetur super Ecclesiam, quae communis mater et Regis et populi est. Avertatur a catholica Italia spectaculum adeo funestum et dolorosum, nec nominentur super ea calamitates, queis iustitia Dei in cursu seculorum punire solet invasores patrimonii pauperum et dissipatores sacri foeneris ad suum cultum destinati.

Digitized by Google

Infrascripti non desinent orare Deum, ut illuminet et dirigat M. V. in viis iustitiae, Eundemque obsecrare, ut in sua providentia ad salutarem finem manuducat adversa consilia et incitationes, protegat Ecclesiam suam in praesentibus adversitatibus et novis periculis. Die 2. Febr. 1865. — L' Armonia. 1865. p. 217.*)

1658—1662.

Reclamationes Episcoporum contra Placetum R. 1864.

1658. Epporum Utriusque Siciliae. Maiestas! Acsi necdum sufficientes essent leges, rescripta, et aliae dispositiones ministeriales super placeto regio, quarum una plus ac alia constringi intendebatur auctoritas ecclesiastici magisterii, novum de 12. Iulii p. p. decretum, per Ministrum Pisanelli contrasignatum supervenit, ope cuius Ordinariis Dioecesium prohibetur nominare oeconomos, Curatos aut Vicarios spirituales sine obtento praevie placeto regio. Si praecedaneae Ordinationes super hoc obiecto per se sufficientes erant ad dissipandam apud simpliciores etiam illusionem super fallaci, et satyrica formula: Libera Ecclesia in libero Statu, novus iste gubernativus actus, utpote magis directe feriens exercitium functionum Episcopalium, bonum animarum concernentium, sigillum imprimit, et evidenter manifestat, quali libertate Ecclesiam frui permittere intendatur. Si in qualibet vitae conditione, et in omni statu implementum officiorum est prima virtus, quia inde dependet harmonia societatis; id maiori ratione valet pro illis, qui in sortem ecclesiastici ministerii vocati sunt, quia ab eorum fidelitate erga religiosa sua officia, ab implemento suarum sanctarum obligationum maxima in parte dependet morale et civile fidelium emolumentum. Iam autem inter officia ecclesiastici miuisterii, peculiari attentione dignum est officium praesentiae materialis et formalis, permanentis et continuae respectivorum parochorum, in horum

---

*) Ad repraesentationes hic exhibitas pertinet etiam illa Epporum prov. Mutinensis et Parmensis, quam sub Num. 1650 vulgavimus.

Digitized by Google

defectu Oeconomorum, Curatorum aut Vicariorum in gremio portionis gregis per Iesum Christum iis concrediti. Officium hoc est immediata et inevitabilis consequentia illius sollicitudinis, qua per eos, qui ministri redemtionis constituti sunt, incessanter pro aeterna animarum salute adlaborandum est. Iure merito dici potest, quod in hac continua vigilantia, et indefessa custodia sita sit summa ecclesiastici ministerii, secundum verba Apostoli: „Tu vero vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple;“ vigilantia et custodia, quam inculcat suis Apostolis, et in his eorum successoribus ipse divinus Redemtor: Omni tempore vigilate. Assiduitas vigilantiae, quam Ecclesia omni tempore legibus suis et Conciliorum decisionibus urgebat, et Concilium Tridentinum qua gravissimae considerationis reputabat, formaliter praescribens sollicitam provisionem, vi cuius Curatores animarum subito constituantur, et vacantiae compleantur. Sensus SS. Concilii in decreto eatenus lato, parte ex una est longe clarior ac evidentior; parte autem ex alia pro Ordinariis Dioecesium adeo obligans in conscientia, ut nullam admittat interpretationem aut commentationem: Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiae. . . idoneum in ea Vicarium cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere. Nunc in conspectu veritatis adeo manifestae ac evidentis opus est dicere (nos autem acerbo cum dolore attingimus) quod vilipendatur salus animarum infinito pretio sanguinis Iesu Christi acquisitarum, dum disponitur, quod omnia rescripta et decreta Ordinariorum dioecesanorum, nominationem oeconomorum, Curatorum aut Vicariorum continentia non habeant effectum, nisi prius substrata fuerint Placeto regio. Id importaret, ut serius ocyus, secundum moras plus minus dispositas per particulares intentiones, et individuales passiones eorum, qui tanto indigniores sunt officiis adeo delicatis, quanto magis se fatigant in iis apprehendendis, remaneant fideles, in via spirituali sibi ipsis relicti, sine vigilantia et assistentia illius, qui legitime destinatus erat ad eos in officiis religionis manuducendos, ad beneficium divini ministerii iis dispensandum, ope administrationis Sacramentorum Ecclesiae. Anne interea, donec duraverit cursus informationum, quas gubernativa au-

etoritas super qualitatibus individuorum provisorie per Ordinarios nominatorum sibi praestari cupit, — cursus semper suspectus, (ut non dicatur etiam indebitus) et hodie ob temporum calamitatem, idearum confusionem, et exiguam cointelligentiae inter duas auctoritates in deligendis individuis possibilitatem ut perniciosus recognitus, — an, inquimus, tempore hoc, et pro animabus illis cessatura est necessitas spiritualis assistentiae? Eritne tempore hoc nulla necessitas novae creaturae in hunc mundum venienti aperiendi portas coeli, ope salutaris lavacri in aqua baptismatis, cuius dilatio periculum facesseret neonatae animae assequendi fruitionem gaudii sempiterni? Aut cessabit fors etiam in animabus adultis necessitas, ut opportune pascantur vivificante verbi divini pane, aut ut reconcilientur Deo mediante consolatione Sacramenti poenitentiae, aut muniantur religiosis subsidiis in extremis vitae momentis, momentis, a quibus saepe dependet beata sors futura, aut aeterna infelicitas earundem animarum? Non esset tunc occasio cum Propheta exclamandi: Parvuli petierunt panem et non erat, qui frangeret eis? Considerata tanti detrimenti possibilitate, et maxime in locis illis non pancis, quo vacante parocho, unicus altaris minister priori haud suppar supervenit, quae sollicitudinis promtitudo non requiritur a parte Ordinariorum Dioecesanorum, ad evitanda detrimenta? Si interea unica saltem anima ob defectum religiosae curae periret, quod onus, quae responsabilitas in conspectu Dei pro eo, cuius causa detrimentum intervenit? Anima illa contra auctorem infortunii sui clamaret, et postularet iustitiam, ut sanguis Abel. Maiestas, cogitatio haec est probrosa pro nobis, quod in conspectu inconcussarum Evangelii praescriptionum et legum Ecclesiae, Canonem pastoralium nostrarum obligationum constituentium, — in conspectu dispositionum civilium et pure humanarum, in ingrata constituamur alternativa, aut deesse prioribus, taliterque coram Deo culpabiles, et sane legitima excusatione pro damno animarum inveniri iuxta sententiam Gregorii Magni: Non potest esse legitima excusatio pastoris, si lupus ovem comedat, et pastor nescit, aut non attendere ad posteriores, quia sunt in oppositione cum primis. In hac alternativa dubius

Digitized by Google

esse non potest nobis delectus, dummodo nobis lumen divinum assistat, ne deviemus a sphaera officiorum solemniter praeassumtorum, et iuramentorum, quorum observantiae nunquam oblivisci oportet, minime vero tempore periculi. Itaque nemo nobis vitio vertere poterit, si Deum solum prae oculis habentes, eiusque unice iudicia metuentes (ad discrimen ab iis, qui solum corpus occidere possunt) ad prohibitionem, ‚praecipiendo praecipimus, ne doceretis,' ut Ierosolymis condam Apostolis facta fuerat, cum iisdem Apostolis responderimus: ‚Si oporteat obedire Deo magis quam hominibus, vos iudicate.' Pacate id perpendendo Maiestas, Ipsamet haud amaret, ut inveniamur praevaricatores aut apostatae; praevaricatio in iis, qui obligationes assumserunt inevitabiles, est propudium suppar delicto. Ideirco victoria de apostatis relata nunquam est ut honor reputata, utut secus pro momento materialiter profuerit; sic ab hominibus rationalibus, in medio beneficiorum civilitatis christianae educatis vim materialem adhiberi non convenit ad deentiendos eos, quorum Apostolatus indefesse exerceri debet, quo intacta teneantur principia, quae, quia ordinis supernaturalis sunt, competentiam omnis civilis syndicatus transcendunt, idque multo magis, quod dum solemniter proclamatur inviolatum in omnibus principium libertatis, illud ipsum violare et insuperhabere in pastoribus Ecclesiae, in exercitio religiosae suae potestatis, manifestam involvat contradictionem. Non, hac vice faciet iustitiam Maiestas, considerando, quod positi a Spiritu Sancto regere et custodire animas christianas, quin detrahamus virtuti praecedentium nostrarum remonstrationum, hac vice veniamus ad explicite reclamandam plenam libertatem actuum nostrorum Episcopalium, directe ad culturam vitae spiritualis tendentium, quae recte est destinatio oeconomorum, Curatorum aut Vicariorum in conformitate legum sacrarum: actus, quorum spiritualitas e verbis decreti inhibitivi manifeste resultat, et fors citra intentionem agnoscitur per ipsum Ministrum sigilli custodem in relatione, ac postremis suis ad Dioecesium Ordinarios Circularibus. Ac ut debita reflexio habeatur gravis obiecti, quod respicit praesens nostra protestatio, noluimus verba facere super inconvenien-

Digitized by Google

tia et detorsione motivorum, ob quae D. Minister in sua relatione provocavit positum in quaestione decretum. Confidimus itaque vice hac nos exaudiendos fore, decreti huius revocatione; acceleramusque implementum huius iustitiae actus precibus nostris directis ad Eum, unicum motorem et arbitrum intellectus et voluntatis creaturarum suarum, qui si permittat quandoque indurari nonnullos, secundum inscrutabiles iustitiae suae fines, frequenter tamen producit exinde triumphum gloriae suae, et emolumentum Ecclesiae, illius Ecclesiae, cuius nos filios esse ex intima convictione recognitionis et amoris gloriari debemus, non autem nos tales nominare labiis solum, secus autem veneno ingratitudinis, et armis proditionis in corde. — 8. Septembris 1864. — L'Armonia. 1864. p. 956.

1659. Episcoporum Provinciae ecclesiasticae Mutinensis et Parmensis ad Regem. Maiestas! Paucos ante dies expedivimus ad M. V. postremam remonstrationem nostram ob novas calamitates a Gubernio Ecclesiae Iesu Christi intentatas medio Decreti Regii de 12 Iulii proxime elapsi, nova obstacula libero exercitio pastoralis nostri ministerii interponentis. In conspectu aggraviorum super Ecclesiam accumulatorum et continuo increscentium sentimus corda nostra maximo dolore affecta, et non possumus adminus lamenta non emittere et reclamationes interponere ad eum, qui causa tantorum malorum est. E longa et dolorosa experientia rite scimus, in qua reflexione habeantur dolores nostri, et quomodo ex his alium effectum expectare haud possumus, quam novas iniurias, novas offensas. Sed ideo non terremur, quominus hac etiam vice attollamus voces nostras, habituri adminus consolationem impleti muneris nostri, et removisse omnem suspicionem conniventiae in violationem spiritualis nostrae auctoritatis. Omnia rescripta et, decreta Ordinariorum Dioecesanorum, nominationem oeconomorum, Curatorum aut Vicariorum spiritualium continentia, aut dispositiones super bonis ecclesiasticis includentia, virtute citatae ordinationis deberent subiici placeto regio. Non est nostrae intentionis, Maiestas, immorari demonstrationi

Digitized by Google

quam iniusta et inconveniens sit praetensio civilis potestatis syndicatui suo subiicere oupientis actus ab ecclesiastica auctoritate emanatos, et qualiter doctrina de placeto regio, et exequatur tendat ad evertendam plenam illam autonomiam, in qua Deus stabilivit Ecclesiam suam, nec repetere volumus, quod ad iustificandum harum praerogativarum exercitium, speciatim in nostris provinciis, nihil iuvet provocatio ad articulum 18. Statuti. Veritates hae ad evidentiam fuerunt demonstratae a venerandis collegis nostris Italiae, et a nobis ipsis in remonstratione ad M. V. 12. Augusti 1863 directa. Cum nova haec dispositio non aliud sit quam confirmatio, imo amplior extensio decreti de 23. Iulii evoluti anni de regio placeto editi, necessarium non est repetere operam eotum impletam ad ostendendum, quam enorme attentatum contineat contra libertatem et independentiam e divina voluntate Ecclesiae competentem. Non erit inopportunum rememorare nonnullas e funestis illis sequelis, quae effectuationem gubernativae huius provisionis consequentur; sunt enim adeo graves et exitiales saluti animarum, ut hae solae sufficere deberent M. V. ad tollendam, quae sanctissimae Religioni nostrae, adeo iam oppressae et conculcatae impendet, iacturam. Constituti a Deo ad regendam Ecclesiam suam, debent anima rum Pastores continuo suam sollicitudinem impendere, ut mysticum gregem sibi concreditum institutione divinae legis et participatione Sacramentorum nutriant. Iesus Christus repetitis in Evangelio vicibus iis commendavit implementum obligationis adeo sacrae vigilantia continua et incessante, sicut continuae sunt spirituales indigentiae gregis, et incessantia pericula perditionis, cui is expositus est. E necessitate indefessae huius curae originem trahit obligatio personalis et formalis residentiae parochorum in medio populi sui; ob eam imponit Concilium Tridentinum Episcopis, ut nominent Vicarios et oeconomos spirituales pro regimine parochiarum mox, ac iis innotuerit earum vacantia. Decretum autem de 12. Iulii, tales nominationes placeto regio subiiciens, tendit ad annihilandas ipsius Iesu Christi dispositiones, impediendo continuitatem vigilantiae pastoralis per Eum praescriptae. D. Minister Sigilli Custos, quamcunque parum curet emolumen-

Digitized by Google

tum Religionis nostrae, non potuit non videre enormitatem excessus huius, saltem conabatur apparentiam eius minuere, mittendo instructiones ad procuratores Regis, ut promte utantur facultatibus sibi commissis in concedendo, aut negando Placeto Regio. Sed per tempus ad exercitium indebitae huius ingestionis necessarium, forsan cessabit in grege, pastore privato necessitas nutrimenti pascuo verbi Divini, et SS. Sacramentorum? Quis regenerabit ad vitam gratiae novos mundi incolas? Quis tribuet consolationem Religionis, ad aeternitatem discessuris? Verbo quis exequetur multiplicia eaque momentosissima parochi officia, speciatim in locis, quae actu multa sunt, ubi alter non datur sacerdos? Si adeo graves sunt consequentiae e retardata concessione placeti regii promanantes, quanto graviores eas esse oporteret pro casu negativae? Supponere, ut Episcopi cedant obstaculis, per gubernium quoad nominationem ab ipsis factam, faciantque novam, significaret divinam Ecclesiae institutionem ignorare, eique denegare unam de suis maxime vitalibus praerogativis. Ast quomodo reddent efficacem spiritualium oeconomorum delectum a se factum, postquam sunt spoliati mediis ad sustentandam vitam necessariis? Si sacrae auctoritati Concilii Tridentini committentis, ut assignent oeconomis congruam portionem reddituum vacantis Ecclesiae, opposita fuerint principia Pisanellii, quod hoc ad oeconomos regios pertineat? Hinc eveniet, ut vacantes aliquae parochiae cum summo animarum detrimento, privatae remaneant spirituali regimine usque ad canonicam provisionem, exhinc fors novitus eidem tristi conditioni occursurae. Quantopere a spiritu Ecclesiae alienum ac iniustum sit, quod gubernium impedimenta ponat nominationi eorum, qui animarum curam sustinere debeant, et per id insuperhabeat praecipua iura, et momentosissimas indigentias catholicae populationis, exinde etiam patet, quod hac ratione, ut non raro evenit, exclusos vellet ab officiis ecclesiasticis nonnullos sacerdotes ob eas ipsas rationes, ob quas per competentem auctoritatem promoverentur. Nullius sunt pro iis considerationis longa et praeclara servitia Ecclesiae praestita, scientia et sanctitas morum, commendatio suorum Superiorum, nisi aura gaudeant aliquo-

Digitized by Google

rum importunorum assentatorum, aut secretas foveant relationes non raro a spiritu factioso dictatas, imo etiam a privato rancore profectas; accusantur de opinionibus ab iis, quae sunt in cursu, diversis, subiiciuntur interdicto civilia possessoria praebendarum eis canonice collatarum, quin motiva unquam possint cognoscere, aut semet a culpa sibi apposita excusare. Sola recordatione horum tam manifestae iniustitiae actuum, omni humano consortio indignorum conturbatur animus noster ob miserabilem statum, in quo non paucae Dioecesium parochiae reperiuntur, quae longo iam tempore in vanum exspectant pastorem, qui cum observantia praescriptarum formalitatum ad eas mitteretur; unde obligationem sentimus novitus et solemniter reclamandi, et dolorem manifestandi ob violentiam, qua Parochi impediuntur, quominus cum grege suo uniri possint. Ad novum dolorem novum infligit vulnus cogitatio, quod in sequelam praementionati decreti multae populationes non tantum parocho privatae sint futurae, sed et qui vices eius sustineat, remanebuntque animae sibi ipsis relictae, sine manuductione ad viam salutis aeternae. Maiestas! Regimen M. V. interea, dum sacerrimas Ecclesiae Dei rationes conculcabat, iteratis vicibus declarabat, se respectare spiritualem auctoritatem et assecurabat liberum illius exercitium, quodve nolit attingere sanctuarium conscientiarum, sed occupari solum temporalibus; sed hac quoque vice mentita est iniquitas sibi ipsi. Non spectat itaque amplius ad spiritualem Ecclesiae auctoritatem cura providendi saluti animarum delectu eorum, qui eas instituant in rebus fidei, solvant et ligent in terris? Et si divina haec missio est illi dumtaxat propria, existimat gubernium liberum eius exercitium sustentari, dum impedit, ne delectus hic tangat eos, quos Ecclesia iudicat rite qualificatos? quali temporalitate occupetur in nominatione spiritualium oeconomorum, si interdicta eis est qualiscunque ingestio in administratione beneficiorum parochialium? Non contentus D. Minister Pisanelli novum adtulisse Episcopis aggravium, Literis suis de 17. Augusti, voluit adiunctam esse offensam, ut nempe credatur id fuisse dispositum scopo reconciliationis, et fovendae pacificae relationis; nos iniuriosum idgenus sup-

Digitized by Google

positum libere reiicimus. Iura Ecclesiae sunt magis sacra et inviolabilia; iuramentum, quo nos ad ea defendenda obstrinximus, magis solemne, quam ut tolerare possimus, ea libere violata fuisse. Eximiis illustrium Praesulum, qui graviores angustias usque ad mortem intrepide sustinuerunt potius quam ut officio desint, exemplis edocti, sciemus etiam nos cum animo mandata divina ordinationibus hominum anteponere, qualecunque sit nobis impendens damnum; reponentes omnem fiduciam nostram in Deo, qui non permittet, ut tentatio sit supra vires, et dabit nobis suppar necessitati adiutorium. Die 20. Octobris 1864. — L'Armonia. 1864. p. 1064.

1660. Episcoporum Piceni et Umbriae ad Regem. Maiestas! Ad novas et summe dolorosas catenas, queis unus Ministrorum M. V. nos in re gravissima, spirituale exercitium Pastoralis nostri Ministerii respiciente, mediante decreto 15. Iulii edito et 5. Augusti publicato ligare intendit, animo prae nimio dolore deiecto cogimur altera etiam vice reclamationes et protestationes nostras M. V. substernere. Agitur de non minori obiecto, quam ut obices ponantur iuri ac obligationi nostrae, qua providere tenemur necessariae animarum curae mox, quam primum vacantia parochi emerserit, surrogando illi sine mora oeconomum, aut curatum, aut vicarium spiritualem. Si levavimus querelas nostras et protestati sumus ob vincula, quae nobis decreta 5. Martii et 26. Iulii 1863 de regio placeto imponunt, nunc eo magis reclamare et lamentari compellimur, quod super isto argumento violatio iurium et obligationum nostrarum eousque procedat, ut vix unquam exstiterint leges Ecclesiae magis hostiles. Concilium Tridentinum obligat Episcopos mox providere vacantiis parochiarum: Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiae . . . idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere. (Sess. XXIV. de ref. cap. 18.) Et reipsa immediata animarum cura est tale officium, quod operam exigit continuam, indefessam et quotidianam. Si in parochia, vix pastore orbata, non existat alter sacerdos per Ordinarium missus, qui cum legitima missione implere possit totum spiritualis administrationis

Digitized by Google

complexum, quis est, qui non videat disordinem et damnum in animas inde redundans? Quis franget panem verbi divini parochianis, quis instituet parvulos in rebus religionis? Quis sustinebit curam cultus divini in Ecclesia, quis offeret divinum sacrificium pro peccatis populorum? Aderunt moribundi, quibus assistendum, erunt infantes, quibus baptisma conferendum est. . . Quomodo potest cogitari, ut populus catholicus careat vel una die illo, qui consoletur in ultimis vitae horis morientem, a quibus frequenter dependet tota illius aeternitas, aut qui regeneret in aqua baptismatis neonatos, differendo Sacramentum necessarium medium consequendi gaudii coelestis? Contremiscimus Maiestas, ad solam cogitationem, tantum damnum animae sic illatum fuisse. Et quin memoremus distinctim omnia Sacramenta quae parochus administrat, adnotamus, quod illius apud nos defectus, cum Tridentinum vigore legis gaudeat, esset impedimentum contrahendi coniugii, illudque redderetur nullum. Quomodo ergo obligatio per oecumenicum hoc Concilium nobis imposita, parochiis statim providendi nominatione oeconomorum, aut curatorum, aut vicariorum spiritualium, posset per nos declinari? Quomodo posset, non dicimus, impediri, sed solum retardari per quamcunque humanam legem? Nec dicatur, quod relatio Ministri attingat celeritatem obtinendi placeti regii; quia nemo nobis poterit negare, quod requisitae formalitatee effective non breve tempus deposcant. Nemo certe melius quam Episcopus est in statu cognoscendi spirituales indigentias proprii gregis, et quis e sacerdotibus sit maxime idoneus ad iis occurrendum durante vacantiae tempore, donec aperiatur concursus, absolvantur examina, uno verbo, praemittantur omnia, per sacros Canones praescripta, ut regimen parochiae stabili pastori concredatur. Decretum itaque memoratum directe respicit exercitium actuum Episcopalium in materia momentosissima, utpote respiciente divinam missionem pascendi greges nostros. Nulla res nobis tantopere inculcatur in Evangelio, quam pastoralis vigilantia. In anniversario electionis et consecrationis nostrae reflectit nos Ecclesia ad illa Christi verba, queis graviter ac serio a nobis vigilantiam deposcit: Vigilate . . . dico vigilate. Vigilantia

Digitized by Google

haec includit, ne ulla portio Dioecesium nostrarum vel uno momento careat sacerdote, qui curam animarum exerceat. Et postquam non paucae parochiarum nostrarum unum dumtaxat habeant presbyterum eas administrantem, non poterimus citra gravissimam culpam praetermittere, quominus statim deputemus alium, qui habenas apprehendat. Si prius inquirendum nobis foret, an persona ecclesiastica per nos in oeconomum, curatum aut vicarium spiritualem electa civili auctoritati placeat, transiret semper intercapedo temporis plus minus longa, quod, ut attigimus, vehementer damnosum foret. Et si placetum negaretur . . . ? Exurgerent ingrati conflictus, qui adeo aggravant miserandam sortem tantorum Italiae Episcoporum. Nec foret id rarum; postquam nunquam desunt assentatores, qui occupare cuperent locum, quo indigni sunt; nos autem nulla ratione possemus lupum potius quam pastorem gregi assignare. Concilium porro Tridentinum permittendo soli Episcopo sollicitam provisorii parochi nominationem, adiungit, ut illius iudicio provisio assignetur, cum congrua fructuum portionis assignatione. Sed, incredibile dictu, in relatione D. Ministri non saltem deest omnis assignationis ratio, sed clauditur finaliter domus parochialis; ut adeo nec locus esset, quo sacerdos illocetur. Nec sola est haec relationis illius exorbitantia Pastoribus summe iniuriosa. Sed non erit hic, Maiestas, superfluum, attingere non leves contradictiones, quae e falso principio per nos toties iam oppugnato promanant, quasi Ecclesia a Christo pro hominibus ex anima et corpore consistentibus instituta, possit ad solum spiritum restringi; perniciosissimus protestantium error! Attunc ius istud extenderetur ad omnia, templa, vasa sacra, clericorum personas, postquam Ecclesia, qua hominum societas in tempore existens, non habet res pure spirituales, quae aliqua ratione non attingerent rem, quam inimici Ecclesiae lato vocabulo temporalitatis insigniunt. Doctrina ista sibi Status arrogaret nihil minus, quam ius super ipsa Sacramenta; quia in Baptismo est aqua, in sanctissima Eucharistia panis et vinum; evidens ergo est doctrinae huius absurditas. Concludemus ergo, Maiestas, repetendo gravia verba, quae iam ad M. V. die 9. Septembris direxerunt Venerabiles Fratres nostri Episcopi Nea-

politani: „Cogitatio haec probrosa nobis est, quod in conspectu inconcussarum Evangelii praescriptionum, et legum Ecclesiae, canonem Pastoralium nostrarum obligationum constituentium, in conspectu dispositionum civilium, et pure humanarum, in ingrata constituamur alternativa, aut deesse prioribus, taliterque coram Deo culpabiles, et sine legitima excusatione pro damno animarum inveniri, iuxta effatum Gregorii Magni: Non potest esse legitima excusatio pastoris, si lupus ovem comedat et pastor nescit; aut non attendere ad posteriores, quia sunt in oppositione cum primis. In hac alternativa, dubius nobis esse nequit delectus, dummodo nobis lumen divinum assistat, ne deviemus a sphaera solemniter praeassumtorum officiorum, et iuramentorum, quorum observantiae nunquam oblivisci oportet, minime vero tempore periculi. Itaque nemo nobis poterit vitio vertere, si Deum solum prae oculis habentes, eiusque unice iudicia metuentes (ad discrimen ab iis, qui solum corpus occidere possunt) ad prohibitionem: praecipiendo praecipimus, ne doceretis, ut Ierosolymis condam Apostolis facta fuerat, cum iisdem Apostolis responderimus: Si oporteat obedire Deo magis, quam hominibus, vos iudicate.“ In humilitate et afflictione animi nostri ferventissime oramus Deum, in cuius manu sunt corda Regum, ut iustitiae tribuat triumphum, ut M. V. infaustum decretum revocet, veniatque tempus, quo dolorosae catenae, Ecclesiam constringentes ac opprimentes tandem confringantur. Solemni die SS. Redemtoris, 23. Octobris 1864. L'Armonia. 1864. p. 1076.

1661. Episcoporum Hetruriae ad Regem. Maiestas! Nimis frequenter, frequentius certe quam a nobis expectaretur, necessitamur ad Gubernium regium converti, aut directe ad Thronum M. V. dirigere demissas reclamationes et lamenta pro reviudicandis sacrosanctis iuribus Augustae Christi Sponsae. Verum tamen est, Maiestas, eiusque cum dolore meminimus, quod gubernium M. V. non obstantibus memoratis remonstrationibus, queis nihil iustius, nihil rationabilius, nunquam recesserit vel uno passu ab antiqua sua contra Ecclesiam hostilitate; et divina haec Patiens, suspirando cum lacrymis, ope ministerii nostri reclamabat

Digitized by Google

libertatem et independentiam actuum suorum; Gubernio aut non respondente, aut in vicem replicae studente novos cudere compedes, novas catenas. Omni momento in suspicionem trahendo, et periculum videndo in eo, quod sacerdotium catholicum liberum adhuc possit facere passum prae iniuriis et afflictionibus, subintravit ipsam templi sphaeram, nunc illud arbitrariis ordinationibus retrahit, et perseverando in intentione inutili eidem ostendendi, quod liberam velit reddere actionem Apostolici ministerii, furit in multiplicandis vinculis et servitute, ligatque ipsum catenis gravioribus quam antehac. Revera, annon ad remonstrationes nostras circa impedimenta per Exequatur, et placeta gubernativa pro quacunque ecclesiastica provisione, posita, respondit gubernium idem decreto de 12. Iulii p. p. quo non tantum intacta relinquuntur dicta impedimenta, sed nobis pro futuro vetatur interimalis nominatio simplicium sacerdotum pro regimine Ecclesiarum nostrarum, in qualitate oeconomi, Curati et Vicarii spiritualis sine praevio obtento placeto regio? Dicetur sane, quod ad nos de libertate pro futuro Ecclesiae, et Supremo Eius Pastori promissa convincendos, non potuerit ponderosius, et manifestius argumentum inveniri, quam invinculationem usque ad simplicem sacerdotem, qui sine vinculo canonico primam facit probam in officio parochiali! Nec prodesset intentioni nostrae, Suae Exc. Ministro Sigilli Custodi respondere, quod non pertineat ad sphaeram illius, modificare, tollere aut discutere leges; quia idipsum praetendit tum aliis, tum postremo isto decreto, cum relatione ad M. V. in qua, nescimus determinare, an maior sit absurditas principiorum despoticorum, exaggeratio doctrinarum Regaliae ulterius extensarum, quam praetenderint Publicistae, maximi alias Principatus adulatores, et erga Ecclesiam iniustissimi; aut vero derisio illa, vi cuius nobis libertates et beatitudines promittuntur, quibus, non est amplius homo in mundo, qui tribueret fidem. Per citatum itaque de 12. Iulii anni currentis decretum fidelis populus spirituali curae nostrae creditus tempore plus minus protracto, iuxta usitatas artes, et consuetas inducias manere deberet sine dispensatione mysteriorum christianorum, sine administratione Sacramentorum, sine pane verbi Evan-

Digitized by Google

gelici, sine sanctificatione hominis nascentis, et consolatione morientis, idque quia necdum venit vel negata fuit sanctio, quae nomine V. M. concedi praetenditur. Ecce tanta subtractio subsidiorum spiritualium religiosae fidei, et publicae moralitati, dum interea cum, vel sine placeto gubernativo dissipatur in animabus omnis sensus probitatis, incredulitas diffunditur, et procax et ferox eousque procedit, ut in opprobrium et compassionem credentium directa esse dignoscatur, dum sapientes seculi doctrinis Voltairi impregnati adlaborant, ut casualiter effutiant phrasin velut tesseram novi epigrammatis sacrilegi, aut contaminent convictionem sacram et venerandam; dum populus licentia donatur ad semet collotenus immergendum coeno omnis iniquitatis. Si penes tantam religionis et moralitatis iacturam accedant etiam obstacula e professo posita Apostolatui, ad reparandum vocato, qualiter salvabimur, Maiestas? Iustitia et honestas constituunt necessariam basin omnis socialis ordinis, et omnis potestatis; et si ipsa M. V. a suis ordinationibus pendere videret exercitum in terra et mari adeo numerosum, quantum habent imperatores maxime formidabiles, et ad arbitrium disponeret, de omnibus cuiuscunque generis mediis, quae fulcrum humanae potestatis constituunt, si natio fuerit corrupta in suis affectibus, perversa in suis ideis, ipsa M. V. auctoritas infallibiliter nutabit, ut quaecunque alia non habens fundamentum in recta et honesta conscientia, in privatis, et publicis virtutibus. Generatio seducta et perversa nec ordinem patitur, nec disciplinam, nec potestatem sibi froena iniicientem, sed in confusione dumtaxat et anarchia vivit, donec veniat dies iustitiae Dei, quae non fallit, quia nunquam defuerunt populis corruptis Angeli exterminatores. Redeundo ad supremam determinationem nos inhibentem, ne, sine obtenta praevie adprobatione gubernativa parochialibus nostris Ecclesiis, in ipsis impraevisis et instantaneis indigentiis, nec brevissimam dilationem admittentibus, provideamus, cogimur declarare M. V. quod maior offensa inferri non potuerit auctoritati Ecclesiae Christi. Haec est institutum divinum, et suprema Magistratura ac independens intra limites suorum attributorum, in suis ordinibus legislativis perfecta, perennis et immutabilis. „Et ac-

Digitized by Google

cedens Iesus locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes . . docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum.“ Concilium autem Tridentinum decrevit: „Si quis dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemtorem, cui fidant, non etiam legislatorem cui obodiant, anathema sit.“ Divinum hoc mandatum sunt executi Apostoli praedicando doctrinam Christi, fundando Ecclesias, et praescribendo leges in Conciliis: „Visum est Spiritui Sancto et nobis.“ Tria persecutionis secula ostenderunt, quod Ecclesia nata sit libera, independens, sciveritque semet in statu hoc conservare. Auctoritas Status, quae missioni nostrae evangelicae suam sanctionem concedere ant negare praesumit, seque arbitram constituere, et ministerii nostri libertatem quae est libertas ipsa Dei, invinculare audet, divinam Ecclesiae autonomiam offendit, et committit crimen laesae Maiestatis divinae. Iste est valor dogmaticus placeti, et regii exequatur, quod M. V. gubernium concedit aut negat pro suo lubitu, argumentis religiosis. Non agitur hic de disciplina ecclesiastica, quae potest subire mutationem, sed de principiis, et de dogmate, dogma autem est perfecta Ecclesiae catholicae autonomia, quae sic offenditur. Nec situm est in nobis permittere quamcunque alterationem divinae suae constitutionis, quae ad nos derivata est ab Apostolis, Apostoli autem receperunt eam a Christo, Christus a Patre suo: „Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo“ (Tert. de praescr. 37.) Non obstantibus his veritatibus, Christianismi basin constituentibus, et in omnibus catholicis conscientiis profunde radicatis, prohibetur nobis non solum pastoribus providere greges nobis commissos, sed quaestionatum decretum plurimis vicibus impedivit, quominus mittamus etiamsi pro brevi sacerdotem cum iurisdictione parochiali, qui spiritualibus fidelium necessitatibus provideat. In penetralibus cordis indubie sentiet M. V. qua Ecclesiae catholicae filius, quod nos nisi officium nostrum impleamus, Eidem cum firmitate reverentiae nostrae pari dicentes, quod in simili casu non sit, nec esse possit dubia determinatio nostra, quia scriptum est: „Respondens autem Pe-

trus, et Apostoli dixerunt: obedire oportet magis Deo quam hominibus.“ Poterimus adminus hac vice sperare, ut M. V. disponere dignetur, ut ratio habeatur iustae nostrae remonstrationis, et a modo in posterum magis respiciantur Ecclesiae iura? Libenter id credimus, si misericordissimus Deus, in cuius manu corda sunt Regum, in illud M. V. infundere voluerit sensus iustitiae erga libertatem maxime competentem et sanctissimam. Quodsi vero, avertat Deus, vox nostra nunc etiam inutiliter personuerit, et dolores nostri non invenerint responsum, ingemiscemus certe super damnis exhinc in societatem christianam, speciatim autem in patriam nostram, Deo semper praedilectam, orituris, sed propterca animis non concidemus, nec adstrictionem nostram pro triumpho veri et iusti minuemus. Nos posuimus doctrinam catholicam, quae est immortalitatis causa, supra omnes luctas, supra omnia lucra, omnes agitationes politicas; in medio passionum et conflictuum seculi non aliud intendimus, quam pectus nostrum praebere ut praesidium credito nobis ovili, Matri nostrae Ecclesiae et supremo suo Pastori, Pontifici Romano. Qui aliter loquitur, mentitur ex errore aut malignitate. Ob implementum huiusce nostri muneris fuimus maledicti, imprecationibus, vituperiis onerati, sed serenamur reflectendo ad id, quod nobis prior fuerit maledictus, imprecationibus et vituperiis oneratus Christus Dominus noster. Intentabatur nobis spoliatio et exilium, et consolationem nobis praebet cogitatio de dulcedine libertatis, sanctitatis et paupertatis evangelicae ex una parte, ex alia vero consideramus, quod Domini sit terra et plenitudo eius; omittentes, ut alii clament, quod avidi fuerimus terrenarum divitiarum, et humanae potentiae. Si etiam mors nobis intentata fuerit, cum adiutorio divino occurremus ei sereni et tranquilli, reflectendo, quod vita nostra debeat esse Christus, et quod hac ratione mors fiat emolumentum: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Ecce, Maiestas, obligatio, quam implere volumus, et quam implebimus, quodcunque sit eius resultatum: cum nos respondere non debeamus de effectu, sed de implemento nostrarum obligationum. Abs dubio opera nostra fuit multum imperfecta, et nemo nobis magis sentit differentiam, intercedentem inter id quod fe-

cimus, et quod facere cupivimus. Ubique sumus securi non esse commissum a nobis errorem, dum verba nostra, institutio nostra fuit doctrina Petri; videturque sine arrogantia dici posse, quod non erubescamus propter ministerium nostrum, labores nostros, vexillum nostrum. Non transegimus cum errore, non adolevimus vel unum granum incensi idolo popularitatis, non inclinavimus pastorale pedum, et crucem vilitati, iniustitiae, praeiudiciis seculi. Sic nos Deus adiuvet in terenda via passionum et obligationum. In Octobri 1864. — L'Armonia. 1864. p. 1080.

1662. Episcoporum Provinciae Ecclesiasticae Taurinensis ad Ministrum Sigilli Custodem. Infrascripti Episcopi, et Vicarii Generales Capitulares Provinciae Ecclesiasticae Taurinensis recognoscunt a se perceptum esse folium typis impressum de 17. Augusti p. p. a parte huius Dicasterii, quocum simultanee transmissum est Decretum Regium de 12 Iulii praecedentis, quod additamentum format ad articulum 1. regulationis adnexae Decreto de 26. Iulii 1863. et insimul instructio pro executione eiusdem de 17 dicti mensis: in ea attingitur relatio, in qua sua Exc. dominus Custos Sigilli exponit motiva, quibus se permotum enunciat ad complendas dispositiones eandem materiam respicientes, ad tollendas de medio observationes inconvenientes, et assecurandam in specie vigilantiam, et tutelam gubernativam super omni puncto patrimonii ecclesiastici. Subiungit porro, se pro certo tenere, a parte Ordinariorum Dioecesanorum nullam interponendam oppositionem executioni Decreti, et confidit, non esse remotum tempus, in quo accuratius compositis reciprocis inter Ecclesiam et Statum relationibus, effectuabitur separatio, desiderium, ut praetenditur, universale constituens, poterunt de medio tolli hae, et aliae dispositiones nunc necessariae; attingebat necessitatem, in qua Gubernium constituitur ad tuendam regiam praerogativam et rationes ordinis publici, prospicere magis regulari administrationi patrimonii ecclesiastici, in intentione minuendi aggravia patrimonii Status et contribuentium. Penes talem insinuationem manifestabat idem officium se expectare responsum;

Digitized by Google

infrascripti post modicam haesitationem an respondere debeant, tandem se determinarunt ad responsum dandum ea in forma, quae characteri eorum convenit, attollendo quippe vocem, quod rursus iura Ecclesiae insuperhabeantur. Iam in Literis mensis Octobris 1863 libere declararunt infrascripti, quo in respectu habuerint, et quale iudicium depromserint circa Dispositiones, quarum intuitu Dominus Custos Sigilli S. M. onus responsabilitatis in se assumsit, provocando, et contrasignando Decreta de 4 Martii et 26 Iulii praecedentium, per quas Exequatur extendit ad omnes indiscriminatim provisiones S. Sedis, imponit placetum omnibus provisionibus Beneficiorum per Ordinarios factis, arrogatque sibi administrationem omnium beneficiorum vacantium; dispositiones, quas per memorata additamenta extendit etiam ad constitutionem Oeconomorum pro temporario regimine beneficiorum vacantium, ad officia religiosa et cunctas provisiones Ordinariorum, bona beneficiorum, et Ecclesiae concernentes. Nihil intervenit, quominus sensa scribentium mutata aut temperata fuissent, imo opiniones per merita Parlamenti membra, egregios iureconsultos, enunciatae, atque celebria publicistarum etiam exterorum scripta confirmant eorum persvasionem, quod memoratae dispositiones insuperhabeant irrefragabilia Ecclesiae iura, sint contrariae iuri publico a seculis in his provinciis etiam ante dominium Augustae Domus Sabaudicae vigenti, derogent sanctioni Codicis civilis per S. M. eotum Carolum Albertum promulgati, explicitas stipulationes cum S. Sede sub verbo Regio initas violent, iura patronorum, leges publicorum concursuum laedant, iura Ordinariorum attrectent, non secus et Capitulorum, parochorum, beneficiatorum canonice investitorum post nominationem, praesentationem, aut concursum, sint itaque anticonstitutionales, impingentes signanter in articulos 1 et 3. Statuti fundamentalis. Qua in sententia confirmantur hisce rationibus:

Ecclesia habet qualitatem et statum societatis perfectae, distinctae et independentis a societate, a suprematia civili. Sine Caesaribus, cum missione et virtute a Divino Fundatore sibi concessa est propagata seque gubernavit. Coelestis est potestas illius a Christo non Caesaribus aut imperio,

Digitized by Google

sed directe Petro et Apostolis, Episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, data. Dum Christus protulit, dic Ecclesiae, item: si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus, per Ecclesiam docentem et regentem certe non intellexit proconsules et imperatores Romae, nec tyrannellos Palaestinae, sicut nunc intelligi nequeunt rectores Status civilis cuiuscunque cum vel sine Religione. Subiectio Ecclesiae et suorum pastorum gubernio civili fuit abortus haereseos protestanticae, qua negationis omnis Religionis cum suo dogmate de spiritu privato; sicut etiam, quod exinde sequitur, ius imperantis circa Sacra, est forma despotici Caesarismi, absorbentis omne ius individuale, familiare, sociale, usque ad supernaturale in repugnantia cum sensu communi, cum repudiatione iuris naturae et gentium. Religio est obligatio et ius omni alio anterius: primarius finis societatis civilis non est regulare, eo minus instituere aut fundare Religionem, quia haec in individuo praeexistit et familia, quae sunt anteriora prae omni societate, cuius ipsa certo sensu constituit fundamentum. Homines in societatem coalescentes nunquam voluerunt, nec potuerunt Religionem subiicere imperanti, unde ergo est ius illud Status, Principis circa Sacra? Religio catholica praecipit reddere Caesari, quae Caesaris sunt, praecipit obedientiam erga omnes potestates; vera ergo iniuria, et intolerabilis est involatio, dum proclamatur ius praecavendi, quod pariter est inventio, malignitas heterodoxiae; tandem Religio est imperium Dei super animas, quia Princeps et Status nullum habent supra animas ius, ergo Princeps et Status nullum habent ius inspiciendi, aut ius reformandi — nec aliud quodcunque haereseos inventum, evidentes invasiones, ipsi paganismo inauditas, et intolerabiles. In Statu civili in societate totum debet esse imbutum sensu moralis hominum destinationis, et quilibet habet ius praetendendi, ut omnia procedant in harmonia cum sublimi hac destinatione, et respiciantur omnia Religionis iura. Nunc, sicut est evidenter rationabile principium, quod ad liberam Ecclesiae auctoritatem pertineat providere curae animarum, et exercitio officiorum religiosorum institutorum, ad salutem et emolumentum suum, prout Apostoli, eorumque successores fecerant

Digitized by Google

semper sine placeto aut exequatur Caesarum et Statuum, sic parte ex alia est manifestum Ecclesiae ipsius ius ad proprietatem bonorum, et rerum temporalium in ordine ad suum finem. Associatio non est concessio a parte gubernantium, sed ius naturae, quod ab omnibus, et in omnibus recognosci et respectari debet; in iure proprietatis nihil est quod impediat, quominus inhaereat individuo potius quam familiae, societati. Ecclesia qua perfecta societas, saltem per necessariam illationem possidet ius hoc, quod est inviolabile in ipsa, sicut in alia quacunque societate, cum omnibus consectariis inde promanantibus; quia ius proprietatis individuis socialibus concedit, ut dividatur, limitetur, in communionem abeat. Sic qui praesumeret impedire aliquos proprietarios in commune resignare sua bona, aut ea vinculare aliquibus conditionibus circa dispositionem de proprio, plenum eorum ius proprietatis laederet; generalis est obligatio permittendi liberum alterius in iure hoc exercitium, et qui tali gaudet, stringit societatem qua individua, stringit Statum, qui non est aliud, quam societas individuorum et familiarum pro communi securitate et defensa propriorum iurium, non autem pro eorum adpropriatione, et annihilatione iurium individualium et familiarum. Et revera Ecclesia est composita ex hominibus, isti ius habent possidendi, et possessor, dum non laedit iura tertii, potest ad lubitum disponere de re possessa; qui illum impedit, aut turbat, facit se reum violatae iustitiae naturalis et socialis. Nemo audebit contrariari, quod plures possessores possint consociari ad consequendum bonum spirituale obligativum, et valorem bonorum impendere pro eius promotione, et ista est etiam eorum obligatio stricta, quodve consociatio, cui sua dederunt Capitalia, eadem sit possessura adminus (infrascriptos pudet comparationis, sed sunt adacti ut illa utantur) eodem iure, quo societas comicorum possidet pecuniam pro theatro solutam. Ecclesia a divina sua institutione ius istud naturale semper possedit, et ubique possidet bona et res temporales, ea disponendo ad suum finem; hinc sequitur, quod illa ius habeat eadem per se ipsam administrandi, et de iis disponendi; et sic constanter egit. Posset alicui incidere, am inter menteca ptos, aut stupidos ponere, quibus curator

Digitized by Google

datur? Qui se catholicum dicit, et per id recognoscit Ecclesiae divinam missionem gubernandi intellectus et conscientias, poterit illi negare capacitatem administrandi res temporales? Quodcunque individuum aut gubernium, quod se atheum dicit, aut ab omni Religione se retrahit, debet videre absurdum et ridiculum, dum adpropriat sibi ius ordinandi, et administrandi personas et bona cuiuscunque Religionis.

Ad evidentias iuris naturalis et socialis accedunt irrefragabilia facta historica, quae demonstrant, Divinum Salvatorem determinasse, quod suis ministris competat sustentatio et merces; colligebat oblata et eleemosynas etiam in pecunia pro usu suo et aliorum; idipsum Apostoli exercuerunt, et docuerunt, in canonibus et constitutionibus ab ipsorum nomine appellatis; ii ipsi ordinarunt administrationem bonorum et rerum temporalium, ad Ecclesiam pertinentium: plures scriptores e 2. et 3. seculo attestantur, Ecclesiam bona possedisse. Sub Imperatoribus paganis, utut Religio christiana non fuerit recognita a Gubernio positive, nunquam tamen exurgebat dubium, quod illa possit bona possidere, sicut omnes aliae societates, quod elucet e responso Alexandri Severi, e rescripto Aureliani, ex edicto Licinii, quae Ecclesiam iam non auctorisant ad possidendum, sed ut ipsi restituantur possessoria, quibus fuit spoliata. E paribus historicis factis constat, quod Ecclesia per se administret bona et res proprias, et pro hoc destinat oeconomos administratores. Concilium Ancyranum, Gangrense, Antiochenum, oecumenicum Calcedonense, ordinarunt oeconomos beneficiorum vacantium, et praetermittendo alia nova Concilia etiam generalia, non secus centum quadraginta nationalia et provincialia, quae ius istud inconcussum conservarunt, Ecclesiae scilicet acquirendi et administrandi bona, rememoramus solum Concilium Tridentinum, quod semper vim legis sustinet in his provinciis, explicite sanxit cum anathemate contra usurpatores et invasores, et providet etiam respectu oeconomorum Beneficiorum vacantium. E iure communi descendendo ad particulare horum Statuum, occurrit indultus Nicolai V. Pontificis in favorem ducis Ludovici; indultus, cuius Regalistae Sabaudi specialem habuerunt curam, ut sibi id successive confirmari curent,

Digitized by Google

prout patet ex Brevibus Leonis X. Clementis VII. Iulii III. Gregorii XIII. Clementis VIII. Innocentii XII. Benedicti XIII.; indultus, qui in citatis Brevibus confirmatoriis constituit, et constituet semper certissimum et solidissimum historicum monumentum fundamenti, originis, et limitum, iurium Monarchiae Sabaudae in materia beneficiaria : iurium exinde promanantium et postea exercitorum pure in nominationibus, quantum sic dicta Regalia Oeconomatus e concessione Summi Pontificis, et restrictive, iuxta concessionem ipsam in Beneficiis consistorialibus et Patronatus regii locum habuit. Silendo de multis aliis intermediis documentis, quae provocari possent ad probandum, quod in conformitate harum limitatarum concessionum fuerit exercitum, retenta Episcopis nationalibus libera ordinaria iurisdictione in collatione aliorum beneficiorum, attingitur dumtaxat tenor Manifesti Senatorii de 20 Iulii 1719 adnexi Manualibus Regiis de 13. eiusdem mensis et anni, in quo dicebatur limitatam esse obligationem exequatur, quoad specificatas Bullas, Brevia et Rescripta provenientia ab extus, et quoad provisiones in favorem exterorum; et tamen dum in Circularibus eiusdem dati Iudicibus id significabatur, eodem tempore observatum fuit, quod in casu provisionis beneficiorum ab Episcopis Status, aut eorum Vicariis generalibus in favorem subditorum factae, nulla facta sit oppositio quoad actum possessorii. Specialiter reflectimus ad tenores Concordatorum inter Papam Benedictum XIII. et Regem Victorium Amadeum II solemniter stipulatorum, item inter Benedictum XIV. et Regem Carolum Emanuelem III. cum relativa instructione, sicut ad illa, in quibus semper fundamento praeindicatarum circumscriptarum concessionum determinabantur limites Exequatur, et praescribebatur norma Regaliae Oeconomatus, qui dirigi debuit per Ecclesiasticum, restrictive tamen semper relate ad Beneficia in Indulto Nicolai V. comprehensa; tandem cessantibus pro favore Camerae Apostolicae vigentibus spoliis, disponebatur administratio fructuum pendentium vacantiae, sed semper cum discretione, quae penitus excludit illam iurium, usuum, principiorum paritatem, quam Minister in provocatis Decretis erronee supponit respectu omnium in genere beneficiorum, adeoque

Digitized by Google

etiam respectu minorum beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum; quod repugnat Indulto Nicolai V. et antiquis Ordinariorum iuribus, quae nunc insuperhabentur. Nec potest praeteriri, quod e respectu Ordinariae iurisdictionis Episcopalis, prout et iurium et usus antehac vigentis, in ultima e citatis conventionibus declaratum et statutum fuerit, „quod vacantia beneficia minora tam parochialia, quam alia liberae collationis et patronatus mansura sint sub administratione Episcoporum, et in horum vacantia Vicariorum Generalium Capitularium, medio oeconomorum, quos deputabunt.“ Quod fuit constanter observatum, At quamvis post explicitam hanc declarationem opus non sit, recordantur adhuc infrascripti confirmationis constantis huius usus, cui hodie contradicitur; sicut in controversiis Concordatum 1741 praecedentibus S. Sedi per Gubernium responsum fuit: falsum esse, quod depostum fuisset, ut investiturae beneficiorum per Ordinarios dioecesanos expeditae exhibeantur Iudicio civili locorum, quo eas in suis tribunalibus regestrare possint; est factum, quod etiamsi ante Concordatum 29. Ianuarii 1727, fuisset per aliquot annos praetensum sub respectu plausibili, ut nova haec provisio usuvenisset, ostendendo se opportunis Literis provisam esse, ad capiendum Beneficii possessorium, nihilominus usus iste intercidit ubique, et fuerunt anni, quibus non fuit exercitus. Irrecusabile testimonium, quod mirabiliter coincidit cum iam citato Manifesto Senatorio, et Circularibus 20. Iunii 1719, extra dubium ponens, quod etiam ante Concordatum 1727, non praetendebatur invinculatio iurisdictionis Episcopalis in collatione beneficiorum minorum, aut in eo, quod concernit eorum temporalitatem ad subiicienda eorum rescripta collationalia, aut provisiones possessorii Placeto regio, — nec praetendebatur unquam ius Regaliae pro actibus administrationem similium beneficiorum, nequidem tempore vacantiae, respicientibus. In instructionibus Senatus ad Praefectos de 9. Decembris 1729 dicebatur, quod respectu Literarum institutionis Beneficii ab Episcopis Status editarum, saltem simplex relatio per Praefectum Senatui praestanda sit, informando eum de indole beneficii, et qualitatibus subiecti, in cuius favorem facta est collatio, unice pro statu notitiae.

Digitized by Google

Praeterea, dum in vim tractatuum Viennensis et Aquisgranensis transivissent aliquae provinciae partem Status Mediolanensis constituentes in dominium Dynastiae Sabaudicae, in quibus pro amplissimis concessionibus per S. Sedem Regibus Hispaniae factis, sic dicta Regalia Oeconomatus, et placeti extendebatur etiam ad minora beneficia, ad collationes et institutiones ab Ordinariis in favorem subditorum factas: existimabat se acquirens Princeps ornatum esse maioribus iuribus, fuitque sollicitus in eo, ut mox manifestet has peculiares suas rationes, e quibus eorum exercitium assumpturus, aut continuaturus erat, sicut apparet e Regiis instructionibus anno 1771 per oeconomum generalem Abbatem Trotti, et Abbatem Moreno 1838 publicatis, in quibus quo magis propugnabatur competentia et observantia similium maiorum rationum in provinciis neoacquisitis, tanto magis apparebat defectus, et contraria praxis in aliis antiqui dominii provinciis. Nec potest praeteriri, quod in articulo 2. Codicis nunc vigentis „Rex glorietur . . . quod promovere possit observantiam legum Ecclesiae in materiis ad potestatem eiusdem pertinentibus, mandatque Magistratibus supremis, ut se conforment in eo, quod concernit negotia ecclesiastica iis, quae usus et ratio deposcunt; in articulo autem 436 legitur: bona Ecclesiae non possunt administrari, aut alienari, nisi iuxta formas et regulas iisdem proprias.“ Historica igitur monumenta maximae auctoritatis, quae a prima Ecclesiae fundatione usque ad praesens producuntur, quae Monarchia Sabaudica antiquiora postremis quatuor seculis sibi usque nostra tempora succedunt, manifestum reddunt, et indubium ius Ecclesiae quoad bona et res temporales suae proprietatis, liberam Episcoporum iurisdictionem in provisione beneficiorum minorum, et superinspectione eorumdem; ius, iurisdictio et forma administrationis ab undecim oecumenicis Conciliis, et innumeris particularibus proclamata, ab usu consuetudinario sanctionata, qui in materia ecclesiastica in correlationibus inter duas potestates pro principio constanter in his Statibus fuit adoptatus, est proinde cynosura obligativa, est lex iuris publici, per innumeras sententias supremorum Magistratuum laicorum, et signanter per duos codicis civilis articulos, qua

talis declaratus; ius, iurisdictio et forma, quae explicitam habent sanctionem in solemnibus publicis Conventionibus, in illis Concordatis, quae iuxta doctrinam Athenei Taurinensis, tamquam totidem leges ab utraque potestate debent servari; provocative ad hoc Rex Carolus Emanuel Magnus 14. Octobris 1732 Summo Pontifici Clementi XII scribebat: „quod sit per legem et usum cunctarum gentium res sacra, et fide publica sustentata, unde violari nequit.“

Quapropter innovationes in exequatur, in placeto, in oeconomatu generali, invasiones in administrationem beneficiorum vacantium, aut non, arbitrium disponendi de fructibus eorum, res omnes, quae per dominum Ministrum Sigilli Custodem intenduntur effectuari, sunt manifestae violationes iuris generalis Ecclesiae, sunt conculcatio iurium particularium Ordinariorum dioecesanorum, Capitulorum, parochorum, Beneficiatorum, Cleri et patronorum; sunt apertae infractiones legum de Concursibus, et iuribus per id acquisitis; sunt evidentes violationes Concordatorum et citatorum Codicis civilis articulorum; et post declarationes et protestationes Literis de Octobri 1863 factas poterat D. Minister persuaderi, quod infrascripti eas non aliter respicere possint, debeantque semper solemniter reclamare. Nec poterit illationes has infirmare allegatio citati articuli 18 Statuti, quia iura sunt definita per leges, Concordata, usum legitime stabilitum, et ideo non potest auctoritati Regiae reservatum esse, ut eis deroget, aut plane aboleat in praeiudicium civium. In articulo 3 Statuti sancitum est: „potestas legislativa exercebitur collective per Regem et duas Cameras,“ inde subsequens art. 18. debet in harmonia cum isto intelligi: obvia itaque significatio huius art. 18. est, exercebuntur per Regem iura in materia beneficiaria potestati civili competentia secundum leges vigentes, Concordata, et usum legitime stabilitum. Et revera dum cogitabatur de mutandis, aut abolendis legibus in materia beneficiaria, sufferendis Concordatis et tollendis iuribus beneficiatorum, Ministri Siccardi, Ratazzi, Cavour praesentarunt proiecta legis Cameris; ex eo igitur absurda videri debet illa articuli 18 interpretatio, qua arbitrio unius Ministri relinqueretur, sub nomine Regis inviolabilis et irresponsabilis insuper

Digitized by Google

habere Religionis iura anteriora et superiora omnibus societatis et principatus iuribus, iura millionum civium commune et peculiare interesse in materia beneficiaria habentium. Non maius pondus haberet quaecunque Regaliae ratio, quae semper obtenditur, et non potest praeiudicare iuri divino, et naturali ipsa formatione societatis anteriori, nec derogare iuri sociali et gentium; non potest egredi limites per concessiones, leges, conventiones praefixos; non potest esse Caesarismus despoticus absorbens omnia iura Religionis et civium; Caesarismus, involvens turpem despotismum, et necessario pugnans cum regimine constitutionali, per quod assecurari dicitur inviolabilitas omnis iuris alieni. Nec aliud dici potest de allegata uniformitate, quae a domino Sigilli Custode in vanum provocatur, dum de facto si quis acquisita activa servitute in una provincia e. g. Neapolitana, inviaretur ad eam pro suo emolumento in alias Hetruriae aut Liguriae transferendam, qui utique experiretur quas exceptiones iuridicas ei opponerent Hetruscae, et Ligurienses provinciae. Provisiones, quae tot modis insuperhabent sacrosancta iura Ecclesiae, et civium catholicorum, naturaliter degenerant in absurditates et incohaerentias. Super hoc argumento habetur iam decas provisionum, incipiendo a 26 Septembris 1860, usque 12,—17 Iulii p. p. earumque sapientia reducitur eo, ut Episcopis a Spiritu Sancto positis regere Ecclesiam Dei eripiatur ius designandi rectores animarum, et superinspectio bonorum et rerum eiusdem Ecclesiae, ea etiam intellecta respectu beneficiorum, quae ipsi soli possunt erigere, et constituere; item eo, ut conferatur ius laicis, spoliare Praesules iniuste superinspectione gratuita beneficiorum, quo succedat phalanx administratorum, oeconomorum laicorum cum enormi dispendio et damno Cleri, Beneficiatorum, et parochorum ipsorum, quos ut ab annis septemdecim hypocritice publicatur, volunt materialiter sublevare, in vicem autem huius onerant eos tributis, et agraviis privilegiatis: quod profecto idem foret, ac idmodi administratione centenos laicorum saginare, qui indubie scandalo sunt fidelibus, et sic millenis Sacerdotibus necessariam vitae sustentationem eripere, qui religiosa populis officia praestiterunt, quibus nunc privati existunt; facultatem dare

Digitized by Google

eripiendi Ecclesiae, et Clero catholico reditus bonorum, eosque impendendi in fines etiam non religiosos. Neque adhuc satis. Eousque perventum est, ut praetendatur, Ordinariis Dioecesanis simplici Ministeriali instructione eripi posse ius legale assignandi stipendium oeconomis spiritualibus, ius ab iis semper exercitum etiam in provinciis a Statu Mediolanensi separatis, et istud idem ius intenditur adtribui potestati civili. Plus adhuc refulget sapientia (?) talium provisionum in dispositione, qua mediante placeto potestatis laicae submitti praetenduntur deputationes ab Ordinariis dioecesanis factae quoad oeconomos spirituales vacantium parochiarum, et vi etiam impediri disponitur, ne deputatus oeconomus subintret parochialem domum. Ergo populi ad beneplacitum Sigilli Custodis et Procuratorum generalium manere debebunt sine officiis religiosis, et per mensem aut adminus viginti dies Sacerdote carere, qui Baptismum administret, assistat infirmis, iis Sanctissimum Viaticum administret, peragatque functiones funebres!!!

In relatione 12. Iulii quaerebat dominus Sigilli Custos hanc iurium violationem variis considerationibus regia iura et ordinem publicum respicientibus cohonestare; contra quas infrascripti coram Deo et hominibus protestantur, qui una cum Clero suo praestiterunt semper Caesari quae Caesaris sunt, qui numquam fecerunt, aut quaesiverunt vel minimam laesionem inferre praerogativis regiis, suasque dispositiones in conferendis et administrandis beneficiis vacantibus tam simplicibus quam parochialibus unico scopo indigentiae et emolumenti Ecclesiae conformarunt, prae oculis habentes maius bonum spirituale fidelium ab eo, quod vocatur interesse publicum inseparabile; nec unquam sive hoc sive illo motivo occasionem praebuerunt gravaminibus, quae semper fiunt Ecclesiae Catholicae. Declarare praeterea debemus tantum abesse, ut ordo publicus promotus fuisset, quin potius conturbatus existat per innovationes, dispositione domini Sigilli Custodis, contra ordinem a seculis stabilitum et pacifice conservatum inductas, ordinem sustentatum, quin aliquando circa hanc materiam quaestiones ortae fuissent cum potestate civili, quacum, ut salva et illaesa maneant Ecclesiae iura, infra-

scripti bonam tenere amarunt harmoniam. Dicetur, quod post necessarias mense Octobri factas protestationes, per dictas innovationes, et invasiones provocatas, sub finem praeteriti Decembris quaesiverint concertationem cum Archi-Episcopis et Episcopis provinciarum ecclesiasticarum Ianuensis et Vercellensis instituere, iidemque pro conferentia cum domino Sigilli Custode provocati fuerint, tractatus et conciliationes, ut dicebatur, inituri; sed istud fuit annihilatum per eum, qui iisdem diebus improvise et illegaliter abolevit immunitatem postalem inter ipsos Episcopos, eorumque parochos pro officiosis correspondentiis, et paucos post dies praesentavit proiectum pro suppressione Corporationum religiosarum et innumerorum institutorum ecclesiasticorum, prout etiam pro desolatione bonorum Ecclesiae. Addit dominus Sigilli Custos in suo circulari folio impresso, quod sit universale desiderium, separatio Ecclesiae a Statu; infrascripti obligatos se esse sentiunt ad ei opponendam auctoritatem Summi Pontificis, gloriosae memoriae Gregorii XVI. qui docuit, quod concordia inter Ecclesiam et Statum semper rei sacrae fausta exstitit, et salutaris; idipsum declaravit actualis Supremus Hierarcha Ecclesiae Pius IX. feliciter regnans: „Sic a Deo, verba sunt illius, mortalia fuerunt composita et distributa, ut inter se sociarentur Sacerdotium et imperium ad humani generis incolumitatem.“ Sed ex adverso desiderium omnium est, ut tandem cesset hostilitas contra Religionem et S. Sedem, violatio iurium Ecclesiae, destructio suorum institutorum et fundationum, vilipensio sacrorum Ministrorum, dissipatio bonorum et rerum sacrarum, occlusio templorum cultui divino sacratorum, violatio testamentorum et aliorum similium titulorum legalium; est desiderium omnium sapientum, ut gubernantes sibi persuadeant, auctoritatem civilem etiam procedere ab Altissimo Domino Deo; unicam veram Religionem esse catholicam, in qua sola reperitur iusta constitutio obligationum et iurium tam populi erga Principem, quam viceversa; potestatem ecclesiasticam in sua sphaera esse prorsus independentem a civili; post securitatem et tutelam primum civilis potestatis officium esse curare, ut moralitas et religiositas populorum Ecclesiasticae subordinetur;

Digitized by Google

potestas civilis in condendis legibus suis pro cynosura sumat etiam divinas et ecclesiasticas leges. Status et gubernia fundamentalia haec principia pro bono gubernio societatis humanae ignorantia, nunquam habitura sunt pacem, et veram duraturam prosperitatem. Secus autem affidabat dominus Sigilli Custos, non esse remotum tempus, quo reciprocae inter Ecclesiam et Statum correlationes melius componantur, et hae, ac aliae dispositiones de medio tollantur; infrascripti eidem in primis reponunt: Si hae et aliae dispositiones potuerint subin de medio tolli, quare attentantur nunc contra omne ius divinum, naturale, sociale et gentium? Quare per vim violantur sacrosancta Ecclesiae iura, recognita, et exercita omni tempore, ad partem seponuntur solemnes publicae Conventiones, conculcantur iura legitimo titulo acquisita, et plus quam millenae fundationes? Hinc illi non silebunt, quia non habent basin pro illa fiducia; alioquin dum talia promittuntur, ex alia parte omnimode laboratur in destruendis Corporationibus religiosis, institutis ecclesiasticis, in impediendis novorum Sacerdotum ordinationibus, in omni Ecclesiae re suo dominatui subiuganda, in sacris templis distrahendis, in provisionibus novorum parochorum convellendis, imponendo Religioni catholicae conditiones tales, quae a mille quingentis annis amplius locum non habuerunt, et sub certo respectu nec sub paganis Imperatoribus, nec sub heterodoxis, aut infidelibus guberniis. Proponit in fine dominus Sigilli Custos, quod velit prospicere de magis regulari administratione patrimonii ecclesiastici, in intentione imminuendi aggravia in bilance Status, et contribuentium. Alii fors dicerent a vero alienam esse praetensam declarationem de prospicienda magis regulari administratione patrimonii alieni, et quidem a parte talium, qui concertabant de administratione Status usque ad universalem nauseam, quin potuissent invenire causam et rationes de tantis millionibus perditis; sed infrascripti hoc non dicent. Non possunt tamen non respondere, quod illa magis regularis administratio, per dictas dispositiones inducta consistat, ut iam supra dictum est, in auferendo Ecclesiasticis, et dando laicis, ut ad expensas Ecclesiae, Cleri, et pauperum saginentur. Patrimonium Ecclesiae, qua eius

Digitized by Google

proprietas, non potest licite administrari, aut de eo aliter disponi, sine consensu illius. Infrascripti credunt sufficienter a se declaratas haberi rationes iuridicas inevertibiles e iure, pro Ecclesia et Clero contra deploratas provisiones pugnante, et sic de praesenti obligationi suae strictissimae quoad capacitandum dominum Sigilli Custodem S. M. ope reclamationis huius scopo amovendi ab Ecclesia, parochis et Clero damni, quantum in ipsis est, satisfecisse; concludunt autem dicendo: quod novitus solemniter protestentur contra easdem; donec revocatae non fuerint, haud cessabunt semet iis opponere omnibus mediis legalibus et moralibus, iuxta suum officium; et sicut praetextus et erroneae opiniones per (D. Ministri) antecessorem productae typis divulgatae fuerunt, similiter et ipsi facient ad has suas observationes publicandas. In Novembri 1864. — L'Armonia. 1864. p. 1115.

1663.

Altera protestatio Archi-Episcoporum, et Episcoporum Provinciarum Neapolitanae, et Siculae pro independentia Episcopalium Seminariorum ad Ministrum Sigilli Custodem. 1864.

Domine Sigilli Custos! Legendo in publicis ephemeridibus Circulares novi Ministri de publica institutione de 18. Octobris a. c. ad Praefectos et Praesides Consiliorum provincialium scholasticorum Provinciae Neapolitanae et ad Provisores Marcarum et Umbriae, utut vocem Seminarii identidem legerimus, induci haud potuimus ad credendum, quod Minister ille proprie loqui voluisset de Episcopalibus Seminariis nostris. Reipsa quinque capita, quibus continetur praeattacta Circularis, nec plus, nec minus essent, quam plenaria secularisatio Episcopalium Seminariorum, quamvis a praedecessore suo Sigilli Custode assecurationem possideamus, Gubernium R. ab huius generis conceptu alienum esse; et Circulares ipsae, quibus nunc occupamur, favent huic nostrae interpre-

Digitized by Google

tationi. Motivi instar hae Circulares ordiuntur a commemoratione eius, quod multae et graves remonstrationes ad Ministerium perlatae sint; nunc ergo foret prima vice, ut patresfamilias, qui exoptant filios suos videre in Sacerdotio, eosque pro educatione ecclesiastica concredunt Episcopis, remonstrationes Ministerio exhibuissent. Praeterea Circulares hae praeseferunt propositum inquirendi in statum scholarum literariarum et scientificarum, sine discrimine; unde sequeretur, quod, intellectis etiam Seminariis, inquirere vellet Minister etiam in scholas Theologicas; quis autem unquam posset opinari, ut Minister laicus Theologiam pergat docere in domo Episcopi?

Circulares porro hae inquirere volunt super scholis literariis et scientificis Seminariis adnexis, ergo, dicimus, non de Seminariis nostris agitur, sed de Scholis adnexis; nolumus enim facere iniuriam Ministro, ut illum ignarum existimemus de indole Seminariorum nostrorum, quae necessario secumfert, ut constent e scholis literariis et scientificis; cum omne Seminarium ad educationem clericorum destinatum sit, qui a tenera aetate semet sub directione Episcopi Sacerdotio dedicant, neque scientias sacras, quin ordinarium cursum humaniorum literarum et scientiarum, quae a maioribus nostris nomine Trivii et Quadrivii insigniebantur, percurrissent, tractare possunt. Supponere proin Seminarium absque scholis literariis et scientificis, foret absurdum. Scholae itaque, quas Circulares nominant adnexas, deberent esse scholae externae, quas nonnulla Seminaria aperuerunt in gratiam laicorum, qui in defectu mediorum extiterunt institutionem secus percipiendi. In hac interpretatione nos confirmavit dispositio quoad interrogandos Seminariorum Superiores, in quibus scholae idmodi apertae sunt, et desiderium cognoscendi resultata examinum respectu promotionum et reprobationum, et commemoratio illa, vi cuius sine tali inquisitione studia idmodi scholarum non possint esse titulus admissionis ad examina et gradus scholarum a Ministro dependentium. Quis autem ignorat, alumnos Episcopalium Seminariorum non destinari ad gradus academicos, sed ad Sacerdotium? Si quis durante studiorum cursu observetur necessariae vocationis ecclesiasticae defectu laborare, sibi ipsi imputandum habebit, si in cursu scholastico

Digitized by Google

nova experimenta facere debuerit. Dicebamus porro, quod scriptor Circularium loquatur solum de aliquibus scholis a longo iam tempore clausis, utut sive iuxta benemeritorum civium fundationes, sive ob guberniales dotationes ad impertiendam institutionem adolescentibus locorum, in quibus pro determinato hoc fine fuerunt erectae, conservandae fuissent. Sufficit ad eruendum, quod Episcopalia Seminaria non sint fundationis gubernialis, aut particularium laicorum, sed prius e reditibus mensae Episcopalis, dein Capitulorum, parochiarum, aliorumque beneficiorum, secundum normas per SS. Concilium Tridentinum praescriptas fuerint erecta, idem ipsum Concilium saltem inspicere; quorum finis est non saltem institutio iuventutis, sed ut sint plantaria Clericorum pro servitio Dioecesis, Ecclesiae totius. Sed quod nos in interpretatione nostra plene confirmavit, erat periodus illa, quae instar epiphonematis Circularium considerari potest. „Est tempus, exclamavit Minister, ut cesset omnis disordo, et tandem institutioni generosae impopulationis convenienter prospiciatur, fruaturque beneficiis per anteriora gubernia in respectu bonarum literarum eidem negatis.“ Impossibile est, concludebamus legendo hanc phrasin, ut Minister alludat ad Seminaria nostra, postquam decedentia gubernia in iis nullam unquam ceperunt partem, nec iis idipsum unquam permissum fuisset, sed nec suspicari licuerit, ut voluisset Minister Ecclesiae attribuere titulum, vi cuius ea inimica foret literarum et scientiarum, negando generosae populationi beneficium bonorum studiorum. Scit bene Minister, quod Ecclesia, quae est continuatio Incarnationis Verbi, quod est Ipsa Sapientia Dei, non possit sub modio recondere sanctum depositum omnis veritatis dogmaticae, moralis et socialis, fidei suae concreditum, sed essentia illius in eo consistat, ut incessantem doni Verbi usum faciendo, exequatur praeceptum docendi non solum individua sed etiam nationes „Docete omnes gentes“ in ratione libertatis eisdem a circumstantiis personarum, locorum et temporum concessae. Exemplum huius praebet Italia nostra, quae post invasiones barbarorum, prima vice vidit consurgere scholas gratuitas, sed in domibus parochorum, idque tanta cum frequentia et profectu, ut Episcopi Galliae in solemnibus

Digitized by Google

Conciliis proposuerint exemplum hoc, qua imitatione dignum. Fuit Gregorius Magnus, qui his temporibus circa se colligebat viros doctissimos, et fundavit scholam Romanam inter omnes primam, et celeberrimam; e qua dein Carolus Magnus evocabat in Galliam magistros in omni genere disciplinae et scientiarum, praescindendo ab Ordinibus religiosis, qui quot monasteria, tot scholas gratuitas tenuerunt. Ab Italia sumserunt exemplum Gallia, Anglia, Germania, Hispania adeo, ut in cursu decem seculorum, in quibus Europae nationes se exhibuerunt dociles, et ad semet a pastorali virga S. Matris Ecclesiae, quae eas in Christianismo genuit, subducendum pronas, ubique disseminatae fuerint scholae gratuitae, quae parochiales, abbatiales, archidiaconales, aut Episcopales nominabantur, per idipsum, a quonam fundatae fuerint et rectae, demonstrantes. Neque fuit obiectum scholarum harum unice studium sacrum, sed omnes artes et disciplinae eotum vere liberales, eo directae, ut alumnos manuducant ad Iesum Christum, qui est veritas sola liberatrix. Propterea Pontifices et Concilia sollicita fuere in instituendis magistris non solum Theologiae, sed et literarum et artium ingenuarum, aut Grammaticae in sensu lato, cui eotum peculiariter intendebatur. E scholis his successive consurrexerunt Universitates numerosae, eaeque celeberrimae et florentissimae in omni genere disciplinae, scientiarum et artium liberalium, quae frequentabantur a scholaribus cuiusvis conditionis socialis, a principe usque ad civem, adeo, ut pro uno professore plus quam tria millia auditorum numerata fuerint. Universitates hae a RR. Pontificibus, et Episcopis fundatae, aut vero munificentia Principum erectae, erant exclusivum Ecclesiae dominium, et scholares ipsi nominabantur clerici, induti habitu clericali, ad coelibatum obligati, privilegio canonis gaudentes, ut adeo durante hac longa periodo, Clericus et Clericalis designaverint hominem literatum, et scientificum. Hoc medio Ecclesia renovabat faciem terrae, siquidem docendo hominem unde venerit, et quo vadat, regeneraverit conscientiam humanam, mutavitque mores et leges, substituendo fortitudinem iuris iuri fortioris, Regnum Evangelii ubique fundando, rehabilitavit foeminam ab eo contemtu, in quem per gentilismum coniecta fuit, creavit

Digitized by Google

familiam sanctificando Matrimonium indissolubile, et fundavit vastam illam Rempublicam christianam, quae sinu suo complectebatur omnes societates per Baptismum regeneratas, quamcuñque Gubernii formam tenuerunt, monarchias, aristocratias, respublicas; ipsasque participes reddidit illius christianae civilitatis, ex obtutu cuius hodie etiam Occidens christianus suam retinet praeeminentiam, monstratque suum super Oriente pagano praedominium. Iam autem si Iesus Christus est ille idem heri, et hodie, et in secula, possibile non est, ut Ecclesia, quae est continuatio humanitatis suae sanctae, cum Ipse sit immutabilis, hodie velit in scholis sibi adeo dilectis, quia internum suum regimen constituentibus, destruere civilitatem illam veram, quam doctrina sua ubique fundaverat. Verum est, tria iam evoluta esse secula a tempore reformationis, quam ingrati filii eius quaesiverunt ad semet successive emancipandos e maternis catholicae docentis Ecclesiae curis, usque ad separationem Status ab Ecclesia, et secularisationem civilis societatis; sed est etiam verum, quod ingrati isti, velut filii prodigi, progrediantur evertendo avitum veritatum dogmaticarum, moralium et socialium patrimonium: et si in ratione scientiarum naturalium, quantum ad practicam earum adplicationem, progressus observatur, de aliis scientiarum ramis id plane non subsistit; quia in philosophia non scitur aliud quod substituatur, quam nihilismus; in scientiis moralibus et socialibus barometrum, celebri illa phrasi ‚omni die plus deficit,' expressum. Et ut de Italia loquamur, ut alia vice notavimus, fuit paradigma Europae, et nunc est universalis lamentatio, omni die per ipsas gubernales ephemerides repetita, existere Universitates sine cathedris, cathedras sine professoribus, professores sine discipulis, unde languor iste in studiis, unde confusio in earum directione? Quare agenda publicae institutionis comparantur artificiali glaucomati, ad quod religandum non suffecerunt viginti duo ministri, qui inde ab anno 1848 manus eo admoverunt; et nec sperari potest, ut consurgat persona effectum productura, programmata intra cursum repetuntur, et examina penes idgenus programmata, non sunt examina, sed impostura, et scholares, quin studuissent subeunt illa, et pro admira-

Digitized by Google

tione ipsorum, adprobantur. Isto est ille disordo, sic argumentabamur, quem vult minister sufferre, timens cum etiam in scholis externis Seminario adnexis inductum fuisse; ast sciat, solum efficax medium influendi in doctrinam Episcopalium Seminariorum esse, praedicare in exemplo, cum ipse Divinus Magister non indignum reputaverit rationem habere antiqui illius adagii „Medice, cura te ipsum.“ His rationibus accessit alia reflexio, quod scilicet Circulares illae etiam ad Seminaria extensae, non fuerint ad totam Italiam directae, sed solum ad provincias meridionales, Marcas item et Umbriam, taliterque facta distinctio odiosissima pro detrimento civium dictarum provinciarum, acsi essent Helotes Italiae, quamquam Status declaret omnes coram lege esse aequales, et Gubernium ipsum tantas faciat adstrictiones ad unificandam Italiam.

Sic ratiocinando, et prae oculis tenendo promissum praedecessoris Sigilli Custodis tranquilli eramus super sorte Seminariorum nostrorum. Sed quid? Nonnulli Praefecti praefatas Circulares ad Ordinarios Dioecesium in typo directas usque ad capillum de Seminariis intelligunt, quinque illa strictae inquisitionis per Ministrum ordinatae capita ad ea adplicare volendo. Nec hoc sufficit, nam eodem tempore praesides et inspectores manum adplicant facto completo, praesentantes se ex officio Seminariis nostris. Et postquam nonnulli rectores, ne praetendatur oppositio politica, non censuerunt expediens aliud, quam quod Episcopi Galliae in similibus adiunctis respectu Ministri Reipublicae egerunt, esse adhibendum, eosdem cum urbanitate exceperunt, contenti sola protestatione pro exclusivo Episcoporum iure interposita, iidem tamen ad scholas intrare, et in sensu praeviae inquisitionis magistros alloqui voluerunt. In hoc rerum situ, nullam cum Ministro publicae institutionis correlationem habentes, convertimur ad DVram, Domine Custos Sigilli, cui negotia Ecclesiam concernentia sunt concredita, Eandem rogantes, ut meminisse velit honoratissimi sui collegae Sigilli Custodis promissi, in Circularibus 10-ae Martii 1863 iam relati. Si Dominus collega rationes nostras nosse cupit, placeat sibi exhiberi facere primam nostram remonstrationem eidem

Digitized by Google

Custodi Sigilli 1-a Octobris c. a. in sequelam propositae alterius innovationis aeque in linea publicae institutionis, inducitentatae, et in ‚Unita Cattolica 28. Nov. 1863. Nro 21.' relatae. In qua ad evidentiam demonstravimus, quin ad nostram notitiam replicatum fuisset, quod subtractio Seminariorum ab absoluta Episcoporum dependentia, seu aliis terminis, secularisatio esset 1. conculcatio iuris maxime essentialis Ecclesiae catholicae, solius repraesentantis Iesu Christi, qui est Veritas; 2. violatio literae primi articuli Statuti; 3. contradictio spiritui sic dictarum liberarum institutionum, prout illae per tres illas nationes, nempe Angliam, Galliam, Belgium possidentur, sumtarum; apud quas nationes recognitum est, Communitates religiosas in genere, et Ecclesiam catholicam in specie in respectivis scholis et Seminariis independentes esse a quacunque Status ingessione. Ad id porro subiunximus pondus auctoritatis, iuxta effatum ‚Thiers,' in mundo integro regnantis, nec geographia, nec tempore concludi queuntis, qua est bonus sensus. Et cum omnis institutio supponat doctrinam, attingemus institutionem aut non institutionem in quibusdam rebus esse absurdum. Hodie non ignoratur duas esse doctrinas, quae campum scientificum bifariant ad coordinandas Religionem et scientias; prima, quae est Ecclesiae catholicae adeoque Episcoporum, pro principio assumit, rationem esse ancillam fidei; altera, quae est genii aevi in seculo inter illos, qui gens electa nominari cupiunt, docet rationem esse autonomam, finem et non medium, taliter ergo fit passus a Theologia ad philosophiam, et non viceversa. Minister ergo se intrudit qua iudicem institutionis in Seminariis, qualis igitur doctrina procedet e fonte isto? certe non catholica; quae utique condemnaretur per se, et deberet percipere, non autem dictare leges Ecclesiae; adoptabit itaque secundam, id est independentiam a Religione cum omnibus consequentiis systematis rationalistici, cuivis iam bene notis, et in publicis Universitatibus proponi solitis; seu volet, ut iuvenes clerici ad sacrum ministerium in Ecclesia adspirantes profiteantur doctrinam, Ecclesiam ipsam e fundamentis evertentem; volet, ut iuvenes clerici in Theologia profiteantur, realiter et personaliter incarnatum esse Deum, qui secundum rationalisticam

Digitized by Google

philosophiam caret personali existentia ; discant in Theologia, quod Deus ipse revelaverit veritates supernaturales, operatus sit miracula et prophetias, revelationes, miracula, prophetias ordinis supernaturalis, quae omnia eorum philosophia ut impossibilia propugnabat ; et ut alia non memorentur, discant fundamentum moralitatis esse praemium et poenam vitae aeternae, dum iuxta eorum philosophiam totum istud sit nihil, quod est principium et finis omnium rerum. . . Revera totum istud amalgamisatio foret contra bonum sensum, adeo, ut nonnisi cum systemate omnium absurdissimo identitatis existentiae et non existentiae comparari possit ; quod diebus nostris a cathedris Universitatum emancipatarum proponi dolenter experimur, quas doctrinas Ecclesia catholica suis anathematibus ferire nunquam cessabit. Sed dicetur : ergo non deberet gubernium nosse programmata Episcopalium Seminariorum ? Primo quidem istud pertineret solum ad ius superinspectionis, Ministro internorum, de quo nunc non agitur, competentis, et aliunde subministravimus nos iam cunctas notitias statisticas a nobis depostas ; sed secundo, si programmata Seminariorum scire necessum est, aperiatur SS. Concilium Tridentinum Sess. XXIII. de reform. cap. XVIII. quod actualium Seminariorum Codicem constituit, et mox fiet clarum : Episcopale Seminarium constitutum esse pro selectis invenibus clericis, qui admittuntur ad explorandam vocationem suam ecclesiasticam inde a tenera aetate ; puerorum numerum . . . a teneris annis (quia educatio facit hominem) collecti in loco separato a seculo prope ipsas Ecclesias, aut in alio ab Episcopo eligendo, habitu clericali semper utantur. In quo, dum ex una parte strictae disciplinae subiiciuntur ad corrigendos defectus naturae, et firmandum in iis verae pietatis habitum, qua basin ecclesiasticae educationis ; dum iis cum adiutorio gratiae divinae amor Dei et proximi instillatur aut pro scientiis sacris praeparentur, velut supremo studiorum fine : parte ex alia simul instruuntur in pulchris literis, grammatices disciplina per magistros ab Episcopo adprobatos, et hi magistri in lingvis, literatura, philosophia, et historia docent quae Episcopo videntur expedire ; Episcopus autem programma regulat in consilio duorum Canonicorum Ca-

Digitized by Google

thedralis Ecclesiae, rationes autem de materiali administratione a deputatis ecclesiasticis praestantur Episcopo, quia dotatio Seminariorum, secundum normas per idem Concilium praescriptas originarie provenit e mensa Episcopali „ex fructibus integris Mensae Episcopalis," dein ex Capitulorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum; verbo, totum, quidquid respicit Seminarium, debet esse ab Episcopo stabilitum „Omnia et singula decernere et providere." (C. Trid.) Ex his manifeste apparet, per S. Oecumenicum Concilium disponi, ut Seminaria fundentur per Episcopos, atque ad scopum moralem, literarium et scientificum regulentur; in respectu administrationis materialis ab iisdem dependeant; unde si auferatur etiam Minister a publica institutione, poterunt existere scholae publicae, et publicae Universitates florentes, quemadmodum longa temporis periodo de facto exstitere, et actu existunt in libera Anglia, et ipsi Galli incipiunt observare posse constitui adminus unum Professorem ministrum responsabilem super educatione nationali. Sed si auferatur ab Episcopo, poterit existere Lyceum aut Gymnasium etc. . . sed Seminarium? nunquam. Si itaque Seminaria mediantibus Episcopis in omnibus et per omnia sunt exclusivi Ecclesiae dominii, reddite ergo quae sunt Dei Deo, erit unanimis semper Episcoporum catholicorum clamor, nec existet vis humana, quae vocem proprii officii suffocet, nec poterunt unquam consentire, ut Clerus, electus ille exercitus, quem Ecclesia cum speciali et sancta ordinatione a reliquo populo christiano separat, sustineat a laicis dici, quod sit futurum tempus, quo hi eundem instruant in veritatibus quae credendae, in virtutibus quae exercendae sunt, et ipsa gemat sub flaccida doctrina laico-universitaria. In materia hac non datur terminus medius; unde voci nostrae de 1. Oct. 1863 apposite correspondent docti et zelosi Praesules Marcarum et Umbriae, et consentient omnes energici Confratres nostri Italiae superioris, si ad eorum etiam Seminaria extendi intenderetur praedicta sacrilega usurpatio, utpote obligati omnes obedire voci S. Matris nostrae Ecclesiae catholicae, Apostolicae, Romanae, nobis praecipientis dissolvere potius Seminaria, quam illa sic profanari permittere.

Digitized by Google

Eapropter nos infrascripti Archi-Episcopi, Episcopi et Ordinarii Provinciarum Neapolitanae et Siculae, qua fideles custodes depositi a Deo et Ecclesia nobis concrediti contra saepefatas praetensiones solemniter protestamur, et priusquam aggravemus conscientias, et culpabili silentio sacrosanctorum iurium proditores efficiamur, rectoribus et magistris omnium Seminariorum nostrorum declaramus, non secus et integris dioecesibus nostris, ut si iustissimae reclamationi nostrae haud deferretur, et contra omne ius et iustitiam, contra constantem seculorum usum memoratae Circulares Seminariis Episcopalibus adplicarentur, aut vero praelaudata per Concilium Tridentinum decreta Constitutio absolutam et inviolabilem independentiam ecclesiasticam praecipiens, vel in minimo mutaretur, omnia Seminaria nostra qua ipso facto soluta, et a nobis ipsis praeclusa considerent. Domine Custos Sigilli! e consideratione praemissorum rogamus, velit meminisse ministri collegae sui, qui Seminaria secularisare, eaque immediate dissolvere, et evertere voluit: destruere Seminaria est Ecclesiae negare medium, ope cuius colligitur militia clericalis, quae orationis et doctrinae armis propagat regnum Iesu Christi; evertere Seminaria est idem, ac repetere antiquum illum clamorem: Nolumus hunc regnare super nos. Ast clamor iste fatalis est! Eum pronunciavit populus Deicida, et ubi est? Eum pronunciarunt Imperatores Romani, et ubi sunt illi? Eum repetiere Imperatores Occidentis, et quis eos commemorat amplius? Pronunciarunt alii praepotentes nobis vicinissimi, et quis fuit illorum finis? . . . Ex adverso Ecclesia catholica est societas organisata, a novemdecim seculis vivens, docens, et agens, et a se ipsa probas suppeditans mirabilis expansionis in universo mundo, non minus, quam virtutis resistentiae durabilitate operum suorum. Ipsa pertransit aetates, quin detrimentum capiat a conflictibus populorum semet dilaniantium, aut a ruinis imperiorum, quae conciderunt; idque propterea, quia ipsa est personificatio illius Iesu Christi, qui est lapis angularis, in quo scriptum est: Qui ceciderit super hunc lapidem, conteretur, super quem vero lapis iste ceciderit, conteret eum. Sic stat scriptum, praeteritum autem est certum augurium futuri. Suscipiat

Digitized by Google

interim nostras anticipatas gratiarum actiones. 18. Dec. 1864. — L'Unita Cattolica. 1865. p. 6.

1664.

Archi-Episcopi, Episcopi et Vicarii generales Capitulares Dioecesium in Provinciis Taurinensi et Vercellensi, de Registris Parochialibus super baptismo etc. porro quoque per Parochos ducendis. 1865.

Sancta et benigna Mater nostra Ecclesia, divinam suam missionem in ducendis ad viam salutis populis impletura providentissima disciplina adiuvabat eos semper in respectu etiam temporali; cuius veritatis, praeter alia splendida et innumera monumenta testimonium praebet antiquissima institutio librorum sive registrorum parochialium Baptismi, Confirmationis, Matrimonii, mortis et status animae, cum perenni emolumento individuorum, familiarum et nationum. In mundo catholico per secula gubernia et populi alia non habuerunt documenta genealogiarum, et pro usibus civilibus. SS. Concilium Tridentinum dispositiones eatenus renovavit; Rituale Romanum continet formulas, quas S. Sedes, omni tempore ad aequa, et rationabilia principum desideria secundanda propensa, condescendendo ad Concordatum cum Rege Carolo Alberto anno 1836, praescripsit, ut ducantur lingua italica, et redigantur non mutata modalitate. Nunc potestas civilis, seposito ad partem Concordato, ordinavit, ut sui officiales teneant registra nativitatis, matrimonii et mortis, quo facto sufferuntur in respectu civili speciales dispositiones, per S. Sedem medio eiusdem Concordati datae. Sed subversantibus semper, quorum intuitu per S. Sedem introducti et praescripti fuerunt libri et registra parochialia, gravibus motivis, perdurant eae, quae concernunt praeindicatum ius publicum ecclesiasticum, et per parochos adimplendae sunt praescriptiones, officiumque nostrum est eas exigere, earumque observantiae intendere. Itaque post maturum consilium, et imploratum auxilium divinum decernimus et ordinamus:

Digitized by Google

1. In singulis parochiis, Vicariatibus et succursualibus ad id auctorisatis tenebuntur libri baptismatis, confirmationis, matrimonii, mortis et status animae, quibus inserendae erunt administrationes baptismi, confirmationis, matrimoniorum, obituum cum descriptione familiarum. Libri hi recipiendi erunt ad expensas Ecclesiae ab Ordinariis, qui eos facient praeparari, vidimabunt, et in quovis casu debent esse completi, in nexu cum alio constituti.

2. Continuatio connotationis functionum baptismi, matrimonii et obitus fiet iuxta formas simplificatas in sensu Rituales, quae suppeditabuntur cum adnexa instructione ; matrimonia autem subscribenda erunt per partes et testes, qui, in quantum fieri potuerit, deligendi erunt e maribus et maiorennibus. Aderit praeterea registrum pro insertionibus functionum in alia parochia peractarum ; eae, quae in alia Dioecesi peragentur, inseri non poterunt, nisi obtento a parte Ordinarii Dioeceseos consensu.

3. In fine cuiusvis anni registra harum functionum ut superius, descripta, per respectivos rectores concludentur cum designatione numeri totalis per annum occurrentis, et intra mensem copia eorum cum praevia designatione per eosdem rectores mittetur Ordinario Dioecesis, cum adiecto testimonio, quod sit collata, et originali conformis. Curiae dioecesanae inhibentur ab extrodandis extractibus.

4. Inscriptio functionum continuabitur in eodem libro donec fuerit spatium. Subscriptio rectoris in fine cuiusvis anni deposcitur. Completus, et authenticatus liber, cum apposita in fine designatione functionum inibi contentarum reponetur in Archivo Parochiali. Stricte autem prohibemus communicare cuicunque regestra haec parochialia, aut efferre illa extra domum sine speciali indultu nostro.

5. Non licebit, imo stricte prohibetur rectificatio cuiusvis actus nativitatis, matrimonii aut obitus, aut qualecunque additamentum sine obtento a parte Ordinariatus dioecesani eatenus indultu.

6. Liber confirmatorum teneri et scribi debet iuxta formam in Rituali contentam, cum praescriptis adnotationibus

Episcopi, loci et Ecclesiae, in qua administrata est Confirmatio, parentum, patrinorum et matrinarum.

7. Status animae redigendus erit iuxta modalitatem, quam praescribimus, quae omnes substantiales indicationes in Rituali attactas continendo, deserviat tamquam index aliorum quinque librorum, et insigne praebebit in occurrentibus quaesitionibus adiutorium, et maxime in eruenda parentela.

8. Rectores quoad extractum baptismi, confirmationis, matrimonii et obitus requisiti, hunc expedire poterunt in charta libera, et forma in regestro contenta. Deservient autem pro usu mere ecclesiastico, nec admittentur alii, quam propriis registris hausti, et a parocho subscripti.

9. Occurrente casu baptismatis, matrimonii aut obitus personarum alterius parochiae aut Dioeceseos, curabunt parochi, ut desuper parochus domicilii legalis aut habitualis edoceatur, et si opus fuerit, extractus concernentibus personis, insertionem desiderantibus extrodetur.

10. Vicarii foranei, aut alii ab Ordinario Dioeceseos deputati semel in anno, libros et registra parochialia totius Districtus Vicariae suae debebunt revidere, occurrentes reflexiones rectoribus pobere, visam suam apponere, et irregularitatem si quae locum haberet, Ordinario referre. Parochus senior id ipsum faciet quoad registra parochi Vicarii foranei. In Sede Episcopali fiet istud per Vicarium generalem.

Praesens nostra Dispositio intra sacras functiones dominicae primae post perceptionem publicabitur, et dein reponetur et conservabitur in Archivo parochiali una cum respectiva instructione. — Mense Decembri 1865. — L'Armonia. 1865. p. 1201.

1665.

Pius IX Allocutione ad S. Collegium die 29 Octobr. 1866 habita reprobat et damnat facta nova Gubernii Subalpini Ecclesiae potestati ac iuribus adversa.

Non semel, ven. fratres, afflictas iamdiu in Italia sanctissimae nostrae religionis res, gravissimasque nobis et

Digitized by Google

Apost. Sedi a Subalpino Gubernio illatas iniurias tum nostris literis in lucem editis, tum variis Allocutionibus in hoc amplissimo vestro consessu habitis pro nostri apostolici muneris officio deploravimus; ac vel facile intelligitis, quanto in dies conficiamur moerore, cum videamus idem Gubernium maiore quotidie impetu catholicam Ecclesiam, salutares eius leges, sacrosque ministros indesinenter impetere. Etenim proh dolor! Sacrorum Antistites et integerrimi utriusque Cleri viri et alii honestissimi catholici cives, nulla religionis, iustitiae, ac vel ipsius humanitatis ratione habita, ab ipso Gubernio magis in dies vel in exilium eiecti, vel in carcerem detrusi, vel ad coactum domicilium damnati, indignis quibusque modis vexati, Dioeceses cum maximo animarum damno suis orbatae Pastoribus, Virgines Deo sacrae e propriis Monasteriis expulsae, et ad mendicitatem redactae, Dei templa violata, eppalia Clericorum seminaria clausa, miserae inventutis institutio christianae disciplinae erepta, erroris et iniquitatis magistris commissa, et Ecclesiae patrimonium usurpatum ac distractum. Cum autem Gubernium idem ecclesiasticis despectis censuris, ac iustissimis nostris et ven. fratrum Sacrorum in Italia Antistitum reclamationibus plane spretis, plures constituerit leges Catholicae Ecclesiae, eiusque doctrinae iuribusque maxime adversas, et ideirco a nobis damnatas, non dubitavit quoque de civili, uti appellant, matrimonio legem ferre, quae non solum catholicae doctrinae, verum etiam civilis societatis bono summopere adversatur. Hac enim lege matrimonii Sacramenti dignitas et sanctitas proculcatur, eiusque institutio evertitur, ac turpissimus fovetur concubinatus. Namque inter fideles matrimonium esse non potest, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, ideoque ad Ecclesiae potestatem omnino spectat ea omnia decernere, quae ad matrimonii Sacramentum possunt pertinere. Atque etiam idem Gubernium manifeste laedens publicae Consiliorum Evangelicorum professionis statum, qui in Ecclesia Dei semper viguit et vigebit, planeque contemnens maxima beneficia Regularium Ordinum, qui a Sanctis viris fundati et ab Apost. Sede probati tot gloriosis laboribus, ac piis utilibusque operibus de christiana, civili ac literaria republica optime sunt meriti,

Digitized by Google

minime reformidavit legem sancire, qua in omnibus regionibus sibi subiectis omnes utriusque sexus Religiosas Familias suppressit, earumque omnia et alia multa Ecclesiae bona sibi usurpavit, ac divendenda constituit. Antequam vero in possessionem Venetae provinciae pedem poneret, ad illas quoque regiones eadem decreta et easdem leges extendere non dubitavit, et Conventionem a nobis cum carissimo in Christo filio nostro Francisco Iosepho Austriae Imperatore initam ibi penitus delendam, ac nullam vim nullumque robur habere contra omnes leges et iura decrevit. Itaque iuxta gravissimum nostri apostolici ministerii officium in hoc nobilissimo vestro conventu iterum pro Religione, pro Ecclesia, sacrisque eius legibus, pro huius Petri Cathedrae iuribus et auctoritate Pontificiam nostram vocem attollimus, et omnia et singula, quae sive in his, sive in aliis rebus ad Ecclesiam, eiusque iura pertinentibus contra ipsam Ecclesiam et illius iura ac leges a Subalpino Gubernio et ab inferioribus quibuscunque Magistratibus decreta, gesta et attentata sunt, vehementissime querimur et reprobamus. Ac decreta ipsa cum omnibus inde secutis auctoritate nostra apostolica abrogamus, ac nullius prorsus roboris et valoris fuisse et fore declaramus. Ipsi autem illorum auctores, qui christiano nomine gloriantur, meminerint ac serio considerent, se misere incidisse in censuras poenasque spirituales, quas Apost. Constitutiones et Oecum. Conciliorum decreta in Ecclesiae iurium invasores ipso facto incurrendas infligunt. (Post plura de temporali ditione pontificia memorata, prosequitur:) — Atque hic haud possumus, quin pro nostri muneris ratione omnes Summos Principes aliosque populorum moderatores vehementer in Domino obtestemur, ut aliquando intelligant, ac sedulo considerent gravissimum, quo tenentur, officium curandi ut in populis religionis amor cultusque augeatur, ac totis viribus impediendi, quominus in eisdem populis fidei lumen exting atur. Vae autem illis dominantibus, qui obliviscentes se esse ministros Dni in bonum, praestare id neglexerint, cum possint ac debeant; et ipsi vehementer paveant et contremiscant, quando sua praesertim opera pretiosissimum destruunt thesaurum catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo. Namqua

Digitized by Google

ante tribunal Christi durissimum subeuntes iudicium videbunt, quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis, ac severissimam eius experiri iustitiam. —

1666.

Episcopi provinciarum ita dicti Regni Italici Romae exulantes, et per Gubernium ad capessendas Sedes suas revocati, suam declarationem mittunt ad Ministerii Praesidem. 1866.

Domine Praeses! Obiectum Circularium ad Praefectos de 22. Octobris p. p. revocationes Episcoporum quocunque modo a Sedibus suis elongatorum respiciens, motivum consolationis suppeditavit omnibus, non saltem quod terminos ponat exilio nostro, sed quia quilibet nostrum est persuasus cum invicto defensore Ecclesiae S. Athanasio, „quod absentia pastorum occasionem praebeat lupis invadendi gregem, de quo quilibet strictas reddere debet rationes illi, qui talem ei commisit.“ Aliud consolationis motivum subministrarunt magnae considerationes generales, quibus in Circulari motivata declaratur revocatio. Non potuimus revera nobis non complacere in solemni illa declaratione per Regimen facta, quod scilicet aestimet Religionem immensae maioritatis Italorum, qui cum omnes sint catholici, excepta exigua fractione, in vallibus Alpium reclusa, potuit omnino Statutum declarare Religionem catholicam esse solam Religionem Status, aliis cultibus hoc tempore existentibus, solummodo toleratis. Hinc facile comprehenditur, qualiter cesset conturbatio timoratarum conscientiarum, sufferantur impedimenta regularis cursus religiosi servitii cum revocatione Episcoporum, qui cum Papa constituunt primum gradum sacrae hierarchiae, cui a divino fundatore Iesu Christo Domino nostro concredita fuit religio catholica. Laudavimus etiam Dominum legendo aliud Gubernii promissum, se nempe acturum, ut ab abstractis regionibus, in quibus hactenus constituebatur, transitus fiat in

Google

realitatem factorum, et implementum relationum perfectae libertatis Ecclesiae cum Statu. O! Utinam sic; ut possit quo oeyus etiam Italia gaudere magnifico illo et imponente religioso spectaculo, quo hodie fruuntur liberi cives Unitorum Statuum Americae, admirantes Baltimore plures quam quadraginta Archi-Episcopos et Episcopos, praeter infulatos Abbates et Praelatos inferiores, ac sacerdotes in Concilio nationali ad normam legum Ecclesiae coadunatos, quin auctorisatione aliqua opus fuisset ab ulla auctoritate foederali aut alterius status particularis: qui post missam homagii salutem illi, qui super universa Ecclesia tenet primatum, Suam Sanctitatem, immortalem Pontificem Pium IX. precando illi longam vitam cum conservatione omnium Ecclesiae inrium, occeperunt sanctas suas discussiones cum illimitata libertate, eis sine ulla restrictione concessa, et absque omni cautela eis pro favore alicuius localis aut foederalis legis imposita; et postquam Conciliaria decreta per Papam adprobata fuissent, publicata et in executionem sumta fuerunt in qualibet civitate et pago cum omni spirituali sanctione, absque exequatur aut placeto. Utinam sic, perfecta libertas Ecclesiae; et non viderentur in Italia amplius praefecti arrogare sibi alienam auctoritatem determinandi, quaenam sint festa religiosa cum exteriori apparatu celebranda, aliis intra limites Ecclesiae restrictis; assignandi ad erogationes cultus numerum lychnorum et lampadum quae accendi possint; determinandi horam et momentum, quo incipere et terminari debeant functiones sacrae, dum interim profanis spectaculis illimitatam tribuunt libertatem. Subiiciunt porro Circulares, quod cum reditu Episcoporum dignitas et honor nationis, et auctoritas Gubernii lucrentur, et id quidem recte; non deest pro hoc et alio motivo humano unquam accessorium et hominibus seriis indignum, ntut principium fundamentale, quod solidissimum Status fulcrum sit doctrina catholica, Episcopi catholici et in capite eorum Papa, prae oculis habeant semper. Iuxta quod perfecte solutum est magnum illud sociale problema, ante Calvariam insolubile inter gentes ad eum statum positas, ut sint victrices aut victae, vel per civiles discordias laceratae; loquimur hic de problemate libertatis et aequalitatis hominum

Digitized by Google

in harmonia cum obedientia absoluta; in quantum pauci qui imperant et multi qui obediunt secundum doctrinam catholicam pro communi et absoluto domino suo Deum recognoscunt, qui in coelis est; taliter, qui in societate imperat, non suo sed Dei nomine id facit, et qui obedit non homini sed Deo obedit. Quasi liberi, sed sicut servi Dei, ut docebat primus Papa S. Petrus. Hac ratione regnat in societate ordo, et pax, quae est tranquillitas ordinis inter cives, perdurat. Obiectum itaque Circularium, et generales considerationes, quibus motivabantur, e corde id pronunciamus, spem nobis adtulit, et consolationem.

Sed eadem cum libertate subnectere debemus, quod eaedem Circulares in personali consideratione nos profunde contristaverint. Revera enim continent amaritudinem quamdam contra omnes Episcopos, a Dioecesibus suis elongatos, et in unam cathegoriam positos cum inimicis, qui periculo exposuerunt existentiam nationis, quae in conspectu problematis esse aut non esse, recurrere debuerit ad media extralegalia. Domine Praeses! cuivis est notum iuris adagium, quod nemo praesumatur reus, nisi prius qua talis probetur! Sed Circulares nullam attingunt probam; nos ex adverso negativo asserto opponimus parte ex una factum Episcoporum Neapolitanorum, ne de nostris solum loquamur; alii subiecti durae carceris aut domicilii coactivi probae; alii signum facti sacrilegae sicariae necis, aut maiori expositi vitae periculo; et ultra hoc, plures quam sexaginta a Dioecesibus elongati, fugitivi, angustiati, afflicti, ferme mendici omni ecclesiastico reditu privati, facti omnes et singuli in signum contradictionis, et opprobrii; ex alia parte opponimus aliud factum emissariorum politiae, qui occupant literas, pervestigant domicilia, sequestrant correspondentias; et ipsa etiam tribunalia, quae contra Episcopos procedunt, per multos menses prolongant labores criminalis instructionis. Et quale fuit unquam huius resultatum? Cum voluntate adeo efficaci a parte revolutionis et gubernii ne minime quidem potuit appingi Episcopis macula politica, vi cuius ad forum accusatorium potuissent deferri. Et estne ita, quod insidiae struantur Gubernio? et recentiores praeexistant probae politicarum

Digitized by Google

machinationum? Desuper omittimus iudicium cuivis sensato. Conclusio dein Circularium est pro omni honesto cive adhuc dolorosior. Ea, supponendo reduces Episcopos non solum culpabiles, sed post tantas afflictiones, incorrigibiles, denunciat eos nationi qua capaces seductionis ad civiles discordias, et calumniandum gubernium; proponat ergo heroicum remedium ad eos subiiciendos strictae superinspectioni sub maxime legali et energica provisione. Reipsa sufficeret respondere, quod praeteritum nostrum ultimorum sex annorum sit assecuratio futuri. Ast non; assecuratio, quam praebent Episcopi reduces, non existit in Codice, ad quem Circulares provocant, et qui semper eludi potest, utut sit summe efficax et sublimis; illa stat in Codice divino doctrinae catholicae, iuxta quam Episcopi catholici, sicut in conscientia docent cum magno Pontifice Pio VI esse obligationem civis „nullam capere partem in ulla conspiratione, aut seditione contra constitutum regimen, debere esse subiectum et obedientem in omnibus, quae legi divinae, et ecclesiasticae contraria non sunt," sic cum immortali supremo Hierarcha feliciter regnante declarant, rebellionem esse damnabilem et semper funestissimam. Post haec restaret adhuc adiungere particulares nostras protestationes contra odiosissimam exceptionem, qua Circulares concluduntur, contra Episcopos Romae commorantes, postquam aequaliter cum aliis confratribus nostris et nonnulli pluribus vicibus, iisdem inquisitionibus, pervestigationibus iudiciariis subiecti fuimus, quin speciosus aliquis praetextus adversus nos produci potuisset. Sed ab his abstinemus, cum voce publica pro revocatis habeantur. Infrascripti ergo a iustitia domini Praesidis Ministrorum exspectant, ut oblivioni tradat secundam Circularium partem, omnibus Episcopis iniuriosam, exhibendo se pro futuro in eis fidentem, tam relate ad Episcopos in variis Regni provinciis, quam Romae commorantes, sub vigili oculo Pastoris Pastorum, et communis Patris universorum fidelium. — Romae, 15 Nov. 1866. — L'Unita Cattolica. 1866. p. 1302.

Digitized by Google

1667.

Devota precatio in praesentibus Ecclesiae calamitatibus a Pio IX PP. indulgentiis ditata. 1866.

„Iesu dulcissime, divine Magister noster! qui nefarias Pharisaeorum machinationes, quibus te frequenter impetebant, semper elusisti: dissipa consilia impiorum et omnium illorum, qui in pusillanimitate spiritus fallacibus suis argutiis populum tuum irretire ac circumvenire moliuntur. Omnes nos discipulos tuos illustra lumine gratiae tuae, ne forte corrumpamur astutia sapientum huius seculi, qui perniciosa sophismata sua ubique spargunt, ut et nos in errores suos pertrahant. Concede nobis tale fidei lumen, ut impiorum insidias agnoscamus, Ecclesiae tuae dogmata firmiter credamus, ac cavillorum axiomata constanter reiiciamus.“

Declaratio Card. Praefecti de Propag. fide, precationi huic subnexa: SS. D. N. Pius divina providentia Papa IX pie ac devote recitantibus praesentem orationem centum dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consveta benigne concessit. Romae, die 22 Oct. 1866. Al. Card. Barnabo. — L'Unita Cattolica. Torino. 1866. Nr. 254.

1668.

Decretum S. Poenitentiariae Romanae quoad Deputatos pro Parlamento sic dicto Italico electos. 1866.

Ad quaestiones propositas: 1. num electi ad Parlamentum quod vocant Italicum deputati munus hoc acceptare possint? 2. An et qualiter Eppi occasione similium electionum se gerere et in electionem influere possint ac debeant? Resp. Sacra Poenitentiaria re mature ac diligenter discussa, factaque de ea re relatione SSmo D. Pio IX, respondet: Ad primum: affirmative sub sequentibus conditionibus: 1. Ut deputati electi in emittendo iuramento fidelitatis et obedientiae

Digitized by Google

a lege praescripto adiiciant limitationem: ‚salvis legibus divinis et ecclesiasticis;' 2. ut huiusmodi limitatio fiat expresse in recitatione formulae ipsius iuramenti audientibus saltem duobus testibus; 3. ut ipsi deputati electi animo comparati sint et declarent, se numquam legibus improbis et iniustis favorem et suffragium esse laturos, imo huiusmodi leges, quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos. Ad secundum: nihil obstare, quominus Eppi et Ordinarii occasione electionum, quoties ad eas requisiti fuerint, in mentem populi revocent, quemcunque fidelium propriis viribus teneri ad impediendas mala et ad promovenda bona. Datum Romae, die 1 Dec. 1866.

1669.

Aliud decretum eiusdem S. Tribunalis de 14 Dec. 1866.

Dubia S. Poenitentiariae proposita, et responsa ab eadem data: 1. Potestne Eppus dioecesim primo ingrediens provinciae Praesides constitutos invisere? Rss. ad 1: nihil obstare, quominus expleantur urbanitatis officia. — 2. Potestne Eppus rogatus iusiurandum proferre, aut saltem quamnam novo rerum ordini observantiam promittere potest? Rss. ad 2: Negative, tum quia a ss. canonibus prohibitum est ecclesiasticis iuramentum emittere coram auctoritatibus laicis, tum quia iuramentum, prout proponitur, est illicitum, uti constat ex responso in literis 10 Dec. 1860 sub nr. 14. — 3. Regressus in suam dioecesim Eppus potestne cum viris auctoritate publica praeditis epistolarum commercia habere, itemque cum Syndicis, qui id temporis ex sui muneris officio ad Eppos scribunt? Rss. ad 3: Rem diiudicandam esse in casibus particularibus ex obiecto et fine, habita prae oculis sacra Eppi dignitate, et necessitate utilitateque Ecclesiae. — 4. Potestne Eppus aliive ex Clero hymno ‚Te Deum' politicam ob causam canendo dare operam, cum S. Poenitentiaria post bellum Venetum eius hymni cantum licere declaraverit? Rss. ad 4: Prout exponitur, non licere ex pluribus S. Poenitentiariae responsis, et ex

Digitized by Google

literis 10 Dec. 1860 nr. 1. Neque ad rem facere responsum datum ab ipsa S. Poenitentiaria circa cessationem belli, quo declaratum fuit licere cantum hymni ‚Te Deum' sub sequentibus conditionibus: dummodo scilicet cantus hymni Ambrosiani fiat solo fine gratias agendi Deo pro cessatione belli, et hic finis sit publice notus, et inde recitentur versiculi tantum communes, et unica oratio pro gratiarum actione, omisso quocunque alio versiculo et oratione. — 5. Quomodo in iis, quae contra Seminariorum institutiones Italum Gubernium iniuria exigit, se quisque Epporum gerere debet? Ubi vero ea eliminata ac deleta iam sunt, poteritne Eppus ad Gubernium se convertere, cum eoque agere, ut saltem quemdam ut vocant Convictum instar illius, qui Monte-Regali erectus est, aperire liceat? possuntne praeterea Seminarii Magistri se ad Gubernium convertere, ut tamquam publici Professores habeantur? Rss. ad 5: Satis provisum per instructiones circa Seminaria alias datas. Quoad vero Convictus instituendos S. Poenitentiaria censet eos expedire, quoties morum ac studiorum disciplina ab Eppo dependeat. Nihil autem obstare, quominus ad vindicanda ac restituenda Seminaria atque ad Convictus instituendos Eppus sive per se, sive per interpositas personas rem agat cum laicis Potestatibus. Ac pariter nihil obstare, quominus Magistri Seminarii tamquam privatae personae ad auctoritatem civilem pro licentia docendi aliquam artem seu scientiam recurrant. — 6. Quanam agendi ratione uti debet Eppus in bonorum Ecclesiae invasione ac venditione, dum et loqui gravis periculi causa esse possit, et silentium tamquam probantis seu assentientis indicium suscipi? quanam item ratione se gerere debet Eppus, Gubernio eorumdem bonorum titulos postulante, ac nisi sibi obtemperetur sequestra minitante? poteritne praeterea Eppus ad parochos et ad ceteros, qui Ecclesiae beneficiis potiuntur, encyclicas, quas ipsemet hac super re a Gubernio accipit, remittere? Rss. ad 6: Silendum vel loquendum, prout prudentia et fructus inde speratus dictaverit. Titulos vero violenter requisitos posse in casu necessitatis et ad evitandum grave damnum exhiberi; praevia tamen protestatione, qua declaretur se cedere coactioni, neque ullo modo cooperari pravis Guber-

itized by Google

nii intentionibus. Similiter posse Eppum notas facere per interpositas praesertim personas huiusmodi Gubernii violentias parochis aliisque beneficiatis ad finem eos docendi modum, quo sibi consulere possint, exhibendo praevia eadem protestatione titulos sub gravibus poenis seu damnis requisitos. — 7. Iuxta hodiernas in Italia vigentes leges Presbyteri officiis civilibus funguntur, uti Syndici iureiurando prolato, consiliarii quos vocant caritatis etc. potestne Eppus eosdem in officiorum suorum exercitio tolerare? Rss. ad. 7: Ex SS. Canonibus non licere Clericis absque legitima potestatis Ecclesiae licentia assumere et exercere officia civilia seu laicalia. Iuramentum, prout a Gubernio proponitur, esse illicitum, et eos, qui illud emiserint, teneri ad retractationem. Quoad consiliarios caritatis provisum per literas 10 Dec. 1860 nr. 12. Quoad vero Clericos in praemissis delinquentes, agendum ut infra ad 9. — 8. Onera Missarum, Legata pia, Capellaniae laicales etc. per viros a Gubernio electos unice praesenti tempore administrantur, qui etiam Capellanos ecclesiasticis officiis in templis gerendis nominant: poteritne id Eppus tolerare? Rss. ad 8: Dummodo nominati seu electi habeant necessarias qualitates, neque laedatur ius quaesitum tertii, posse Ordinarium illos tolerare, etiam et tamquam ex se, quatenus institutio requiratur, illis conferre Capellaniam seu Legatum, nulla facta mentione nominationis seu electionis illegitime peractae. — 9. Plerique Presbyterorum ecclesiasticas vestes exuerunt, ac nonnulli novo rerum ordine tecti ac freti Ordinario vocanti ac iubenti non auscultant: quanam agendi ratione erga eosdem uti Eppus debet? Rss. ad 9: Praemissis admonitionibus agendum prout prudentia dictaverit iuxta ss. Canones contra eos, qui non incedunt habitu et tonsura. Si autem Ordinarium non audierint, recurrendum esse ad S. Concilii Congregationem. — 10. Provinciarum Praefecti sibi ius arrogarunt constituendi, quinam festi dies exteriori pompa sint celebrandi, quaenam Processiones peragendae: poteritne id tolerari? Rss. ad 10: Affirmative attenta violentia, et exclusis semper novis festis ab auctoritate civili incompetenter institutis. — 11. Seminariorum Magistris poteruntne testimoniales literae ab Eppo tradi, ut a Gubernio

Digitized by Google

tamquam publici Professores ratihabeantur? Rss. ad 11: Nihil obstare, quominus Ordinarius concedat Seminarii Magistris literas testimoniales, quibus generice comprobetur eorum in docendo exercitium, et in scholis regendis peritia. — Romae ex S. Poenitentiaria, die 14 Dec. 1866. — Acta ex iis decerpta, quae apud S. Sedem aguntur. Romae. 1866. Vol. II. 675.

1670.

Allocutio Pii IX ad S. Collegium 22 Febr. 1867 habita de constituendis ad vacantes in occupatis per Gubernium Sardinicum provinciis Ecclesias Praesulibus.

Cum caritas Christi nos urgeret ad exquirendam rationem, qua prospicere possemus viduitati tot Italiae dioecesium: mense Martio anni 1865 epistolam manu nostra dedimus Serenissimo Regi Victorio Emmanueli, eum rogantes, ut aliquem ad nos delegaret, cum quo de tam gravi negotio agere liceret. Cumque votis nostris ipse obsequutus esset, inita reapse fuere colloquia; quae tamen culpa sane non nostra caruerunt exitu, nostrumque frustrata sunt desiderium, qui ad ea descenderamus acti vehementi studio procurandae salutis animarum, quam semper Sancta haec Sedes ceteris omnibus merito praetulit. Resumtum quidem nuper fuit negotium iis volentibus, qui rerum Italiae potiuntur; verum de hoc themate dicere, ven. fratres, non sine gravi tristitia et acerbo dolore valemus. Sacri enim Antistites, quos ad vacuas Sedes missuri sumus, non modo censum eppalis cuiusque mensae distractum invenient, sibique subductum quidquid propriae inopumque sustentationi nsui esse consveverat; sed, quod deterius est, etiam dispersos Sanctuarii lapides, deserta perfectionis religiosae confugia, claustrorum habitatores omni substantia orbatos, sacras virgines eductas e foramine petrae, quo se Deo iuvante receperant victurae ac moriturae in oculo Sponsi coelestis. Grave sane et ingratum est, ad huiusmodi Sedes in tanta praesertim publicarum rerum angustia Eppos destinare. Quid tamen in-

de ? Recedemusne idcirco a proposito ? Absit : pergant agricolae ad vineam a Deo plantatam et irrigatam sangvine Filii sui ; eant ipsam culturi in nomine Iesu Christi, potissimam ab eo opem expectantes ; adeant illam Deiparae patrocinio confisi, quae validissime eis suffragari poterit. Nam ipsa dum sapientiae sedes est ad replendos Pastoros disciplina intellectus, simul uti refugium peccatorum multos ex errantibus ad eos facile reducet ; uti afflictorum consolatrix compluriun per ipsos leniet miserorum aerumnas ; uti auxilium Christianorum iis obsequium filialemque multorum pietatem conciliabit, ut in plerorumque docilitate et affectu levamen inveniant gravissimo muneri suo, et solatium in certamine exercendo adversus hostes Dei et potestates tenebrarum, quae totius agri evangelici potiri conantur, miserandam in eo vastitatem inducturae. Itaque inter novos Pastores aliquot interim renunciabimus, qui ad Italiam pertinent ; fore fidentes, ut in futuris Consistoriis alios etiam atque alios renunciare liceat, si tamen iudicia, heu nimis dissimilia, hominum iuxta seculi placita viventium cum nostris convenire possint, inprimis quoad personarum electionem. Plura dicere de praesenti rerum conditione non attinet ; futura vero, nisi mutatio dexterae Excelsi intercedat, satis aperte praenunciatur ab exacta iam tristissimorum eventuum serie. Nobis tamen confidendum est Deo, qui sicuti suffragantibus Immaculata Virgine sanctisque Apostolis nos hactenus sub umbra alarum suarum tam perspicue protexit, sic tandem, uti speramus, convertet luctum nostrum in gaudium. Optatissimum hunc exitum, ven. fratres, urgere ac maturare nitamur precibus nostris, animorum concordia, christianarum omnium virtutum exercitio.

1671.

Allocutio de 20 Sept. 1867. adversus decretum per Gubernium sic dictum Italicum venditionem bonorum eccles.

Universus catholicus orbis noscit, ven. fratres, maxima damna, gravissimasque iniurias Catholicae Ecclesiae, nobis et huic Ap. Sedi, Eppis, sacrisque administris, Religiosis utriusque sexus familiis, aliisque piis Institutis a Subalpino Gubernio pluribus abhinc annis illatas, omnibus divinis humanisque iuribus conculcatis, et eccl. poenis ac censuris plane despectis, quemadmodum saepe lamentari et reprobare coacti fuimus. Idem vero Gubernium quotidie magis vexans Ecclesiam eamque opprimere contendens, post alias editas leges ipsi eiusque auctoritati adversas et idcirco a nobis damnatas, eo iniustitiae devenit, ut minime exhorruerit legem proponere, approbare, sancire et promulgare, quae in suis et usurpatis regionibus temerario ac sacrilego prorsus ausu Ecclesiam propriis omnibus bonis cum ingenti ipsius quoque civilis societatis damno spoliavit, sibique vindicavit, et eadem bona vendenda constituit. Omnes profecto vident, quam iniusta et quam immanis sit haec lex, qua et inviolabile possidendi ius, quo Ecclesia ex divina sua institutione pollet, oppugnatur, et omnia naturalia, divina et humana iura proculcantur, omnes utriusque Cleri viri de re catholica et humana societate optime meriti, et Virgines Deo sacrae ad tristissimam egestatem ac mendicitatem rediguntur. In tanta igitur Ecclesiae ruina omniumque iurium eversione nos, qui ipsius Ecclesiae et iustitiae causam pro supremi apostolici nostri ministerii officio studiosissime tueri, defendere et vindicare debemus, nullo certe modo silere possumus. Itaque in hoc amplissimo vestro conventu nostram extollimus vocem, et commemoratam legem auctoritate nostra apostolica reprobamus, damnamus, eamque omnino irritam et nullam declaramus. Ipsius autem legis auctores et fautores scia nt se misere incidisse in eccles. poenas et censuras, quas sacri canones, apost. constitutiones, et ge-

Digitized by Google

ner. Conciliorum decreta ipso facto incurrendas infligunt contra Ecclesiae eiusque iurium ac bonorum usurpatores et invasores. Paveant insuper et contremiscant hi acerrimi Ecclesiae hostes, ac pro certo habeant, gravissimas severissimasque eis a Deo, Ecclesiae sanctae auctore et vindice, poenas parari, nisi vere poenitentes redierint ad cor, et illata eidem Ecclesiae damna resarcire ac reparare studuerint, quemadmodum nos vel maxime optamus, et a miserationum Domino humiliter enixeque exposcimus. — Ne desistamus levare animas nostras ad Dominum Deum nostrum, qui est multae misericordiae omnibus invocantibus eum, et ipsum iugiter oremus et obsecremus, ut strenue vobiscum stantes in proelio atque opponentes murum pro domo Israel, et Ecclesiae suae sanctae causam viriliter propugnare, et omnes Ecclesiae inimicos ad iustitiae salutisque semitas reducere possimus.

1672.

Pius IX PP. sic dictam Apostolicam in Sicilia Legationem et Monarchiam, eiusque Iudicem delegatum et Tribunal abrogat. 1864 et 1867.

Suprema universi dominici gregis cura nobis licet immeritis in persona beatissimi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus commissa omnino postulat, ut pro apostolici nostri ministerii officio omnium totius catholici orbis Ecclesiarum bono ac prosperitati studiosissime prospiciamus, et omnia conemur, quo sanctissima nostra fides ac religio ubique magis in dies vigeat, efflorescat, et eccles. disciplina servetur ac promoveatur, ac radicitus evellantur zizania, quae inimicus homo superseminavit in medio tritici, et omnes eliminentur corruptelae, quae animarum saluti et sacrarum rerum ordini vel maxime adversantur. Hinc vel ab ipso nostri Pontificatus exordio paternas nostras sollicitudines ad Siciliam convertimus, et Apostolicas quoque nostras literas annulo Piscatoris obsignatas, ac die 26 Ianuar. 1856 editas,

Digitized by Google

quarum initium ‚Peculiaribus', vulgavimus pro spirituali Siciliae utilitate, quae ab antiquis temporibus filia inprimis dilecta Romanae Ecclesiae, arctissimis praecipuae pietatis amoris et observantiae vinculis huic Apost. Sedi fuit obstricta. Summo autem animi nostri dolore maxima novimus mala et damna, quibus Sicilia ipsa iamdiu misere afflictatur. Ac serio considerantes omnia acta, quae haec S. Sedes pro eadem Insula edidit, perspeximus, rec. mem. Clementem XI decessorem nostrum merito atque optimo iure iudicasse, plurima eaque gravissima Siciliae mala abusus et corruptelas oriri ex praetensa Legatione ac Tribunali Monarchiae, quae concessa dicuntur ab Urbano II praed. nostro. Quocirca idem Clemens XI apostolico zelo incensus, X Kal. Martii a. 1714 suas sub plumbo edidit Pontificias literas, incipientes ‚Romanus Pontifex', quibus penitus abrogavit et extinxit praetensam Apostolicam Legationem, et ita appellatam Monarchiam, eiusque Tribunal; gravissimas causas luculenter exponens, ob quas huiusmodi consilium a se omnino suscipiendum esse existimavit. Postmodum vero Benedictus XIII praed. pariter noster, peculiaribus rerum ac temporum adiunctis, ac repetitis promissionibus adductus, eaque spe fretus, fore, ut Tribunali cum certis et immobilibus normis et regulis constituto omnes de medio tollerentur abusiones, die 30 Aug. a. 1728 apostolicas sub plumbo promulgavit literas exordientes ‚Fideli', quibus in Sicilia constituit Ecclesiasticum causarum Delegatum Iudicem eiusque tribunal cum facultatibus et legibus, quae nullo unquam modo immutari possent. Inanes vero fuere praelaudati nostri Decessoris spes, nam Iudex ille ac Tribunal retinens nomen Iudicis ac Tribunalis Monarchiae, se, veluti antea, ex praetensa Apostolica Legatione originem habere perperam censuit, ac laica potestas non solum idem tribunal dirigendum suscepit, verum etiam ordinationes, declarationes et pragmaticas sanctiones, Apostolicis literis ‚Fideli' adversas edidit, et insuper perrexit asserta exercere iura sic dictae Legationis a Clemente XI de medio sublatae, ac Delegatus Iudex magis Gubernii ordinationibus, quam memoratae Benedicti XIII constitutioni obsequi et adhaerere existimavit. Itaque haec Apost. Sedes haud omisit saepe reclamare et instare,

ut limites ab eadem Constitutione Benedicti XIII praescripti diligenter observarentur. Atque id occasione Conventionis infer hanc Ap. Sedem, et utriusque Siciliae Regem a. 1818 initae denuo fuit promissum, Regia etiam ordinatione edita, quae in epistolam Regii Administri dici 29 April. a. 1818. relata praecipiebat, ut omnes de medio tollerentur abusus, et limites in apost. literis ‚Fideli' statuti diligenter custodirentur. Sed repetita promissa minime servata fuerunt, nec exauditae tum nostrae ac nostrorum praedec. reclamationes et querelae, tum illae Epporum in Conventu ab ipsis a. 1850 in dicta Insula habito, etiamsi de gravissimis ageretur abusibus, ex quibus summa in Siciliae fideles damna ac detrimenta redundabant, quae iam omnes Sacrorum eiusdem Insulae Antistites in Concilio Tridentino existentes unanimi consensu apud Catholicum Regem Ecclesiae iura reclamantes vehementer deploraverant. Nos ipsi aliqua ex parte opportunum malis remedium adhibere curavimus, sed inutiles nostrae fuerunt sollicitudines. Etenim Legationis praetextu ecclesiasticae res maiori ex parte usurpatae, ac leges de eccles. disciplina perperam conditae, et haec Apost. Sedes impedita, quominus salutarem suam erga illas Ecclesias actionem exercere possit. Atque eo perventum est, ut in rebus ad eccl. disciplinam pertinentibus laica potestas minime pendere velit a Romano Pontifice, cuius vices se agere iactat. Iudex vero ita appellatae Monarchiae minime servans limites praescriptos ab apost. literis ‚Fideli', civilium ministrorum ordinationibus inserviens, eas temere exequitur, sibique vindicat facultates, quibus omnino caret, et gravaminis obtentu specieque ad se plane neglectis canonicis sanctionibus, per commemoratas literas ‚Fideli' enunciatis, causas avocat, et Eppos ad rationem reddendam ita cogit, ut ipsi raro possint prima etiam provocatione de causis iudicare, et impedit, quominus supremi Religiosarum Familiarum Moderatores suam auctoritatem in subditos sibi religiosos viros exercere qùeant, atque etiam interiori Regularium Ordinum disciplinae sese immiscere non dubitat. Hinc factum est, ut in Sicilia Epporum auctoritas cum summo eorum iurium damno et animarum salutis discrimine fuerit depressa ac deiecta, ut eccl. disciplina enervata, et Regularis

observantia fere destructa, et utriusque Cleri inobedientia adversus suos Praepositos promota ac defensa, ut Eppi et Regularium Ordinum Moderatores continua illius Tribunalis illegitima actione ac vi pressi haud possint impedire perturbationes, et quae tristia consequuntur ex nullitate actorum, quae ab eodem tribunali patrantur contra statuta et praescripta ab ipsis ‚Fideli' apost. literis. Accedit etiam, ut superiori fere exeunte seculo Messanae tribunal a civili potestate pro suo arbitrio fuerit perperam constitutum, quin ullo modo a Monarchiae Tribunali penderet. Ex quo luctuosissimo sane rerum statu tristissima illa in Siciliam variis temporibus redundarunt mala, quae potius lugenda quam commemoranda sunt, cum omnibus apprime cognita sint et perspecta, praesertim posteaquam ipsae nostrae apost. literae per summam iniuriam contemtae et pessumdatae fuere. Ac nisi nota esset eximia Siculorum erga hanc Petri Cathedram catholicae unitatis centrum fides pietas observantia et obedientia, necnon Epporum pro animarum salute sollicitudo, metuendum esset periculum, ne, si ita res progrederentur, Sicilia gravioribus etiam malis afflictaretur.

Cum igitur ex eodem tribunali superius enunciato, quod Monarchiae vocant, tot in Ecclesiam eiusque auctoritatem, iura ac disciplinam damna derivarint, ac derivent, et irritae fuerint iteratae huius Apost. Sedis expostulationes, quo tribunal idem praefinitos in apost. literis ‚Fideli' limites diligenter servaret, ac fallaces semper fuerint repetitae promissiones de tollendis corruptelis: idcirco nos in tot gravissimis malis, quae Ecclesiam in Sicilia affligunt, ac in tot maximis periculis, quae eidem Ecclesiae impendent, non solum nullo modo connivere possumus, verum etiam pro gravissimo supremi nostri apostolici ministerii officio mala ipsa et pericula omni cura studioque penitus amovere et eliminare debemus. Gravissimae enim culpae coram Deo reos nos esse existimaremus, nisi tot mala radicitus exstirpanda curaremus. Quocirca succidamus ac dissipemus oportet, ut Clementis XI praed. nostri verbis utamur, arborem illam, ex qua pessimi orti sunt fructus, cum Romanus Pontifex a Christo Domino aequi bonique assertor constitutus noxia omnia destruere ac radicitus evellere teneatur.

Etsi enim de rebus ageretur ab hac Apost. Sede ob legitimas causas forte unquam concessis, tamen huiusmodi concessiones revocandae et abolendae omnino essent, cum rerum ac temporum immutatis adiunctis experientia demonstret maxima orta esse et oriri damna ex hisce concessionibus, easque omnis generis corruptelis et abusibus aditum aperire, et Ecclesiae animarumque saluti maxime adversari. Itaque cum pro apostolici nostri muneris debito nullo modo possimus diutius ferre ac tolerare tot mala et corruptelas, ac permittere, ut Siculae Monarchiae privilegiorum obtentu Ecclesiastici Ordinis dignitas labefactata collabatur et concidat, peculiari ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium Congregatione in consilium adhibita, ac nonnullis dil. filiis Romanae Curiae auditis Antistitibus, motu proprio — hisce literis non solum suppressionem et abolitionem praetensae Apostolicae Siculae Legationis, ac ita appellatae Monarchiae, a Clemente XI decessore nostro factam confirmamus, verum etiam eandem Apost. Legationem et Monarchiam, quatenus opus fuerit, suprema nostra auctoritate iterum supprimimus, extingvimus, et abolemus; insuper saepe memoratam Constitutionem ‚Fideli' a Benedicto XIII itidem praed. nostro editam quoad Iudicem Delegatum in Sicilia, quem Monarchiae Iudicem vocant, eiusque tribunal una cum omnibus indultis, privilegiis et facultatibus, etiam in Apost. literis in forma Brevis expeditis tum fel. rec. Gregorii XVI praed. nostri incipientibus ‚Iamdiu' die 3 Mart. 1846 datis, tum nostris die 21 Ianuar. a. 1856 editis, quarum initium ‚Peculiaribus', et in quibuscunque aliis quovis titulo et causa a nobis et a praed. nostris quorumcunque meritorum intuitu et ratione praedicto Iudici Delegato eiusque tribunali concessis, et confirmatis, praesentium literarum tenore prorsus revocamus, et officium eiusdem Iudicis ac ceterorum officialium et ministrorum, dictumque tribunal una cum commemorato tribunali Messanae erecto, perpetuum in modum de medio tollimus, et in omnibus omnino extingvimus, cassamus et delemus. Volumus propterea et mandamus, ut illa omnia veluti plane extincta, suppressa et abolita, necnon respective rescissa, cassata, deleta, revocata, ac penitus abrogata ab omnibus haberi ac reputari debeant. Ceterum ad praemissa devenimus,

Digitized by Google

ut pro pontificia nostra sollicitudine Ecclesiae libertatem, ac nostram et huius S. Sedis, et Epporum ac Regularium Superiorum auctoritatem vindicaremus, et ecclesiasticam restitueremus disciplinam, ac periclitantium animarum saluti prospiceremus. Cum autem praecipua prorsus caritate fideles Siciliae populos merito prosequamur, qui avita religione ac pietate spectati, immobili fide et observantia nobis et huic Ap. Sedi constantissime adhaerere vehementer gloriantur, haud omittemus aliis nostris Apost. literis eorumdem fidelium incommodis ac dispendiis occurrere, concedendo opportunas facultates ven. fratribus Sacrorum in Sicilia Antistitibus, quos iidem fideles facilius et commodius adire poterunt. Haec volumus, statuimus, praecipimus, atque mandamus, decernentes etc. (solitae clausulae.) — Cum autem eaedem praesentes literae in Sicilia nequeant hisce praesertim temporibus tuto publicari, ut hactenus experientia compertum est, ac nobis per legitimas probationes satis superque constat, prout harum serie declaramus, et verendum sit, ne praetextu reprobatae legis de Regio Placito earumdem literarum exequutio impediatur: volumus illas et earum exempla etc. (de affixione solita ad valvas Ecclesiarum etc.) — Datum Romae anno 1864 V Kal. Febr. — Iubemus has nostras Apost. literas publicari die 10 Oct. 1867. Pius PP. IX. — La Civilta Cattolica. Serie VI. vol. 12. Roma. 1867. p. 341.

1673.

Eiusdem literae ad Eppos, Clericos, et fideles Siciliae in eodem merito.

Multis gravissimis aeque ac iustissimis causis permoti vel potius impulsi, per apostolicas nostras literas hodierno die sub plumbo datas ac perpetuo valituras suprema nostra apostolica auctoritate praetensam Apostolicam Siciliae Legationem ac ita appellatam Monarchiam, Iudicem Delegatum eiusque Tribunal, atque etiam alterum Tribunal Messanae, a civili potestate superiori fere exeunte seculo perperam insti-

tutum, notarios, scribas, ministros, et alios quoslibet officiales quovis nomine nuncupatos, dignitates, officia, ministeria, omnesque illorum titulos, denominationem omnino extinximus, suppressimus, delevimus, atque etiam omnia et singula, si quae essent illis et cuicunque illorum a nobis et a quibuscunque Romanis Pontificibus praed. nostris quomodolibet concessa ac pluries confirmata privilegia, facultates, indulta, penitus et omnino revocavimus, et abrogavimus, et illa veluti plane revocata, abrogata et extincta ab omnibus Christifidelibus haberi et aestimari debere voluimus et mandavimus. Verum eodem tempore de vestra utilitate et bono summopere solliciti, et idcirco vestris incommodis paterna nostra sollicitudine occurrere exoptantes, cognovimus alium a nobis modum esse statuendum, quo ex ss. canonum norma causae ad ecclesiasticum forum pertinentes, extincto et abolito munere et officio Iudicis Delegati eiusque Tribunali, possint rite cognosci, iudicari, et ad debitum finem adduci; ac propterea perspeximus, pro earumdem causarum cognitione et fine in ista ipsa Insula a nobis peculiari ratione esse providendum. Ex quo profecto omnes non solum magis magisque intelligunt, summam esse paterni nostri animi in vos caritatem, ac singularem de vestris commodis et utilitatibus curam; verum etiam clare aperteque agnoscunt, nos ad praemissa devenisse, ut gravissima amoverentur scandala, et mala, quibus Siculi fideles vehementer affligebantur, utque Ecclesiae et huius Ap. Sedis auctoritati, dignitati et honori, et Epporum iurisdictioni atque animarum saluti consuleretur. Itaque diturna et accurata adhibita consultatione, rebusque omnibus diligentissime perpensis, prout rei gravitas omnino postulabat, et auditis nonnullis ven. fr. S. R. E. Cardinalibus ac dil. filiis Romanae Curiae Antistitibus, consilio doctrina ac sacrarum legum scientia rerumque gerendarum peritia praestantibus, pro facili et recta earumdem causarum cognitione et tractatione, sequentem normam statuere, praescribere et sancire decrevimus, quam ab iis omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit, diligenter inviolabiliterque observari volumus, praecipimus et mandamus. (Sequitur norma fori ecclesiastici XV capitibus comprehensa, e qua unice passus illos notamus, qui ad supre-

Digitized by Google

mum ius S. Sedi reservatum se referunt:) — VII. Caveant tamen omnes Ordinarii locorum, ne causis, quae maiores appellantur, quaeque apud Sedem Apost. tractari debent, sive in prima sive etiam in alia ulteriori instantia ullo pacto sese ingerant, aut immisceant, sed illae iuxta commemorati Tridentini Concilii et ss. canonum, et Apost. Constit. praescriptum in Romana duntaxat Curia, vel a Iudicibus, quos Romanus Pontifex pro tempore existens specialiter deputaverit, cognoscantur. Insuper caveant quoque, ne cuipiam intercipiatur ius sive in prima sive in ulteriori instantia omisso medio adeundi S. Sedem pro obtinenda cognitione et definitione aliarum causarum, quas minores vocant, dummodo tamen partium accedat consensus. VIII. Nulli praeterea ex supradictis sive primae sive secundae sive etiam tertiae instantiae Iudicibus, nec cuiquam alteri eccl. Iudici cuiuscunque gradus et conditionis, etiamsi Legati a latere dignitate insignito, potestas sit ullo unquam tempore quempiam absolvere, etiam cum reincidentia et ad effectum agendi tantum, a censuris eccl. per Apostolicas Constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur. Caveant item omnes praedicti, ne, postquam eaedem censurae ab ipsis declaratae ac promulgatae fuerint, ullo modo sese ingerant aut immisceant cognitioni, an illae earumve declaratoriae validae aut nullae, iustae aut iniustae sint; cum eiusmodi cognitionem Romano tantum Pontifici pro tempore existenti competere satis constet et exploratum sit. XII. In Regulares et in eorum causas nulla AEppis et Eppis per praesentes literas facultas conceditur, sed in eos et in illorum causas in casibus a iure permissis ea tantum auctoritate uti poterunt, quae Ordinariis iuxta ss. canones, Concilium Tridentinum et Apost. Constitutiones revera competit. Quapropter ipsi Ordinarii nullo modo poterunt praetergredi limites a iure praescriptos, et impedire, quominus Regularium Ordinum Superiores ad normam ac tramites peculiarium cuiusque Ordinis Constitutionum suam iurisdictionem auctoritatemque libere exerceant, ac procedant; secus sententiae ab AEppis et Eppis latae et omnia alia acta ab ipsis gesta nulla et irrita omnino sint. — (Conclusio:) Iam vero maiore qua possumus animi nostri contentione vos etiam atque etiam monemus, hor-

Digitized by Google

tamur et obsecramus, ven. fratres, ut illa Eppali fortitudine, qua omnes Sacrorum Antistites pollere debent, ea omnia, quae constituimus, atque sancivimus, servanda ac perficienda curetis, et singularem adhibeatis vigilantiam, ut omnes vobis subiecti eadem diligentissime exequantur. Ac vestrum zelum vehementer in Domino excitamus, ut hisce praesertim calamitosissimis christianae civilisque reipublicae temporibus, quibus Dei hominumque hostes nefariis omnis generis molitionibus Arcem Sion quaquaversus invadere, et in hanc Petri Sedem, quam Redemtor noster Christus Iesus posuit in columnam ferream, et in murum aeneum adversus principes tenebrarum, irruere, et sanctissimae religionis fundamenta convellere, omniumque animos mentesque corrumpere connituntur, pro loco quem tenetis, pro dignitate qua insigniti estis, et pro potestate quam accepistis a Domino, velitis Catholicae Ecclesiae causam, iura, doctrinam, libertatem ac disciplinam impavide tueri, propugnare, et animarum saluti studiosissime consulere. Nihil igitur intentatum, nihilque inexpertum unquam relinquite, ut fideles vobis concrediti quotidie magis enutriti verbis fidei, et religionis ac pietatis sensibus incensi ambulent digne Deo per omnia placentes, ac summa nobis et huic Petri Cathedrae observantia constantissime adhaerere, debitamque Ecclesiae legibus, disciplinae, ac ss. canonum sanctionibus reverentiam et obedientiam profiteri glorientur. Atque omnium coelestium munerum auspicem et praecipuae nostrae in vos benevolentiae pignus Apost. bened. ex imo corde profectam vobis peramanter impertimus. Datum Romae die 28 Ian. 1864. — La Civilta Cattolica. Roma. 1867. Ser. VI. vol. 12. p. 470.

1674. Monitorium e S. Congr. Epp. et Regul. ad sacerdotem Cyrinum Rinaldi, qui non obstante suppressione sic dictae Monarchiae Siculae delato sibi iudicis munere fungi pergebat. 1867. SSmus Dnus Noster Pius divina providentia Papa IX gravissima considerans mala, quae in Siciliae

Digitized by Google

Ecclesias ex praetensa Legatione et ex Tribunali ita dictae Monarchiae redundarunt, supremi apostolici sui ministerii officium esse existimavit, opportunum et efficax adhibere remedium. Quapropter die 10 huius mensis vulgavit Apost. literas sub plumbo editas, et incipientes ‚Suprema', quibus de medio tollit commemoratam praetensam Legationem, ac Tribunal, et penitus extingvit ac abolet munus et officium tum Iudicis praedicti Tribunalis, tum aliorum omnium Officialium et Ministrorum, qui ad idem Tribunal quovis modo pertinent. Spiritualibus autem Siciliae fidelium necessitatibus idem Summus Pontifex consulens, eodem tempore edidit et publicavit Apostolicas Literas annulo Piscatoris obsignatas, quibus peculiares Sacrorum eiusdem Insulae Antistitibus facultates conceduntur. Post huiusmodi publicationem, quae solemnem supremae Ecclesiae auctoritatis actum constituit, nemini ex catholicis certe licet eidem actui ullo modo refragari, quinimo omnes conformare se debent ad Pontificias ordinationes, quae in memoratis Apostolicis literis sub plumbo expeditis continentur. Itaque, sacerdos Cyrine Rinaldi, qui sic appellatae Monarchiae iudicis munere fungebaris, ne te ab earumdem Apost. literarum observantia eximere unquam possis, praetexens ignorantiam aut aliam excusationem, et, quod Deus avertat, cum animae tuae detrimento et fidelium damno et scandalo attentes actus nullos, quorum coram Deo et Ecclesiae reus eris, idem Summus Pontifex huic S. Congregationi negotiis Epporum et Regularium praepositae expresse in mandatis dedit, ut earumdem Apost. literarum exemplar tibi mittat, et eodem tempore tibi suo nomine et apostolica auctoritate denunciet maioris excommunicationis latae sententiae poenam ipso facto absque ulla alia declaratione incurrendam, cuius absolutio ipsi Summo Pontifici reservatur, excepto tantum tempore, quo verseris in mortis articulo, quoties seu directe seu indirecte et quovis modo ausus fueris vel earumdem literarum executionem impedire, vel nomen officii, quod gerebas, retinere, vel eiusdem officii exercitio te immiscere sub quolibet titulo, praetextu et colore, et quocunque actu etiam extraiudiciali et oeconomiae per interpositam quoque personam peracto. Haec igitur S. Congregatio Epp. et Reg. Pontificis

Digitized by Google

Maximi imperata faciens tibi exemplar mittit earumdem Apost. literarum, ac praesenti Monitorio poenam excomm. a Sanctitate Sua statutam, veluti supra dictum est, tibi indicit, ac simul declarat, quod eiusdem excomm. comminatione minime intenditur derogari aliis eccles. censuris ac poenis, quas sacri canones et apost. constitutiones in illos infligunt, qui executionem actorum S. Sedis impediunt, vel ecclesiasticam iurisdictionem usurpant, vel liberum Epporum auctoritatis exercitium perturbant. Quod autem attinet ad actus per abusionem factos, quibus praeterito tempore locum dedisti, Sanctitas Sua te etiam atque etiam hortatur et monet, ut sacerdotalis tuae praesertim conditionis memor, velis conscientiae tuae sedulo ac serio consulere, prae oculis habens, poenas ab hominibus statutas eludi posse, sed punientis Dei manum vitari numquam posse. Datum Romae ex Secretaria S. Congr. Epp. et Reg. die 15 Oct. 1867. A. Card. Quaglia, Praef. — Stanislaus Svegliati, Secr. — Civilta Cattolica. Roma. 1868. Serie VII. vol. I. p. 611.

1675. Breve excommunicatorium adversus presbyterum Cyrinum Rinaldi. 1868. Ven. Fr. AEppis etc. Siciliae. Pius Papa IX. Quisque vestrum optime noscit, nos pro supremi nostri apostolici muneris officio de universae Ecclesiae bono animarumque salute vehementer sollicitos, ad maxima et gravissima mala ac damna penitus amovenda, quae in istas Siciliae Ecclesias et fideles ex praetensa Apostolica Sicula Legatione et ita dicta Monarchia iamdiu redundabant, usque ab a. 1864. Apost. nostras sub plumbo V Kal. Febr. edidisse literas incipientes ‚Suprema' ac die 10 Octobris a. 1867 iuxta nostra mandata ex more Romae vulgatas, quibus commemoratam Apostolicam Legationem et sic appellatam Monarchiam, necnon Iudicem Delegatum eiusque tribunal, omnesque ministros et officiales de medio sustulimus, planeque extinximus et abolevimus. In quibus nostris literis inter alia praescripsimus, ut post duos menses a die publicationis et affixionis earumdem literarum computandos deberent literae

Digitized by Google

ipsae plenum suum effectum habere, et omnes ac singulos, quos illae concernerent, perinde afficere, obligare, et arctare, ac si unicuique eorum nominatim ac personaliter intimatae fuissent. Neque ignoratis, qua cura et studio spiritualibus istorum fidelium indigentiis utilitatibusque consulere studuimus. Namque alias nostras literas annulo piscatoris obsignatas incipien'es ‚Multis gravissimis' et datas eodem die et anno, quibus apostolicae sub plumbo literae editae fuerunt, emisimus. Quibus quidem literis opportunas ac necessarias facultates vobis aliisque legitimis in Sicilia Ordinariis tribuimus, ac simul statuimus modum, quo causae ad forum eccles. pertinentes possent ac deberent iudicari et agi. Ac neminem vestrum latet, die 15 Octobris superiori anno a nostra Congregatione negotiis Epp. et Regul. praeposita missum fuisse supremo et expresso nostro iussu exemplar earundem literarum sub plumbo ad presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui sic nuncupatae Monarchiae Iudicis munere fungebatur, et eidem severissimum Monitum datum fuisse. Quo monito eidem sacerdoti Rinaldi nostro nomine et apost. auctoritate fuit denunciata maioris excommunicationis poena latae sententiae ipso facto incurrenda absque ulla alia declaratione, cuius absolutio nobis est reservata, excepto tantum mortis articulo, quoties ipse seu directe seu indirecte et quovis alio modo ausus fuisset vel earumdem literarum executionem impedire, vel nomen officii quod gerebat retinere, vel eiusdem officii exercitio se immiscere sub quocunque titulo, praetextu, colore, et quocunque actu etiam extraiudiciali et oeconomico per interpositam quoque personam peracto. Insuper eidem presbytero Rinaldi declarabatur, huiusmodi excomm. comminatione minime derogari aliis eccles. poenis et censuris, quas sacri canones et apost. constit. in illos infligunt, qui executionem actorum huius S. Sedis impediunt, vel eccles. iurisdictionem usurpant, vel liberum Epporum auctoritatis exercitium perturbant. Ac idem presbyter nostro etiam nomine etiam atque etiam monebatur, ut quoad actus per abusionem factos, quibus praeterito tempore locum dederat, sacerdotalis praesertim conditionis suae memor serio conscientiae suae consulere ac severissima Dei iudicia formidare vellet. Iamvero eti amsi idem presbyter Rinaldi monitum et

praedictas nostras sub plumbo literas acceperit, quae per publicas Romanas, Florentinas, et Siculas, ac fere omnes ephemerides vulgatae fuerunt, tamen officii sui omnino oblitus, eo temeritatis et audaciae devenit, ut supremam nostram et Apost. huius Sedis auctoritatem omnino contemnens, ac maioris excomm. poenam plane despiciens, haud extimuerit pergere sacrilego prorsus et abominabili ausu sese immiscere praedicto sic appellatae Monarchiae Iudicis officio a nobis abrogato ac plane sublato, et actus exercere omnino nullos et irritos cum summo fidelium scandalo, animarum detrimento, ac gravissimis Epporum iniuriis et vexationibus. Taedet sane hic recensere singulos usurpatae iurisdictionis actus, quos ipse presbyter Rinaldi post acceptas nostras literas et Monitum audacissime admisit, nihil dubitans minitari quoque vobis pecuniarias mulctas. In tanta igitur ac tam perniciosa huius presbyteri contumacia, ad supremam nostram et huius S. Sedis potestatem tuendam, ad Epporum auctoritatem iurisdictionemque vindicandam, ad tantum scandalum amovendum, et ad Siciliae fidelium salutem curandam dolenter quidem, necessario tamen illud consilium a nobis suscipiendum esse duximus, quod ex ss. canonum praescripto, ex Rom. Pontif. praed. nostr. exemplo praesto est, ut nimirum exeramus gladium, quo nos Deus ad religionis et iustitiae defensionem munivit. Quare auctoritate Omnipotentis Dei, et ss. App. Petri et Pauli, ac nostra eundem presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui ex vi commemorati Moniti in maiorem excomm. iam incidit, hisce nostris literis solemniter ac nominatim excommunicamus, anathematisamus et ab Ecclesiae corpore segregatum ac prorsus ab omnibus vitandum esse statuimus, decernimus ac denunciamus. Faxit dives in misericordia Deus, ut infelix hic sacerdos, hac acri sane sed necessaria medicina a nobis in ipsum adhibita sanetur, atque ipse gravissima sua recognoscens errata resipiscat, ac sincera et salutari poenitentia animae suae bono prospiciat, ne ad ulteriora procedere cogamur. Denique hac quoque occasione vobis iterum animos addimus, ven. fratres, ut divino auxilio freti pergatis maiore usque studio in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate impavide tueri Dei eiusque S. Ecclesiae causam, et gregis curae vestrae commissi salutem

Digitized by Google

curare. Vos autem, dil. filii, etiam atque etiam hortamur, ut nefarias inimicorum hominum insidias sedulo devitetis, et alacriore usque pede incedatis per semitas Domini, et ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Ac praecipuae nostrae benevolentiae pignus apost. bened. intimo cordis affectu vobis ipsis, ven. fr. ac dil. filii, peramanter impertimus. Datum Romae die 23 Iul. 1868.

VII. Monumenta Mexicana.

1676.

Pius IX PP. neo-Imperatori Maximiliano rem Ecclesiae Cath. commendat, et Nuntium Apost. ad eum mittit. 1864.

Maiestas! Dum M. V. ultimo mense Aprili, priusquam capesseret habenas novi Imperii Mexicani, in hanc capitalem urbem, ad venerandas SS. Apostolorum tumbas, et recipiendam Apostolicam Benedictionem venire volebat, profundum sensimus dolorem, qui animum Nostrum replebat, videndo deplorabilem statum, in quem sociales convulsiones postremorum annorum coniecerunt omne id, quod religionem nationis Mexicanae attinet. Iam antehac, et iteratis vicibus manifestavimus hoc respectu lamenta nostra in publicis et solemnibus actis, protestando contra impiam legem ‚Reformatio' dictam, quae maxime inviolabilia Ecclesiae iura evertit, auctoritatem suorum pastorum vilipendit; — porro contra usurpationem bonorum ecclesiasticorum, et dilapidationem patrimonii sacri, contra iniustam abolitionem ordinum religiosorum; contra falsa principia, sanctitatem Religionis catholicae directe laedentia.; demum contra multa alia attentata in praeindicium non solum personarum sacrarum, sed etiam ministerii pastoralis, et disciplinae Ecclesiae commissa. Hinc Maiestas V. facile potest concipere, quanta fuerimus affecti laetitia,

Digitized by Google

videntes, constabilitione novi Imperii auroram oriri dierum pacificorum, et prosperitatis pro Ecclesia Mexici. Solatium hoc eo magis augebatur, dum vidimus, Coronam hanc oblatam esse Principi de familia catholica, quae tanta praebuit specimina religiosae suae pietatis. Non minus magnum fuit gaudium dignissimorum Praesulum Mexicanorum, qui discedendo e Metropoli Christianitatis, ubi tanta exempla suae abnegationis, suae filialis erga Personam Nostram devotionis reliquerunt, fortunam nacti sunt, ut primi essent, qui sincerum homagium exhibeant Principi, per Patriam suam electo, et e proprio eius ore laetas percipiant assecurationes resolutionis heroicae, ad reparandas iniurias Ecclesiae illatas, et convulsa administrationis civilis et religiosae elementa reorganisanda. Mexicana natio cum ineffabili exultatione salutavit sublimationem M. V. ad thronum, unanimi populi desiderio vocatae, qui usque ad illud tempus constrictus fuit gemere sub iugo anarchici regiminis, ac super ruinis et infausto situ Religionis catholicae, praecipua sua gloria, et fundamento omnis prosperitatis, plangere. Sub felicibus his auspiciis, de die in diem exspectabamus primos novi Imperii actus, persuasi, per revolutionem tanta cum impietate prostratae Ecclesiae promtam et iustam satisfactionem esse praestandam, revocatis, quibus ad statum oppressionis et servitutis redacta fuit, legibus, promulgatis aliis ad suspendendos impiae administrationis funestos effectus. In spebus Nostris adusque delusi (forsan causa attribuitur difficultatibus, dum de reorganisanda societate a longo tempore convulsa agitur, oriri solitis) non possumus non converti ad M. V. appellando ad rectitudinem intentionum eius, ad spiritum catholicum, cuius solemnia in aliis circumstantiis praebuit documenta, ad promissa protegendae Ecclesiae Nobis facta, habemusque fiduciam, quod adpellatio haec nobile Eius cor penetratura, fructus productura sit, quos a M. V. exspectamus. Rite enim perspicit, quod si Ecclesia in exercitio iurium suorum impedita sit, si leges, quae acquisitionem et possessionem vetant, sublatae non fuerint, si Ecclesiae et Conventuum eversio continuata, si e manibus acquirentium pretium bonorum Ecclesiasticorum acceptatum, si sacris aedificiis alia destinatio assignata fuerit, si

religiosis facultas ad resumendum suum habitum et in communitate vivendum denegata, si Moniales vitae media mendicare, in miseris et insanis habitaculis vivere coactae, si ephemeridibus licentia data impune insultandi Pastoribus et Ecclesiae catholicae doctrinam impugnandi, — pro fidelibus scandalum, pro Religione detrimentum permanebunt in statu quo, imo evenient adhuc maiora.

Maiestas! nomine illius fidei, illius pietatis, quae decus Augustae Familiae suae constituunt, nomine Ecclesiae Iesu Christi, qui Nos, non obstante indignitate Nostra, supremum illius Caput et Pastorem constituit, nomine Dei Omnipotentis, qui Eandem delegit ad gubernandam hanc catholicam nationem eo fine, ut sanet plagas illius, et reddat honorem SS. Religioni suae, Eandem adiuramus, adiiciat manum operi, deponat omnem humanum respectum, et comite prudentia illustri, ac sensu christiano, abstergat lacrymas familiae catholicae, hacque agendi ratione reddat se dignam benedictione Iesu Christi, Pastorum Principis. Hoc fine, et magis ad secundanda desideria Eiusdem mittimus repraesentantem Nostrum. Ille M. V. viva voce exprimet dolorem, quem Nobis causaverunt tristes relationes, ad hunc usque diem ad Nos perlatae, et uberius adhuc explanabit intentiones et scopum Nostrum, ob quem is apud Eandem adcreditatus est. Eximimus illum, ut a M. V. nomine Nostro postulet revocationem funestarum legum, Ecclesiam a tanto iam tempore opprimentium, et optatam negotiorum ecclesiasticorum cooperantibus Episcopis, et quoad opus fuerit in concursu Apostolicae Nostrae auctoritatis reorganisationem.

Rite cognitum est M. V. ad efficaciter reparanda mala per revolutionem illata; ad reddendos ocyus Ecclesiae feliciores dies, ante omnia opus esse, ut Religio catholica, cum exclusione omnis alterius dissidentium cultus, pergat porro esse gloria et columen nationis Mexicanae, ut Episcopi in exercitio Pastoralis sui ministerii perfecta libertate gaudeant, Ordines religiosi restabiliantur et in conformitate instructionum ac facultatum a Nobis concessarum reorganisentur, patrimonium Ecclesiae, et connexa ei iura serventur illaesa et protegantur, nemini detur facultas docendi et

Digitized by Google

publicandi principia falsa et subversiva; tam publica, quam privata institutio dirigatur, et superinspiciatur per ecclesiasticam auctoritatem, demum catenae illae, quae adusque Ecclesiam catholicam sub dependentia et arbitrio civilis gubernii constrictam tenuerunt, confringantur. Si aedificium religiosum super hac basi, de quo nec volumus dubitare, restabilitum fuerit, M. V. taliter occurret principali malo, et respondebit vividissimis populi Mexicani adeo religiosi votis; satisfactio haec dissipabit nostras, et eiatis illustris Episcopatus anxietates, viam aperiet educationi docti et zelosi Cleri, et morali regenerationi subditorum, quod plus, solenne praebebit exemplum aliis Rerumpublicarum Americanarum gubernііs, ubi non paucae luctuosae vicissitudines exagitabant Ecclesiam; hac ratione efficaciter cooperabitur, sine omni dubio, ad consolidandum suum proprium thronum, pro gloria et prosperitate familiae suae imperialis.

Atque istud est, quod M. V. commendamus per Apostolicum Nostrum Nuncium, qui honorem habebit praesentandi confidentiales Nostras Literas. Dignetur M. V. eum sua confidentia et benevolentia prosequi, pro faciliori implemento missionis ei a Nobis concreditae. Velit pari fiducia complecti dignissimos Mexici Praesules, ut animati, prout sunt, a Spiritu Dei, et salutis animarum zelantes, cum solatio et energia difficile restaurationis opus, in quantum ad illos pertinet, arripere, et per id ad restitutionem ordinis socialis concurrere possint. Nos autem non cessabimus humiles preces Nostras quotidie ad patrem luminum et Deum totius consolationis dirigere, ut sublatis tandem obstaculis, omnis ordinis socialis et religiosi inimicorum consilia dissipentur, passiones politicae sopiantur, plena libertate sponsae Iesu Christi reddita, natio Mexicana, in persona M. V. salutare possit patrem, regeneratorem suum, suam maximam, nunquam interituram gloriam. In fiducia, qua ardenter optamus plenarie completa haec cordis Nostri vota, impertimur M. V. et Augustae Illius Coniugi Apostolicam Benedictionem. Datum Romae die 18. Octobris 1864. — L'Unita Cattolica. 1865. p. 178.

Digitized by Google

1677—1684.

Acta ad correspondentias Gubernii Mexicani cum Nuntio S. Sedis spectantia. 1864. 1865.

1677. Puncta Nuncio Apostolico scopo componendae quaestionis ecclesiasticae per Regimen Mexicanum mense Decembri 1864 proposita.

1. Gubernium Mexicanum tolerat omnes confessiones, quae antea per leges Status prohibitae fuerant; speciali tamen protectione eius gaudebit Religio Catholica, Apostolica et Romana, qua Religio Status.

2. Publicum aerarium providebit sumptibus cultum, et salariis Ministros eius, quae eodem modo, eadem proportione, ac iisdem titulis cum civilibus officialibus Status, dispensabuntur.

3. Ministri cultus catholici gratis administrabunt sacramenta et exercebunt suum ministerium, quin iisdem permissum sit, quidpiam exigere, aut fideles obligentur eis stipendia, aut quaecunque emolumenta, titulo: iuris parochiae, dispensationum, decimarum, oblatorum et quocunque alio praestare.

4. Ecclesia Gubernio cedit omnes suos proventus e bonis ecclesiasticis, quae durante republica pro nationalibus declarata fuerunt.

5. Imperator Maximilianus, eiusque Successores in throno in perpetuum gaudebunt circa Mexicanam Ecclesiam iuribus, quae Regibus Hispaniae in respectu Ecclesiarum Americae concessa fuere.

6. Sanctus Pater in mutua cum Imperatore consensione determinabit, quinam Ordinum Religiosorum, sub republica exstinctorum, sint revehendi, designando modum atque conditiones illorum subsistentiae. Communitates Religiosae ad praesens facto existentes, porro quoque subsistere poterunt, denegata tamen iisdem facultate novitios recipiendi, quoadus-

Digitized by Google

que S. Pater cum consensu Imperatoris modum et conditiones illorum existentiae designaverit.

7. Iurisdictio Cleri? (In opere, e quo acta isthaec vulgamus, hoc sub puncto nil continetur.)

8. Imperator iis locis, quae opportuna censuerit, civilia protocolla nativitatum, matrimoniorum et obituum catholicis Sacerdotibus committet, qui hac provincia instar Officialium Status fungi debebunt.

9. Coemeteria? (Eadem observatio, quae ad punctum 7.)

1678. Nota Ministri Iustitiae ad Nuntium Apostolicum Mexicanum dd. 24. Decemb. 1864. desiderans, scripto sibi indicari, quod instructione quoad Puncta secum communicata provisus non sit. Cum Exc. Vra occasione postremae nostrae conferentiae declaraverit, atque hodierna die, apud suam Mattem Imperatricem constituta, repetierit: se necessaria instructione ad pertractanda novem puncta, scopo componendarum differentiarum, inter Statum et Ecclesiam Mexicanam intercedentium, proposita, destitui, atque ideo ad Aulam Romanam recurrere debere: Sua Mattas Imperator dolenter adactum se videt, ea media adhibere, quae eidem obligationes atque conscientia eius in moderno situ praescribunt. Cum tamen causa ulteriorum dispositionum S. Mattis, in defectu instructionis Exc. Vrae consistere debeat, sua Mattas desiderat, ut hoc factum scripto comprobetur; quapropter Exellam Vram oro: ut ea, quae mihi viva voce declarare dignata est, instar responsi ad hanc Notam, scripto consignare velit. — Petrus Escudero.

1679. Responsum Nuntii Apostolici ad praecedentem Notam dd. 25. Decemb. 1864. qua desiderium Ministri explendo, una orat pro

Digitized by Google

basi tractatus Breve Pontificium assumi. Exc. Vra mediante Nota de dato hesterno 24 Decembris, quam hodie mane percepi, me requirit, ut scripto consignem ea, quae hesterna die Suae Matti Imperatrici, Excell. Vrae autem in conferentia 20 huius mensis exponendi honorem habui, relate ad proiectum imperialis gubernii, quod generalia lineamenta Concordati inter S. Sedem et Gubernium Mexicanum concludendi complectitur. Cui desiderio satisfacere cum promptitudine festino. Dum S. M. Imperatori in privata audientia, 17-a c. m. mihi concessa, familiarem epistolam S. Patris substravissem, Sua Mattas dignata est me edocere de praefato proiecto; et ego plena cum libertate respondi : me nec instructione necplenipotentia ad occipiendas tractationes quoad Concordatum necessaria, munitum esse ; cum instructiones meae quoad omnia conformes sint ideis, quas Sua Sanctitas in sua ad Imperatorem litera exposuit. Idem repetii et evolvi Exc. Vrae ac S. M. Imperatrici, addendo : missionis meae scopum prae omnibus hunc esse, ut cum sic dictis reformativis legibus simul revocentur, et abrogentur omnes leges, sacris iuribus Ecclesiae adversae, et isthic vigorem habentes ; ut damna, per has leges causata per promulgandas alias reparentur, atque ordo ad administrationem civilem et ecclesiasticam revehatur. Superaddidi etiam, me vigore acceptae instructionis, postulare debere plenam libertatem Ecclesiae et Epporum in exercitio suorum iurium et officiorum ; restabilitionem et reformationem Ordinum Religiosorum in basi a S. Patre praescripta ; restitutionem Ecclesiarum et Conventuum, cum bonis eo pertinentibus, denique recognitionem iuris Ecclesiae, tum pro praeterito, tum pro futuro, vi cuius illa suum patrimonium acquirere, possidere et administrare potest. Attingendo deinde nonnulla puncta huius proiecti, reprobavi primum de tolerantia cultuum, utpote doctrinae Ecclesiae, et sensui nationis Mexicanae, pure catholicae, contrarium. Quod ad secundum punctum attinet, animadverti : integrum Eppatum, Cleram, et saniorem partem nationis abhorrere ab idea indemnisationis, ipsis per aerarium praestandae, et praeoptare e charitate fidelium vivere ; tandem Ecclesiam, ex parte iam spoliatam, nunquam sponte cedere posse bona, quae eidem adhuc super-

Digitized by Google

sunt, et quae maxime legitimum et sanctissimum patrimonium, cultui divino ac sustentationi suorum ministrorum et pauperum destinatum, constituunt. Suggessi porro Suae Matti et Exc. Vrae, Sanctam Sedem quoad praevia puncta eo minus instructionem mihi impertiri potuisse, cum neutiquam supposuerit, caes. Gubernium eadem propositurum, sicque occeptum a Juarezio opus consummaturum esse, asseveravi quoque tum Suae Matti, tum Exc. Vrae, me Romae nihil prorsus de sic concinnato proiecto, sive a Sua Sanctitate, sive a Secretario Status, sive ab aliis personis, ad Pontificis Aulam pertinentibus, audivisse, atque ideo persuasum tenere, quod caes. Minister D. Aguilar illud coram S. Patre nunquam commemoraverit, qui certe eatenus scripsisset, et suo Repraesentanti alias instructiones dedisset. Praetereo, Dne Minister, plures alias reflexiones, quas altae sapientiae S. M. Imperatricis cum Eppali libertate submittere praesumsi, atque compulsum me sentio Exc. Vrae repetere: quod, cum in basi saepe fati proiecti tractationem occipere nequeam, illud medio cursoris proxime gubernio S. Sedis submissurus, et me in reliquo memoratae iam epistolae S. Patris ad Imperatorem plene conformaturus sim. Una vero Suam Mattem, S. Patri tantopere devotam, mediante Exc. Vra orare sustineo: ne ullam resolutionem Ecclesiae eiusque legibus adversam edere, neque afflictionem tam boni, tamque gravibus calamitatibus obnoxii Pontificis augere, sed potius oraculum Suae Beatitudinis operiri dignetur, quod certe nonnisi ad emolumentum Religionis et veram utilitatem S. M. Imperatoris, eiusque imperii conferre potest. — Petrus Franciscus, AEppus Damasensis.

1680. Nota Nuncii Apostolici ad Ministrum externorum dd. 29 Decembris 1864. contra resolutionem Imperatoris de quaestione inter S. Sedem et Gubernium vertente absque concursu Ecclesiae decidenda. Epistola S. M. Imperatoris ad Ministrum Iustitiae, in officiosis ephemeridibus 27 c. m. publicata, tenore cuius Sua Mattas sibi proposuit, pendentem

quaestionem inter S. Sedem et Gubernium Mexicanum absque concursu auctoritatis Ecclesiae decidere, — mihi tristem necessitatem imponit, ope praesentis Notae protestandi contra iniustas quasdam, et Summo Pontifici, eiusque Gubernio iniurias expressiones. Quas priusquam aequo arbitrio Exc. Vrae submitterem, maioris claritatis gratia opportunum existimavi, Eidem verum scopum meae missionis exponere. Probe constat Exc. Vrae, me caes. Gubernio tum viva voce, tum scripto adaperuisse, meas instructiones quoad omnia conformes esse literis S. Patris ad Imperatorem, quae vulgo hucdum ignotae manserunt; porro addidi: praecipuum scopum missionis a Sua Sanctitate mihi concreditae hunc esse, ut cum iniqua lege reformationis, simul universae leges, in obversum ss. iurium Ecclesiae vigentes revocentur et abrogentur, huicque illata damna reparentur, et ut deposcam restabilitionem Ordinum Religiosorum, restitutionem Ecclesiarum et Conventuum, non secus ac ecclesiasticorum bonorum direptorum, aut existentium, denique plenam libertatem Ecclesiae in exercitio suorum ss. iurium, et sacri ministerii. Cum caes. Gubernium mihi exhibuerit proiectum e novem articulis consistens, doctrinae, et actu vigenti disciplinae Ecclesiae, non secus ac ss. Canonibus adversum; proiectum, quod ad Ecclesiam omnibus suis bonis, iurisdictione, et immunitatibus spoliandam, atque perfectae dependentiae a civili potestate, et servituti subiiciendam tendit, — quae res per Romanum Pontificem iam in duabus consistorialibus Allocutionibus a. 1856 et 1861 damnatae fuerunt; — hinc libere enunciavi, me instructione, ad tractandum in basi huiusmodi acceptari nequeuntium conditionum, destitui; atque insuper demonstravi, S. Patrem nec potuisse mihi huiusmodi instructiones dare, 1) quia nunquam supponi poterat, tale proiectum a caes. Gubernio proponendum fore; — 2) quia Gubernium hoc proiectum nunquam seu S. Sedi, seu Exc. Eppatui Mexicano commemoravit, imo, ab oppositio, blandas spes et promissiones fecerat. Si igitur caes. Gubernium hoc deplorandum proiectum usque postremum momentum celavit, quomodo potest mirari: Nuncium S. Sedis nullas hoc in obiecto instructiones habere? Et permittat Excell. Vra, ut debita cum reverentia, sed una cum libertate, mihi in-

Digitized by Google

cumbente, in medium proferam verba epistolae Imperatoris, quibus dicitur: „Hoc scopo occasione Romani nostri itineris congruos passus fecimus, ut tractatio cum S. Patre occipi queat. Hodie Nuncius in Urbe Mexicana adest, et pro magna admiratione nostra nobis declaravit: se instructionibus destitui.“ Ad haec sequentia observanda habeo: num Gubernium persuadere vult catholicis Mexicánis, in S. Patrem recidere totum responsionis onus quoad determinationem, vi cuius tanti momenti ecclesiastica negotia, absque necessario influxu spiritualis auctoritatis componere intendit? Verumtamen nullus recti iudicii homo comprehendet: venerandum caput Ecclesiae, noscendo ideas et proiectum Gubernii Mexicani, sanctionem suam promisisse, et tamen necessarias instructiones non edidisse. Imo, prorsus incredibile est: S. Patrem, scribendo epistolam Imperatori, in qua cum fervore loquitur de calamitatibus, quibus Ecclesia Mexicana obnoxia est, atque media, quibus his malis mederi, atque antiquus splendor huius Ecclesiae revehi posset, indicat; — nec verbum quidem dicturum fuisse de gravi laesione, quam novum proiectum, satis iam divexatae Ecclesiae infligeret. Et cui persuadebitur: Regnantem, qui suum repraesentantem ad quamdam Aulam scopo pertractandorum gravissimi momenti negotiorum mittit, hunc absque summe necessariis instructionibus relicturum? Propterea protestor contra omnem manifestationem aut insinuationem eo tendentem: ut Summus Pontifex responsabilis reddatur de iis, quae isthic adversus Ecclesiam eiusque iura evenire possent; atque affirmo: nec Suam Sanctitatem, nec eius Gubernium, nec Nuncium unquam novisse proiecta et resolutiones, quae loco tranquillandarum timoratarum conscientiarum, et restituendae animorum pacis, perturbationes et angustias adhuc maiores effecerunt. — Petrus Franciscus, AEppus Damas.

1681. Responsum Ministri ad praecedentem Notam Nuncii Apost. dd. 10. Ianuar. 1865. Rite percepi Notam Exc. Vrae dd. 29 Decemb. a. p. verumtamen urgentes labores non permiserunt mihi ad eandem mox respondere. Ex alia parte nolui responsum sub ingrata impres-

Digitized by Google

sione, per rapidam lectionem huius Notae causata, exarare, praeoptando, illud cum tranquillitate et attentione concinnare, quam tanti momenti, et sequelarum, praevideri nequeuntium, negotia deposcunt. Posteaquam recte penetrassem spiritum, quem haec Nota praesefert, cum magno dolore cognoscere debui, officia muneris, quod sustineo, — respectum auctoritatis et dignitatis Imperatoris — atque ipsum desiderium fovendi boni nexus exigere: ut Suae Matti subtraham lectionem documenti, quod per formam suam vehementiorem reddere debuisset dolorem, per aliam Notam Exc. Vrae ad Ministrum Iustitiae directam paucos ante dies causatum. Hac ratione ad duram alternativam positus sum, aut praefatam Notam remittere, aut ad illam non respondere; nihilominus haec duo extrema media, propter inevitabiles eorum sequelas adhibere nolendo, — et personali responsionis onere in me assumpto, Exc. Vrae non responsum, sed necessarias dilucidationes praesto, eo potissimum scopo, ut certas erroneas ideas emendem, et offensionem Gubernio Suae Mattis per prorsus infundatas suppositiones illatam, repellam. Exc. Vra compromissum videt honorem et responsabilitatem S. Patris, et laesam arbitratur sublimem eiusdem dignitatem per nonnullas enunciationes cuidam paragrapho epistolae Suae Mattis ad Ministrum Iustitiae insertas, contra quas protestatur. Profecto iustus et dignus est zelus Exc. Vrae pro tuendo honore sui Principis, et ego eidem congratularer, si in hac defensione honorem mei Monarchae non attingeret. Ast hunc absque fundamento aggressa est Exc. Vra, cum citatus paragraphus nonnisi id, quod reipsa existit, exponat. Aut de qua re hic agitur, si non de certissimis factis, ac de notoria veritate? Omnino certum est, Suam Mattem Romae fuisse, scopo stabiliendorum mediorum, quibus difficultatibus, e sic dictis reformativis legibus promanantibus, occurri posset; Eandem ad hunc effectum missionem Nuncii, specialibus instructionibus muniti, proposuisse, et Nuncium, postquam advenisset, declarasse: se nullas huiusmodi instructiones accepisse. Haec facta, si obiectum recriminationum constituere debeant, illos nullatenus attingunt, qui eadem tantum exponunt. Profecto eadem sunt expressio veritatis; nam reipsa triste est, Exc. Vram, ab

Digitized by Google

adventu suo ad metropolim asserere et diversis occasionibus repetere audire: se instructionibus ad tractandum requisitis destitui. Ad hanc gravem observationem Exc. Vra responsum dat, quod perfecte sufficere existimat. Dicit nempe: S. Sedem nullam ideam, aut notitiam punctorum, per Suam Mattem praevio scopo propositorum habuisse, atque ideo nullam hac in parte instructionem dare potuisse. Si res ita se haberet, et excusatio similibus expressionibus proposita fuisset: nihil prorsus reflectendum occurreret. Ast dolenter affirmare debeo, praecedentem obiectionem minus exactam esse; et, admissa etiam exactitudine, declarare necessitor: hanc obiectionem terminis neutiquam convenientibus, imo talibus expressam fuisse, qui perturbandis amicis correlationibus, et impediendis tantopere necessariis tractationibus accommodati sunt. Reipsa Exc. Vra summarie attingendo proposita puncta, vel — ut eidem dicere lubet — „hoc deplorandum proiectum", hos obtutus insuperhabuit, atque severissimam censuram exercere non dubitavit.

Eadem declarat: hoc proiectum oppositum esse Canonibus, doctrinae et disciplinae Ecclesiae, hanc bonis suis spoliare, in destructionem iurisdictionis et immunitatum eiusdem tendere, Ecclesiam ad servitutem Status redigere, antiquas iniurias renovare, et loco restituendae timoratis conscientiis tranquillitatis, harum perturbationem et angores adaugere. Denique, ut haec crisis eo acutior reddatur, Exc. Vra in memoriam revocat: omnes hos errores, — praevio proiecto infundate attributos, — per Apostolicam Sedem in consistorialibus Allocutionibus a. 1856 et 1861 damnatos fuisse, et concludit, absque omni fundamento facti, aut rationis propagare studendo errorem, Gubernio Suae Mattis summopere laesivum, et in eo consistentem, quod demonstrare conetur, „deplorandum proiectum" usque ad postremum momentum solertissime occultatum fuisse. Exc. Vra iam antea, dum Ministro Iustitiae scripsisset, proprio nutu similem accusationem in medium protulit; insinuando caes. Gubernio intentionem, quasi opus a Juarezio occeptum „consummare" vellet. Si Exc. Vra recuperare potuit tranquillitatem spiritus, in disquisitione graviun negotiorum tantopere necessariam, Eadem facile

intelliget: huiusmodi agendi rationem nec ad conciliandam benevolentiam, nec ad persuadendum aptam, eiusque formam longe minus convenientem esse, quam ut ad notitiam Imperatoris perferri possit. Interim parcendo his declarationibus, attentionem meam pro momento ad illas convertere volo, quin ad disputationem me immitterem; nam Exc. Vra perspiciet: Ministrum externorum negotiorum ultimum esse, qui istius generis polemiam in pari terreno fovere possit. Puncta, sub lite constituta, per plura secula discussa fuere. Nihil iam superest, sub hoc obtutu dicendum. Quivis suam fixam opinionem, suumque promptuarium habet, unde arma, sibi necessaria desumere possit. Scribendo in aestu exaltationis, Exc. Vra non advertit, suas ideas verbis haud consonare. Dicit: S. Sedem nullam ideam aut suspicionem habuisse punctorum, ab Imperatore propositorum, et inde explicare nititur defectum instructionis. Ast certum est: Romae leges reformativas cognitas fuisse; cum illas Sua Sanctitas in duabus Allocutionibus consistorialibus damnaverit. Et pariter notae fuerunt diversae quaestiones, omnesque difficultates, e venditione et nationalisatione ecclesiasticorum bonorum obortae. Hac in parte nullum dubium subversari potuit, prout nec de urgente necessitate componendi huius negotii. Hoc postremum punctum speciali attentione prosecutus sum in literis meis, ad Ministrum Mexicanum, Romae residentem 22 Iulii dimissis, exponendo omnia praeiudicia et pericula, quae e retardata tractatione tum Ecclesiae, tum Statui impenderent. Notam meam his verbis conclusi: „Sua Mattas mihi mandavit, Exc. Vrae dicere: eandem omnem prudentiam, moderationem et urbanitatem sibi propriam adhibere debere, ut Suae Eminentiae Cardinali a Secretis Status persuasum faciat, quod — si Nuncius opportuno tempore isthuc non appulerit — Imperator, pro maximo suo dolore, cogendus sit ea media decernere, quae pax et tranquillitas regni deposcunt, habito nihilominus respectu Religionis et Ecclesiae, quae ambae eidem pariter charae sunt. Exc. Vra igitur Suae Sanctitati evolvat periculum situationis, in qua Sua Mattas versatur, et inevitabilem necessitatem eidem occurrendi, non secus doloris sensum, qui Suam Mattem affligit.“ Legatus Suae Mattis medio Notae dd.

Digitized by Google

10. Septemb. respondit, simulque annunciavit: se instructionem suam Cardinali a Secretis Status communicasse. Sua Eminentia, de statu rerum informata, eidem officiose facultatem tribuit, Gubernio Suae Mattis officiosa via significandi: Exc. Vram pro Legato Apostolico, cum titulo Nuncii designatam esse, Eandem mox itineri se commissuram et nonnisi inomisse necessariam moram facturam, ut suas instructiones recipere, eppalem Consecrationem obtinere, et de situ negotiorum opportune informari possit. Itaque notum fuit Romae, et quidem plena cum certitudine, quaenam difficultates impediant progressum imperii, et quaenam harum sint urgentissimae. Notum fuit, quod, si Aula Romana auxiliatricem manum ad easdem removendas opportuno tempore non porrexerit, Imperator firmum fixumque teneat, ultro progredi, eaque decernere, quae situs eius admiserit, quaeve Ecclesiae et Statui magis proficua censuerit. Iam vero puncta, per Imperatorem proposita, nonnisi recapitulationem constituunt harum difficultatum, Romae apprime notarum. Eadem ne unam quidem novam ideam comprehendunt. Propterea nonnisi cum doloroso stupore observari potuit: post octo fere mensium remoram, quae iacturam pretiosi temporis causavit, et malum increscere fecit, Nuncium Suae Sanctitatis formaliter declarare: sibi nec voluntatem nec modum his malis occurrendi suppetere. Haec attente, et sine affectu revolvendo, perspectu facile est: Exc. Vram incompetenter enunciare duplicem, gravem exprobrationem; videlicet: primo, quod caes. Gubernium „hoc deplorandum proiectum“ usque ad ultimum momentum occultaverit; item: quod S. Pater, — si faciendas propositiones novisset, — Nuncium nunquam missurus fuisset; sed quod nunquam sibi imaginari potuerit, suum concursum ad consumandum opus a Juarezio occeptum, expetendum fore. Instar responsi ad primam harum accusationum iam declaravi: „proiectum“ toti mundo, et speciatim S. Patri notum fuisse. Sua Sanctitas illud iam iudicavit et damnavit, ergo occultum appellare non potuit. Ceterum addere debeo: nullam adfuisse causam, cur Gubernium hoc proiectum occultasset, cum a nemine indultum petere debeat, ut praerogativas summae potestatis exercere possit. Exc. Vra

Digitized by Google

ultra praefixos terminos se abripi sivit, et ideo occasionem mihi dedit, de defectu iustitiae et exactitudinis conquerendi. Juarez Ecclesiam omni proprietate spoliavit et ad mendicitatem redegit; Religionem regno extorrem et, nomine libertatis, mancipium fecit. Imperator prorsus opposito tramiti insistens, et pro potestate et iure suo agens, media indemnis praestandae Ecclesiae designat, membris eiusdem iura omnibus civibus propria restituit, ad communem Patrem fidelium confugit eiusque auxilium implorat, scopo componendarum difficultatum, et consolidandorum vinculorum, quae Statum cum Ecclesia coniungere debent. Numquid hoc significat: opus a Juarezio occeptum consumare? Ceterum, si S. Pater,— quemadmodum Exc. Vra saepius enunciavit — situm rerum noscendo, a mittendo scopo componendorum negotiorum Nuncio abstinuisset, ego vicissim respondendo sum: Gubernium neutiquam petiturum fuisse succursum personae, praetensiones, quas Exc. Vra exposuit, formantis, si illas praevidere potuisset. Hae praetensiones Exc. Vrae sunt: 1) abolitio iniquarum legum reformativarum, et omnium aliarum, vigorem habentium canonibus Ecclesiae oppositarum; 2) publicatio legum, ad resarcienda Ecclesiae illata damna conferentium; 3) reorganisatio administrationis civilis et religiosae; 4) plena libertas Ecclesiae et Epporum, in exercitio suorum iurium et officiorum; 5) restitutio templorum et claustrorum; non secus 6) bonorum ecclesiasticorum existentium, aut abalienatorum; 7) restabilitio Ordinum Monasticorum, et reformatio, iuxta indicatas a Summo Pontifice normas perficienda; 8) recognitio iuris Ecclesiae ad acquisitionem, possessionem et administrationem patrimonii intra eosdem terminos, intra quos antea hoc iure gaudebat. Haec est series praetensionum, in Nota ad Ministrum Iustitiae scripta, quam prae oculis habeo, contentarum. Si eaedem in proprio suo atque rationabili sensu sumi, et effectui dari deberent: nihil prorsus obmovendum foret, cum illae ideis et sensui Imperatoris plene cohaereant. Profecto Sua Mattas reparare cupit iniquitates et abusus, sub praesidio istarum legum admissos; reformare vult in alia basi administrationem civilem et religiosam, atque conservare absolutam libertatem Ecclesiae, quoad

Digitized by Google

omnia spiritualia negotia. Sed cum puncta, de quibus hic agitur, ad civile regimen pertineant, et participatio, quam Sua Mattas circa eorumdem coordinationem Ecclesiae permittit, unice e spontanea concessione, sub spe derivandi inde in publica negotia et regimen societatis religiosae cuiusdam emolumenti facta, proveniat; suapte sequitur: Imperatori absolutum ius et plenam libertatem remanere, hanc concessionem modificandi, aut revidendi, prout finibus et commodis suis magis profuturum censuerit. Nihilominus scopo fovendae concordiae et amicae connexionis, inter eundem et S. Sedem vigentis, Imperator, quo difficultates situationis superare possit, succursum S. Patris quoad ea quoque obiecta petiit, quae propriae eiusdem competentiae sunt, et quae, — sicut illa, quibus hodie occupamur, — exclusive ad civile regimen pertinent, et socialem ordinem concernunt. Si hoc signum amicitiae et benevolentiae perperam aestimetur, Sua Mattas nequaquam respondebit de sequelis, et renitentia atque obstacula eidem opposita neutiquam paralysare poterunt eius actionem, in praeiudicium societatis. Excell. Vra conveniens iudicavit, nonnulla puncta speciali disquisitioni subiicere, sed ideo tantum, ut illa atro calculo notet. Quod ad tolerantiam cultuum attinet, hanc doctrinae Ecclesiae et sensui nationis adversam dicit. Quin disquisitionem huius puncti, per praxim nationum et ipsam Romam quoque iam soluti, in animo haberem, ad evitandam omnem ambiguitatem, Exc. Vram attentam reddo: punctum Eidem neutiquam velut rem suae competentiae propositum fuisse; partim ideo, quia hinc obstacula tractationis emergere potuissent, partim quia hoc obiectum exclusive a civili potestate dependet, ad quam solam pertinet, illud opportunissimo modo decidere. Tolerantia cultuum commemorata fuit unice qua inseparabile additamentum declarationis Suae Mattis: Religionem catholicam, apostolicam et romanam esse Religionem Status. Exc Vra, quae tendentias et spiritum modernarum societatum tam bene noscit, rite aestimabit momentum huiusmodi declarationis. Haec declaratio eodem tempore resolvit aliam gravem difficultatem, quae Exc. Vram tantopere praeoccupat, ut sinceritatem catholici sensus Suae Mattis in dubium vocet.

Digitized by Google

Declaratio: religionem quamdam religionem Status esse, cum obligatione, necessitatibus cultus et ministrorum eius prospiciendi, vadimonium est reparandorum damnorum, quae Ecclesia per amissionem suorum bonorum passa est, simulque dispellit motiva dissidiorum, quae consolidationem ordinis et pacis — beneficia, in respectu quorum Ecclesia et Religio nunquam indifferens erat, — impediunt. Exc. Vra hanc ideam, — longe maiorem significationem ei tribuendo, — condemnat, et cum indignatione reiicit, honorificae reparationi et indemnitati, refugium ad eleemosynas fidelium praeferendo. Eadem cuperet, ut Imperator generalem conversionem rerum praesuscipiat, et cum subditis suis manus conserat; idque non ideo, ut Ecclesia ea, quae sibi necessaria sunt, obtineat, cum his Sua Mattas prospiciat; sed ideo, ut Ecclesia certo determinatoque modo proprietaria esse queat; non ideo, ut eidem restituantur bona, quae Gubernium studio conservat sed ut illis priventur possessores, quaecunque demum sint sequelae inde in societatem promanaturae. In hoc merito Imperator faciet, quod Statui et ipsi Ecclesiae maxime convenerit, sive — prout desiderat — cum consensu S. Sedis, si eidem adiutorio fuerit, — sive propria auctoritate, ut remedium afferat sociali malo, quod directe a supremis eiusdem praerogativis dependet. Sua Mattas in epistola ad suum Ministrum Iustitiae directa nonnisi hanc firmam voluntatem sic agendi declaravit, non praecludendo viam conventioni cum S. Sede Apostolica ineundae, per quam difficultates superari et pax imperii, a qua illa Ecclesiae dependet, sarta tectaque reddi posset. Praetensus instructionum defectus instar excusationis acceptari nequit; nam, si — iuxta opinionem Exc. Vrae — praetensiones Gubernii exorbitantes, et anti-canonicae sint, eaedem nihilominus succurrente Ecclesia complanari possunt. Nunquam evenit, quamcunque negotiationem mox primo colloquio terminatam fuisse. Exc. Vra in spiritu conquiescere poterit, quemadmodum Imperator conquievit, si expenderit: omnia puncta, quae hodie in regno Mexicano infauste pomum discordiarum constituunt, essentiam, ut ita dicam, civilis et religiosae constitutionis celeberrimae cuiusdam nationis formare, apud quam Catholicismus nobilissime floret. In illo re-

gno haec puncta non tantum impedimento non sunt religioni, imo potius medium constituunt, quo Clerus instar exemplaris cunctis christianis populis proponitur. Ergo-ne illud, quod in Gallia legitimum et Statui conveniens est, in regno Mexicano nonnisi doctrinae et canonibus Ecclesiae contrarium esse poterit? In pari obiecto subsistere nequit duplex mensura; veritas ubique una est. Non possum concludere hanc Notam, quin attingerem gravem quemdam errorem, qui nonnisi a quopiam delirio (!) cui stylus Exc. Vrae nonnunquam obnoxius est, oriri potuit. Posteaquam Exc. Vra omni virium contentione probare conata fuisset, obiectum, de quo agitur, Romae plane ignotum fuisse, Eadem addit, episcopatum Mexicanum quoque eidem ignorantiae obnoxium fuisse, cum illi promissiones factae fuerint, quae laetissimas spes excitare debuerunt. Cum Exc. Vra haud clare se exprimat, neque personas, quae similes sponsiones fecissent, nominet, ex hac assertione concludi posset, promissiones has ab Imperatore profectas esse. Huiusmodi asserto solemniter contradicere, et declarare debeo: omnes notitias Eiusdem, hoc obiectum concernentes, prorsus erroneas esse. Exc. Vra in tractandis negotiis tantopere versata apprime scit: spem nonnisi lusum desiderii esse eamque terminos imaginationis haud excedere. — Ramirez.

1682. Decretum Imp. Maximiliani, quo leges, exhibitionem Bullarum, Rescriptorum etc. Summi Pontificis, seu sic dictum ‚Exequatur' concernentes, vigori restituuntur. dd. 7. Ian. 1865. Maximilianus etc. Ut forma sic dicti ‚Exequatur' Bullarum, Brevium, Rescriptorum et Notarum Romanae Aulae, sub imperio institutionum, quibus actu hoc regnum gubernatur, determinetur, decrevimus atque decernimus: Art. I. Leges et decreta, ante, et sub independentia promulgata, et ‚exequatur' Bullarum, Brevium, Rescriptorum et Notarum Romanae Aulae concernentia, in Imperio vigorem habent. Art. 2. Brevia, Bullae, Rescripta et Notae Nobis per Ministrum Iustitiae et negotiorum Ecclesiasticorum praevie exhibebuntur, ut respectivum ‚exequatur' obtineant. Praesens Decretum

Digitized by Google

Tabulario Imperii inferetur et in officiosis ephemeridibus publicabitur. Datum in palatio Mexicano 7 Ianuarii 1865. Maximilianus. — Ad mand. Imp. Minister Institiae: Escudero.

1683. Nota Nuncii Apost. ad Ministrum in nexu Decreti Imperialis de sic dicto ‚Exequatur' Rescriptis S. Sedis superinducendo. 19. Ian. 1865. Ephemerides Imperii (Journal de l' Empire) heri evulgarunt Decretum Suae Mattis de 7 c. m. per quod leges ante et sub independentia promulgatae, sic dictum ‚exeqnatur' Bullarum, Brevium, Rescriptorum et Notarum Romanae Aulae concernentes, vigori restituuntur. Valde triste et dolorosum est cordi meo, me Exc. Vram nonnisi protestando accedere posse; veruntamen conscientia, officium et character, quo investitus sum, mihi obligationem imponunt, ut seposito omni humano respectu, ingenue loquar, quamcunque impressionem producant mea verba, quae sub omni forma nonnisi in verum bonum Ecclesiae ac Status tendunt. Probe novit Exc. Vra, Bullas, Brevia et Rescripta Pontificia esse actus Iurisdictionis Summi Pontificis, quam in universa Ecclesia exercere debet. Hoc ius S. Patris ab omnibus recognoscitur, eodem modo, quo Ecclesia, cuius ipse summum Caput est, pro perfecta, independente et regnante societate agnoscitur. Omnes igitur fideles, qui eiusdem membra sunt, in conscientia subiiciuntur eius decisionibus, quae seu dogmata, seu moralem et disciplinam respiciunt. Iam quomodo posset admitti hoc ius Pontificis, quomodo recognosci ius regiminis, et independentia Ecclesiae, si cuicunque subdito Ecclesiae, etiamsi Imperatori, vel Regi, integrum esset: promulgationem eius decisionum impedire, illasque effectu frustrare? Quid diceret Monarcha— quemadmodum rite observat celeber quidam scriptor, — si Pontifex et Pastores, a Deo constituti ad regendam Ecclesiam suam, praetenderent consensu suo munire politica decreta, quae saepe Statui, libertati ecclesiasticae, iurisdictioni Pontificis et Epporum contraria atque praeiudiciosa sunt? Quid ad haec diceret quidam Rex, aut Imperator? Pari ratione visibile

Digitized by Google

Caput Ecclesiae non frueretur plena potestate in spiritualibus rebus, si acta eiusdem a beneplacito Principum dependerent, et ab his effectu privari possent. Summus Pontifex Pius VI, Ludovico XVI scribens hunc in modum fatur: „Lubenter recognoscimus, leges publicae administrationis, quae ad laicam potestatem pertinent, perfecte independentes esse a legibus Ecclesiae; atque ex eadem ratione, affirmando, illas observandas esse, una statuimus: has, quae a nostra auctoritate emanant, per laicam potestatem violari non posse.“ Loquendo ad Ministrum et Gubernium catholicum, haud prolixis observationibus utar; solummodo addam: neminem ignorare posse, Iesum Christum, fundando Ecclesiam, Apostolis, eorumque successoribus potestatem contulisse, quae nulli alteri subiecta est, et nullo modo ad civilem auctoritatem pertinere potest; sed quae semper ab omni mundana dominatione libera esse debet. „Quanta coecitas, — exclamat Bossuetus — quantus error, quod reges magis independentes se reddituros credide-rint, se dominos religionis faciendo; dum tamen religio, cuius auctoritas maiestatem illorum inviolabilem reddit, nequeat esse, pro ipsorum proprio commodo, nimium independens, et dum vera magnitudo Regum in eo consistit, quod sibi ipsis, quemadmodum Deus, cuius imaginem praeseferunt, nocere non possint, consequenter nec religioni, quae fulcrum est throni ipsorum.“ Priusquam concluderem, Exc. Vrae notum facere debeo, S. Sedem semper contra omnia Gubernia protestatam fuisse, quae regium ‚exequatur‘ tristissimis temporibus introduxerunt; illudque ad schisma tendens, et iuribus e primatu et iurisdictione Papae supra totam Ecclesiam profluentibus contrarium declarasse. Quapropter Sua. Caes. Reg. et Apostolica Maiestas (Imperator Austriae) evitando traditiones et errores prohibitos, pro sua pietate et iustitia, de hoc obiecto specialem articulum inseri fecit Concordato, 1855 cum S. Sede concluso, cuius tenor est sequens: „Cum Romanus Pontifex primatum tam honoris, quam iurisdictionis in universam, qua late patet, Ecclesiam iure divino obtineat, Epporum, Cleri et populi mutua cum Sancta Sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis nulli placetum regium obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit.“

ilized by Google

Faxit Deus! ut exemplum pii Monarchae imitentur Gubernia, quae Catholicam, Apostolicam et Romanam Religionem profitentur. — Petrus Franciscus, AEppus Damas.

1684. Responsum Ministri ad Notam Nuntii Apost. dd. 29 Ian. 1865. Percepi Notam Exc. Vrae dd. 19 curr. mensis eo scopo scriptam, ut protestetur contra promulgationem decreti Suae Mattis de 7 e. m. per quod leges regium ‚exequatur' quoad Bullas et Rescripta Pontificia concernentes vigore donantur. Haec protestatio nullum extraordinarium eventum constituit pro illis, qui expendunt, huiusmodi actum formalitatem esse, personis, in conditione et situ Exc. Vrae positis, iniunctam. — Imo cum admiratione et dolore experior, Exc. Vram eidem inexpectatum momentum attribuere, et sub eius obtentu, varias exorbitantes praetensiones formare. Quapropter adstrictum me sentio, huic obiecto immorari, metuens, ne silentium meum pro assensu sumatur; eo magis, quod in hac circumstantia quoque, prout in nonnullis aliis, oblivioni tradita sint quaedam praecedentia facta, quorum ratio habenda est, si de re iustam et sanam opinionem depromere volumus. Ut ab his factis sermonem ordiar, in memoriam revocabo Exc. Vrae, quod, secundum leges, quae eo momento, dum Sua Mattas solemnem declarationem, in Epistola ad Ministrum Iustitiae dd. 27 Decemb. a. p. contentam, et per Exc. Vram perperam diiudicatam, quia perperam intellectam, fecisset, vigorem habuerunt, — catholica Ecclesia omni praesidio, (Garantie) omnibusque iuribus exuta fuerit, et catholicus cultus, instar sectae habitus, sub dura servitute gemuerit, quamvis liber declaratus exstiterit. Haec libertas unice in eo consistebat, quod Gubernium regia iura, in legibus, concordatis et consuetudine stabilita neglexerit, seu honorificis praerogativis suis, beneficiis et omni legitimae interventioni, quam prius quoad ecclesiastica negotia exercuit, renunciaverit. Clerus, qui obiectis, ad Ecclesiam non pertinentibus non amplius occupabatur, libere et licite potuit cum Romana Aula communicare. Haec apparens larga et perfecta libertas

Digitized by Google

consolationem afferre debuisset Ecclesiae, temporalibus suis bonis spoliatae ; caeterum haec omnia tantum illusiones erant; etenim Ministri Religionis, divexati et humiliati, neque in exercitio pure spiritualium suarum functionum liberi erant. Gubernium illos persequebatur ad Aram, in ambona, in sede confessionali, sub praetextu regulandi exercitium eorum ministerii. Si Gubernium in respectu admissionis Bullarum et Rescriptorum Pontificiorum prorsus indifferens se exhibuit, ratio est: quod his actis nullam significationem et vigorem attribuerit; cum eadem in obiecto spirituali et in materia disciplinae quoque pro lubitu annihilare potuerit. Catholicismus sortem sectae, et quidem persecutioni obnoxiae sectae subivit. Hic status rerum, et consequenter legislatio quoque, cuius sequela fuit, perfectam mutationem subivit 27 Decembris, dum Imperator cath. Religionem pro Religione Status declaravit. Si momentum huius declarationis iuste aestimatum non fuit, culpa neutiquam Monarchae attribuenda est; sed passionibus, quae intellectum subiugantes, verum commodum religionis agnosci non permittunt, et forsitan sortem totius Catholicismi maxime critica epocha periculo exponunt. Non obliviscatur Exc. Vra, scenam, quae isthic praeparatur, partem efficere magni illius dramatis, quod ab aliquo tempore in omnibus partibus mundi catholici conspici tur, ad cuius evolutionem nos quoque influxum habebimus. Declaratio, quae catholicam religionem religionem Status esse enunciat, necessario connexam habet adoptionem legum ecclesiasticarum, cum restrictione civili. Haec adoptio itaque absoluta, aut illimitata esse nequit; etenim ipsa natura rei, atque plurium seculorum experientia nos docuerunt: his legibus saepe admixtas fuisse dispositiones, quae ex toto, vel in parte ad politicum et civilem ordinem se referunt, et quas nullum Gubernium silentio praeterire potuit, nisi supremae potestati renunciare atque simplex instrumentum extraneae auctoritatis fieri voluisset. Potestas Pontificis et illa Imperatoris notissimae sunt, et facillime ab invicem discernuntur. Prior est pure spiritualis, et pro obiecto animas habet; posterior est temporalis et pro obiecto corpora habet. Haec distinctio inter duas potestates sancta atque summae auctoritatis est, cum ab ipso Deo

Digitized by Google

procedat, et neutra illarum in sphaera sua alterius dominium agnoscat. Ut haec aequalitas obtineatur et mutuus consensus harum potestatum, paxque populorum conservari possit, dicente Cardinale Petro Damiani, necessarium est „ut duae potestates vinculis charitatis sibi invicem uniantur; ut Imperator se inveniat in persona Romani Pontificis, et Romanus Pontifex in persona Imperatoris; ut Pontifex delinquentes nomine legis Principis coërceat, et Princeps cum Eppis decidat auctoritate ss. Canonum de iis, quae saluti animarum prodesse possunt.“ In materia dogmatis nihil obstat huic exoptandae, semperque optatae harmoniae; quamvis eadem nequaquam obtineatur, cum in huiusmodi materia quilibet christianus coece se subiicere debeat. Idem obtinet in materiis spiritualibus et illis quae proprie et speciatim ad Sacerdotium referuntur; neutiquam vero in materiis mixtis et disciplinae, quae ordinem civilem attingere possunt. — Reipsa inter has reperiuntur nonnulla puncta, quae ad sphaeram utriusque potestatis pertinent, quaeve, ut effectum sortiantur, consensum aut cooperationem utriusque auctoritatis deposcunt, quarum singula, in sphaera sua proprium sibi scopum prosequitur, quin neutra, — ut supra dictum est — alteram sibi subiicere niteretur.

E similibus praemissis, quae nemo absque periculo sociali ordini imminenti, et perturbatione ipsius Christianismi negaverit, necessario deducitur ius, vel potius obligatio, cuivis gubernio, monarchico aut republicano incumbens, bullas, et rescripta pontificia examinare, non eo scopo: ut — quemadmodum Exc. Vrae videtur — de orthodoxia huius vel alterius puncti dogmatis aut disciplinae iudicium depromat, aut opportunitatem praeceptorum pure ecclesiasticorum decernat; neque ut eadem, si nulli reflexioni obnoxia sint, et si potestas Pontificis intra praestitutos limites versatur, sanctioni temporalis Principis, per quam obligantem vim consequerentur, obnoxia reddat; — haec omnia aliena sunt a desideriis Principis; haec omnia non sunt obiecta regii ‚exequatur‘; — sed scopus decreti est: invigilare, ne rescripta pontificia aliquid contineant, quod publicum ordinem, materialia obiecta, a religione aliena, et civilia negotia civium attingant. Itaque hic

Digitized by Google

nonnisi de nuda elucubratione facti agitur, et de praxi, inomisse necessaria ad conservationem iuris, cuius Gubernium summus et unicus arbiter est, qua naturalis defensor suarum praerogativarum et civilium negotiorum suorum subditorum. Exc. Vra in scientiis ecclesiasticis tantopere versata perspiciet, Imperatorem hac in parte ‚prorsus nihil exigere, quod ad ipsum non pertineret; eundemque, tuta conscientia repetere posse verba, a Constantino pro aedificatione et applausu Patrum magni Concilii Nicaeni prolata: „Vos quidem in his, quae intra Ecclesiam suut, Eppi estis, ego vero in his, quae extra geruntur, Eppus a Deo sum constitutus.“ Nec alterius sententiae fuit magnus Bossuetus, ad cuius auctoritatem Exc. Vra se provocat, ut mihi demonstret necessitatem sustentandae independentiae religionis, qua firmissimi fulcri throni, et auctoritatis guberniorum. Perfecte assentiendo doctrinae eiusdem, nonnisi interpretationem Exc. Vrae reiicio; nam Imperator noluit, et non vult ad servitutem redigere religionem, quamvis intactas conservare velit et debeat suas praerogativas atque impedire, ne aliquis sub obtentu religionis manum ad easdem extendat. — Exercitium regii ‚exequatur‘ saluti et independentiae religionis nullatenus obesse, monumenta faustissimae epochae Ecclesiae demonstrant, et doctrina defensorum eiusdem confirmat. Cum nec locus, nec necessitas adsit, quaestionem abunde iam elucubratam novae disquisitioni subiiciendi, suffecturum fore censeo duo testimonia, ab auctoritate, quae mihi per Exc. Vram opponitur, magni quippe Bossueti, desumta in medium proferre. Exc. Vra recordabitur, celebrem hunc doctorem gallicanae Ecclesiae disertis verbis enunciasse: Canones generalium Conciliorum Lateranensis III et IV, temporales quaestiones decernentes, vigorem legis tunc tantum habituros, si a regibus approbati et confirmati fuerint; et consensum regnantium ad publicationem decretorum necessarium esse, in quantum poenae in iisdem statutae tales essent, quas Ecclesia propria sua auctoritate infligere nequit, et in respectu quorum (decretorum) appellare debet ad leges Principum, qui eadem protegunt. — Eodem modo interpretatur disciplinaria decreta Concilii Tridentini, quae plura regna absque laesione religionis necdum acceptarunt,

et ex hoc incidenti sequentia, memoratu digna verba protulit: „Itaque ipsa decreta oecumenicorum Conciliorum de temporalibus negotiis, nequaquam suprema auctoritate decerni possunt ab Ecclesia, sub praetextu, quod suae iurisdictioni subsint, et absolutam conditionem fidei constituant; sed ratihaberi possunt, vel non, prouti reges illa confirmant, aut reiiciunt.“ Ego isthic formalem, atque explicitam sanctionem regii ‚exequatur‘ relate ad maxime solemnia acta legislationis ecclesiasticae, reperio. Systema eiusdem plene adoptatum fuit in articulo, qui congressui facultatem tribuit, leges in materia cultus et disciplinae statuere.

Missioni Exc. Vrae nonnulla facta praecesserunt, quorum meminisse iuvabit. Dum D. Clementi, qua delegatus S. Patris ad hanc metropolim venisset, ego pariter Minister extraneorum negotiorum eram, et prima persona fui, ad quam idem, scopo exponendae suae missionis se convertit. Idem mox praemisit quaestionem formae, ut suam Bullam subducere possit exhibitioni regii ‚exequatur‘; ast hanc formalitatem evitare non potuit, et suscitatis infaustis quaestionibus, haud parum contulit ad multiplicanda obstacula. Gravissima quaestio inde profecta est, unde minime expectaretur; scilicet a parte venerabilis, eruditione et virtutibus clari Archi-Eppi, tunc Ecclesiam Mexicanam gubernantis, qui scopo recognitionis delegati desideravit, ut suam bullam regio ‚exequatur‘ submittat. Hoc principium et ius pariter recognovit totus Eppatus et Clerus Mexicanus, qui ope supplicationis, corpori legislativo exhibitae, acceptationem bullarum D. Clementi petiit. Precibus his delatum fuit, sed non absque restrictione; cum sex capita reservata fuerint. Omnia haec acta typis procusa existunt, et Exc. Vra convinci poterit, narrationem meam omnino exactam esse. Profecto dolorosum et aeternum deplorandum est, quod hac hora, et epocha, nostrae pari, huiusmodi controversiae suscitari possint, et quidem in forma, mutuae concordiae et consensioni plurimum opposita, et quod eaedem perturbare possint populos, periculo exponendo independentiam et suprematiam nationum (la souveraineté des nations.) Plurimum doleo, me adactum esse ad enunciandum: omnes hos defectus in tenoribus et ideis Notae, qua isthic

Digitized by Google

occupor, coadunatos esse; nam omnes praetensiones, in eadem expositae, ad temporalem dominationem tendunt, sub vexillo, quod ab hac alienum est. Maximilianus, qua civis et membrum christianae communitatis, cum veneratione et submissione se inclinat coram spirituali auctoritate communis Patris fidelium; sed Maximilianus Imperator et repraesentans Monarchiae Mexicanae, nullam potestatem sua his in terris superiorem agnoscit. Propterea amplecti non possum ideam, quae Exc. Vrae, extollendae summae potestati et independentiae Romani Pontificis intentae, fors inconsiderate elapsa est, et secundum quam Imperator Pontifici qua subditus parere debet. Permissum sit mihi cum honore observare, hoc assertum minime subsistere. Tum Imperator, tum Papa directe a Deo accepit suam plenam et absolutam potestatem, quilibet intra respectivos suos terminos. Inter aequales non datur subiectio. Hanc veritatem Bossuetus quoque profitetur, et auctoritas eodem longe superior docet: divinus quippe codex Christianismi. Cum ad Imperatorem Mexicanum haud pertineat, factis aliorum Monarcharum invigilare, neque illorum agendi ratio ipsi instar normae deservire debeat; hinc abstineo ab examine facti, per Exc. Vram instar exempli propositi, vi cuius Imperator Austriae suo iuri placeti regii in Concordato 1855 renunciavit. Suae caes. et reg. Matti ita placuit; ceterum observare sustineo, huiusmodi factum esse implicitam recognitionem iuris, cuius cessio petebatur, et optandum est, ne eventu comprobentur metus et prophetiae, quas relate ad hunc actum, qui apparenter dignitatem et auctoritatem Romani Pontificis tantopere exaltat et provehit, anno 1856 Romae quoque audiendi occasionem habui. Reipsa illi, qui immoderato zelo abrepti, Pontificatum ultra suos limites extollunt et suo charactere exuunt, immemores sunt severae doctrinae historiae, beneficium prudentiae, plus valentis quam quaecunque praesumptio, amittunt, suprematiam S. Sedis apparenter adaugent, ast in realitate diminuunt, veramque eius auctoritatem non tam venerabilem, quam potius odiosam reddunt. Adhuc semel repeto sententiam Bossueti. Quantumvis ingrata mihi sit forma, quam nostrum literarium commercium, contra spem et desi-

Digitized by Google

derium meum, subivit, dolor tamen meus nullatenus imminuit sensa aestimii, quorum Excellentiam Vram certam reddo etc. — Ramirez. — (Documenta haec Mexicana de corresp. Nuntii cum Ministris desumta sunt ex libro: ‚La Cour de Rome et l' Empereur Maximilien. Paris. 1867.' qui sat inimico erga Aulam Romanam calamo conscriptus est.)

1685.

Allocutionis Pii IX die 27 Mart. 1865 habitae fragmentum de rebus Mexicanis.

— — Quamquam acerbissimum nobis attulerint moerorem tristissimae sane res, quae in Mexicano Imperio recens evenerunt praeter omnem opinionem expectationemque nostram, et filialis observantiae significationes nobis a carissimo in Christo filio nostro Maximiliano Mexici Imperatore variis temporibus exhibitas: tamen de eisdem rebus in praesentia sermonem habere minime existimamus. Ea enim spe sustentamur fore, ut idem Imperator proprii officii, bonique memor, ac serio considerans, Catholicam Religionem eiusque salutarem doctrinam imperiorum felicitati stabilitatique, et temporariae quoque populorum prosperitati ac tranquillitati maxime conducere, velit a via misere inita pedem referre, et iustissimis nostris desideriis ac postulationibus obsequi, et illius catholicae nationis votis ac reclamationibus satisfacere, et in suo Imperio gravissimas Ecclesiae reparare ruinas, eiusque veneranda iura, libertatem, sacrosque Antistites, ministros, et instituta tueri, ac singularem cum Eppis praesertim concordiam servare, quemadmodum religio ac iustitia omnino postulat, et catholicum principem plane decet.

1686.

Allocutionis Consistorialis de 20 Sept. 1867 fragmentum quoad res Mexicanas.

— Hac occasione sciatis, velimus, ven. fratres, mendacem quemdam libellum gallice scriptum et Parisiis recens

Digitized by Google

editum fuisse, quo cum summa perfidia et impudentia in lectoris animum dubia insinuantur, ut luctuosissimae rerum in Mexico vicissitudines huic Apost. Sedi aliquo modo attribuendae sint. Quod quidem quam falsum, quam absurdum sit, omnes certe noscunt, atque id luce clarius apparet inter alia documenta ex Epistola nobis die 18 superioris mensis Iunii ab infelicissimo Maximiliano in carcere scripta, antequam indignam et crudelem mortem obiret. —

VIII. Monumenta Hollandica.

1687.

Concilium Prov. Ultraiectense de relatione inter Ecclesiam et Civitatem. 1865.

Tit. I. cap. 9. — Ordinis supernaturalis osores nullam agnoscere possunt supernaturalem societatem, quae iure proprio divinitus accepto semet constituat suamque actionem exerat in homines. Omnes proinde conatus eo convertunt, ut Ecclesiae Christi constitutionem ac potestatem deleant ac subvertant: nec pauci sunt hac nostra infelici aetate, qui ipsorum doctrinis contra Ecclesiae iura ac salutiferam actionem praetextu libertatis ac falsi cuiusdam progressus miserabiliter abripiuntur, maximo sane cum detrimento christianae non minus quam civilis reipublicae. Pravae itaque impiorum machinationes sedulo detegendae sunt fidelibus, ac adlaborandum inprimis, ut de Ecclesiae constitutione deque potestate, quae illi divino iure competit, rite edoceantur. ‚Ecclesia nempe ut vera et perfecta societas a divino Auctore suo fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus nulli etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac iura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat. Nec sane aliter indicant solemnia illa Christi Domini ad Apostolos verba: Data est mihi omnis potestas etc.‘ (Pius IX. ‚Multis gravibusque.‘ 1860.) Non est ergo minor Ecclesiae

Digitized by Google

potestas, quam quae perfectae societati competit. Potestas autem huiusmodi, quae ligandi ac solvendi verbis ab ipso Christo specialiter Petro et Apostolis in communi collata fuit, ex sese complectitur ius ferendi leges ac ipsarum observantiam exigendi adhibitis etiam salutaribus poenis ad devios et contumaces coërcendos. Qui coactivam potestatem Ecclesiae denegant, incidunt in sententiam alias iam damnatam uti haereticam. Huius potestatis exercitium in eos, qui in Ecclesiae corpus per baptismum admissi sunt ac libere in Ecclesia manserunt, auctoritatis ecclesiasticae prudentia regitur, at nullatenus eo pertinet, ut fidem ipsam per vim imponat, ceu ad invidiam in Ecclesiam creandam malitiosissime blaterant Ecclesiae inimici. — Ex eo, quod Ecclesiae propositum sit, spirituale hominum bonum curare, non consequitur, ad ipsam unice spectare, ut pro hominum salute orationes Deo dirigat, aut ad summum, ut verbum Dei annunciet et sacramenta administret. Perversam hanc doctrinam prorsus reiicimus. Non enim meris spiritibus Ecclesia constat, sed hominibus viatoribus; auctoritas vero, quae ipsi a Christo data est, exerceri debet in homines, atque ea ratione quam Christus ipse constituit quamque finis Ecclesiae assecutio postulat. Regnum Christi non est de hoc mundo, sed tamen in mundo constitutum est. Atque hinc etiam tenemus, ius bona temporalia acquirendi et possidendi nullo pacto Ecclesiae denegari posse. Ad hoc enim ut ipsa, prouti eius natura exigit, subsistat ac prouti finis sibi praestitutus requirit, spirituale hominum bonum promoveat, media temporalia non modo utilia ipsi sunt sed prorsus necessaria. In Ecclesiam ergo iniurii sunt, qui asserunt, conforme esse sacrae theologiae iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a familiis religiosis aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare. Errores isti atque alii plures, qui contra amplissimam imperii potestatem Ecclesiae collatam ad regendos et gubernandos fideles sparguntur, ex falsissima illa doctrina originem ducunt, quod Ecclesia sit in Civili Imperio quoddam veluti collegium, nullisque proinde polleat iuribus praeter ea, quae concessa illi sunt atque attributa a civili potestate, huius potestatis esse definire limites, intra

Digitized by Google

quos Ecclesia exercere queat iura ab ipsa concessa, reipublicae vero statum omnium iurium originem esse ac fontem, ac proinde iure quodam pollere nullis circumscripto limitibus. Ecclesia quidem constantissime docuit, Deum ipsum auctorem esse societatis civilis, atque adeo secularem etiam potestatem a Deo repetendam esse, erga quam obedientiam ac submissionem semper praecepit ac commendavit, iuxta illud Pauli: Non est potestas nisi a Deo, — qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed simul agnovit, aliam potestatem in mundo existere, quae competit Societati Ecclesiasticae, quaeque non a civili Imperio, sed a Christo ipso immediate originem duxit. Ecclesiae semper solemne fuit asserere ac tueri, nihil sibi sed totum civili potestati tribuendum esse circa ea, quae finem temporalis felicitatis unice respiciunt, atque adeo respectu huius finis potestatis civilis plenam independentiam agnoscere et proclamare. Simul tamen hanc ipsam independentiam ac plenam libertatem sibi vindicavit in iis, quae ad finem salutis aeternae referuntur. Docuit quidem civili potestati competere, ut ecclesiasticam tueatur secundum quod possibile fuerit, sed ius quodvis in sacra, quod ipsa sibi per se tribueret, ei prorsus denegavit. Reprobandus itaque ac damnandus est error illorum, qui perverse comminiscuntur, civilem potestatem posse se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent, atque etiam impedire, quominus Sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice, supremo totius Ecclesiae Pastore divinitus constituto, libere ac mutuo communicent. Falsa est, temeraria, Ecclesiae ac Spiritui Dei iniuriosa ac adminus erronea sententia illorum, qui, ut civili potestati submittant quae ad ecclesiasticam pertinent, Ecclesiam potestate sua abuti posse docent ad constituendam disciplinam periculosam et noxiam. Ecclesiam ipsam impudentissime calumniantur, qui affirmant, potestatem ac independentiam, quam ipsa sibi vindicat, ad bonum duntaxat mundanum prosequendum tendere, niti confusione quadam ordinis spiritualis ac mere politici, essentialia iura potestatis civilis usurpare ac invadere. Qui in potestatem civilem insurgunt eamque infirmant, alii non sunt quam ii ipsi qui Ecclesiae potestatem oppugnant, quique omnia le-

Digitized by Google

gitima iura conculcant et labefactant. Ecclesia vero, quae probe noscit, sine seculari potestate ac debita illi obedientia ac submissione nullum terrestrem ordinem atque nullam proinde societatem possibilem esse, iis, qui civilem ipsum principatum destruere ac dissolvere attentant, firmiter resistit, eorumque errores damnat.

Duae istae potestates, ecclesiastica et civilis, quarum una a Christo immediate procedit, altera vero a Deo auctore ordinis naturalis, etsi distinctae ac diversae mutuoque independentes sint, positae tamen fuerunt, ut per ipsas perfecta hominis felicitas producatur. Ecclesiae propositum est curare felicitatem sempiternam, quae est finis omnium supremus; civili vero societati felicitatem temporalem, quae adinstar medii ad sempiternam refertur. Pertinet ad ipsam felicitatem temporalem, religionis ac probitatis curam habere, imo verum hominis temporale bonum non est, quod a bono omnium maximo abducit. Atque hinc est, quod regia potestas non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium sit collata, ita quidem, ut eius auxilium in Ecclesiae bonum conferendum non praeiudicare praesumat, sed potius quae Deo sunt placita exequatur. Inter finem utriusque societatis non oppositio adest sed coniunctio, concordia atque coordinatio: hanc proinde coniunctionem, concordiam et coordinationem inter ipsas etiam earumdem societatum auctoritates adesse debere negandum non est. Huiusmodi amicum consortium Ecclesia quam maxime optat; vehementerque detestatur pravas illorum opiniones, quae eo spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam Catholica Ecclesia ex divini sui auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem seculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris. Scimus quidem ad praxim quod spectat, plurimum in hac re pendere ex facti circumstantiis, in quibus aliqua natio reperitur; sed non ideireo generatim ac absolute asseri potest, optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana

Digitized by Google

societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, prouti docent ii, qui civili consortio impium absurdumque Naturalismi principium applicare vellent. Eorum itaque errorem cum SS. Patre nostro Pio IX reiicimus et condemnamus. Atque hic illorum etiam calumniam totis viribus reiicimus, qui aiunt Ecclesiam Catholicam inimicam esse progressus et civilitatis. Si enim vera rebus vocabula restituantur, Ecclesia non solum non adversatur progressui et civilitati, sed veri progressus fuit semper patrona et altrix, veramque civilitatem in dissitas quasque nationes ipsa adduxit atque conservat. Progressus ac civilitatis nomine luctuosis hisce temporibus designatur effroenata vivendi licentia, iurium omnium subversio, religionis spretus: at cum huiusmodi civilitate Ecclesia numquam conveniet, eiusmodi progressui constanter adversabitur. In illorum etiam studiis, qui res corporales perscrutantur, ut eas variis humanae vitae usibus applicent, si in se quidem spectentur, Ecclesia nihil videt, quod laudem non mereatur. Scit enim terram datam fuisse a Deo in possessionem hominibus, ut vires illius propria industria exercerent ac sibimet ipsis fructificarent. Eos unice reprehendit, qni propter rerum temporalium studium aeterna negligunt, quique ipsorum inventa in rerum corporalium natura exploranda praepostere credunt ad doctrinam salutis calumniandam transferri posse. Contra insidias itaque ac fallacissimas artes inimicorum veritatis eo directas, ut perniciosissimi illi errores, contra quos vocem extulimus, aliique etiam peiores quaquaversus diffundantur atque ita religio obliteretur, societas convellatur, Ecclesia debilitetur ac si fieri posset destruatur, parochi ceterique sacerdotes ministerio addicti pro ipsorum zelo ac prudentia indesinenter vigilabunt. Ut vero et tutius sciant quae a fidelibus vitanda sunt, et facilius muneri proprio satisfaciant, tamquam normam habebunt Epistolam Encyclicam, quae haud ita multo ante a Supremo gregis dominici Pastore, vigilantissimo Pontifice, Pio IX ad omnes Eppos data fuit, necnon adiectum eidem Epistolae propositionum damnatarum Syllabum. Hanc nos regulam secuti sumus in iis erroribus reprobandis, quos specialiter parochorum vigilantiae designandos esse censuimus: illi ipsi apostolicae regulae fideles nostri

Digitized by Google

omnes meminerint omni veneratione ac pietate esse adhaerendum.

Tit. IX. cap. 5. Quoniam Ecclesia, columna ac firmamentum veritatis, a divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat, idcirco fieri non poterat, quin singulari ratione vim illam salutiferam, quam ex divina sua institutione semper exercuit et in humanae societatis instituta exercere debet, circa iuventutis institutionem sibi duceret adhibendam. Non modo enim homo edocendus ab ipsa est, ubi primum evangelicae doctrinae audiendae capax est, sed et eo profundius descendunt eius praecepta, quo teneriori aetate imprimuntur, ac, ceu testatur Spiritus S., adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Summa proinde cura studioque Ecclesia prosequuta iugiter est puerorum Scholas, quibus ipsa ortum dedit, et quas ad iuvenilem aetatem literarum rudimentis simul ac morum disciplina informandam destinatas semper habuit. Morum honestas unice a fide nostra ss. producitur, alitur et augetur, atque ideo Ecclesia nullam aliam agnovit puerorum institutionem praeter eam, quae cum scientia rerum naturalium et cognitione finis atque officiorum vitae socialis religiosam instructionem coniungit, eique primas cedit partes. Quinimo in hisce scholis, quibus omnibus cuiusque e populo classis puerulis aditus patet, religiosa praesertim doctrina, prouti docet Summus Pontifex Pius IX, ita primarium in instructione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliarum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, veluti adventitiae appareant. Proscripta proiu fuit per eundem gloriosissimum Pontificem propositio, quae asserit: Catholicis viris probari posse eam iuventutis instituendae rationem, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet. Qui hodierna praesertim tempestate nihil inexpertum relinquunt, quo a supernorum consideratione homines abdu-

Digitized by Google

cant, ac totos terrenis rebus involvant, funestissima omnia conamina adhibent, ut educationem et institutionem iuventutis vel Ecclesiae eripiant, vel ab eius magisterio et vigilantia quotidie magis amoveant. Probe enim norunt, quantopere ex recta adolescentes instituendi ratione verus ille christianus societatis spiritus dependeat, qui unus potest et publici ordinis tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare, ac verum utilemque civilitatis progressum efficere ac moderari, et ea omnia hominibus praebere subsidia, quae ad ultimum suum post mortalis huiusce vitae statutum finem assequendum, scilicet ad aeternam salutem obtinendam sunt necessaria. Ut itaque quae ex perniciosissimis eorum artibus reipublicae tum sacrae tum civili imminent calamitates, quantum fieri potest, arceantur, nihil potius, nihil solemnius sit Ecclesiae ministris, quam ut de scholis puerorum ad catholicam normam instituendis moderandisque sollicitam ac impigerrimam curam agant.—

Tit. IX. cap. 6. Puero in iuvenem succrescente, dum exquisitior paratur illi institutio, aut institutioni ipsi extrema admovetur manus, allicientibus interim mundi illecebris, carnisque cupiditatibus blandientibus, non potest Ecclesia religiosas illas curas deponere, quibus puerilem aetatem complectitur, ac inexpertam iuventutem in medio discrimine relinquere, quin eidem salutari sua moderatrice auctoritate adesse pergat, coelestique suo lumine ac robore eam usque comitetur. Itaque ipsa Ecclesia duce et comite inventus in scholis etiam superioribus erudienda est: ac neminem profecto latet, quantam Ecclesia ipsa, de istis quoque humaniorum literarum et disciplinarum scholis, quas ipsa et primum fundavit et constanter sua ope fovit, curam omni aetate gesserit, ac qualem maternam plane de illis habuerit sollicitudinem. Equidem ne venena erroris vel impietatis hisce in scholis immisceantur, eo industrius cavendum, quo magis interest, ut qui potiora in eccles. et civili societate officia gesturi iis in scholis praeformantur, ad eadem officia iuxta christianam normam adimplenda rite fuerint praeparati. Quemadmodum proinde ex illa educatione, quam Ecclesia exigit et procurat in his etiam superioribus scholis, poterit respublica christiana optimos cives, providos administratores et magistratus spe-

Digitized by Google

rare ac iure sibi polliceri: ita e contra institutio, quae sine christianae doctrinae morumque disciplinae auxilio adolescentium mentes informat, non potest non parere progeniem, quae pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota et impulsa maximas tum privatis familiis tum reipublicae affert calamitates. Haec Synodus in nomine Eius congregata, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, omnibus, qui altiorem adolescentiae institutionem commissam habent, proprii officii rationem serio meditandam exhibet, ac de regula, quam prae oculis habere semper debent, gravissime monet et cohortatur. Ei, qui alumnorum suorum profectui ac saluti consulere cordi habet, a ss. fidei nostrae mysteriis ac praeceptionibus declinare non licet. Prouti enim omnis institutio recta ac stabilis non est, nisi veritate ac virtute nitatur, ita veritatis ac virtutis suprema regula fides est ac religionis sanctae cultus. Qui Gymnasiis, Collegiis aliisque similibus institutis praesunt, memores apprime sint gravissimi oneris, quod ipsis impositum est, omnique studio efficiant, ut educatio, qua iuvenes informantur, doctrinae christianae conveniat, utque alumni piae religiosaeque vivendi rationis observantissimi sint. —

Tit. X. cap. 1. Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta tamquam societas perfecta, quum ad salutis ministerium in terris exercendum terrenis etiam egeat praesidiis, temporalia bona iure sibi proprio acquirit ac possidet. Deo dedicata ecclesiastica bona splendori cultus, pietatis operibus, ministrorum sustentationi impenduntur, et sacra eo ipso sunt, quod ad hos religiosos usus destinantur. Nefas est, nisi legitima accedente auctoritate legitimisque suffragantibus causis ab usu, ad quem adhibenda sunt, illa distrahere. Incolumitati bonorum ecclesiasticorum piorumque locorum, ad quae illa pertinent, maxima sollicitudine prospiciunt sacri canones et Romanorum Pontificum Constitutiones. Omnis eorumdem bonorum alienatio prohibetur ac nulla declaratur per ipsas eccles. leges, nisi et causa adsit, et praescriptae a iure solemnitates fuerint servatae. Quum vero huic Synodo apprime cordi sit, ut hac etiam in re iuris communis disciplina in Provincia Ultrajectensi religiose servetur, eccle-

Digitized by Google

siasticis sanctionibus eandem disciplinam respicientibus morem in omnibus gerendum esse declarat et postulat. — Res ecclesiasticae — non ea solummodo bona sunt, quae ad ecclesiae fabricam, vel ministrorum sustentationem spectant, sed et quaecunque alia ad monasteria, hospitalia aliave quaevis pia vel religiosa loca pertinentia: quae bona omnia utpote Deo oblata a fidelium pietate, sancta Domino facta fuerunt.

Cap. 2. Etsi penes nos notabilis patrimonii ecclesiastici pars sunt pietatis fidelium, quae numquam extingvitur, oblationes quotidianae, et vix quidpiam tristitia temporum Ecclesiae relictum fuit ex iis, quae avita Maiorum religio munificentissime in illam contulit: haec Synodus tamen in nomine Domini congregata de iis inculcandis, quae a ss. canonibus circa bonorum eccles. administrationem praescribuntur, non minus est sollicita. Quinimo religiosissime eisdem insistendum esse agnoscit, ut eo efficacius maioribus occurri possit necessitatibus. Quoniam bona, quae ad divini cultus splendorem aliasque pias causas, necnon ad ministrorum sustentationem offeruntur, Domino consecrantur ac in Ecclesiae potestatem transeunt, Eppi, qui Ecclesiae divina ordinatione praesunt, sunt pariter in unaquaque dioecesi salva suprema Romani Pontificis auctoritate primi eorumdem bonorum administratores, cui ceteri administratores subsunt et subesse debent. Id et antiquissimae eccles. disciplinae documenta proclamant et sanciunt. — Acta et decreta Synodi provincialis Ultrajectensis a. 1865 celebratae. Gestel St. Michaelis. 1867. p. 47. 318. 326.

1688.

Pastorales Epporum Hollandiae de re scholari cumprimis adversus scholas communes seu neutrales. 1868.

A-Eppus et Eppi Hollandiae fidelibus suis, curis commissis salutem et benedictionem in Domino! Dilectissimi Fideles! Dum A-Eppum et Eppos Hollandiae congregatos ad commissos sibi greges pastorales literas simultanee dimittere conspicitis', mox scire potestis: eos de obiecto loqui velle,

quod ex ipsorum sententia grave, publicae utilitatis et proprie catholicum est. Et reipsa tale Nobis obversatur obiectum, quod in intimo nexu constituitur cum futuro religioso et morali statu novae generationis, quae olim nostrum occupabit locum; agitur quippe de institutione catholicae iuventutis, et ea, quae vobis hoc in puncto dicere cupimus, sunt resultatum maturae deliberationis, quam implorato prius coelesti adiutorio, in nostro, hoc scopo celebrato conventu cepimus. Nos Catholici Hollandiae, qui nunc vitam agimus, fors paulo post decedemus de theatro huius mundi, coram aeterno et supremo Iudice rationes nostrorum factorum reddituri. Hic Iudex quaeret ex nobis: quid egerimus in respectu illorum, qui nobis successuri sunt, ut iura catholicae religionis in patria nostra serventur, et sarta tectaque reddantur; quaeret ex nobis: quid egerimus relate ad catholicam inventutem et sobolem? quomodo studuerimus antevertere omne id, quod avitam fidem, bonosque mores corrumpere posset, et quam sollicitudinem impenderimus, ut in Hollandia vere fidelis, pia et proba generatio educetur? Et ecce Dilectissimi! inter ea, quae opinione nostra plurimum conferrent — quod Deus avertat— ad ruinam religionis et moralitatis, referenda veniret negligentia nostra erga vere catholicam iuventutis educationem. Profecto quilibet advertere potest, ex una parte catholicam institutionem, ab ipsa catholica iuventute in dies magis neglectam, magno periculo exponi; atque haec naturalis sequela est spiritus incredulitatis, qui extra Ecclesiam quotidie maiora capit incrementa, et perversorum principiorum, suam destructivam vim ubique exerentium, — ex alia vero parte certum est, recte ob eos progressus, quos spiritus nequam circa Nos facit, nunquam magis necessarium fuisse, ac nostris diebus, ut sanctae veritates fidei, vera moralitas et intemeratae catholicae virtutes cordibus iuventutis profunde instillentur. Qui vel modicum serius meditatur de nostro situ, mox perspiciet urgentem necessitatem vere catholicae institutionis, non tantum ut iuventus a veneno, in malis scholis propinato, praeservetur, sed etiam ut pro exigentia adiunctorum sanis principiis catholicae fidei et moralitatis imbuatur. Huic itaque causae attribuite Dil. Fideles! quod Nos, quibus sollicitudo

Digitized by Google

animarum vestrarum commissa est, vobis exponere pergamus: quaenam sint hoc in gravi obiecto catholica principia; exhortantes vos, ut pro modulo virium catholicam institutionem sustentetis, et hac ratione occurrentes ubique defectus emendetis.

Ea, quae Ecclesia de obiecto institutionis tenet, principia ad haec pauca reduci possunt: Ecclesia vult, ut iuventus scientiis instituatur, sed una quoque desiderat, ut haec institutio quoad omnia puncta catholica sit et religiosa. Ex una parte non vult, ut iuventus in ignorantia adolescat; ex altera tamen parte admittere non potest, quamcunque institutionem indiscriminatim bonam esse. Unde non tantum quamvis irreligiosam institutionem reiicit, sed indifferentem quoque, quae religiosum elementum e proposito excludit. Priorem institutionem tamquam venenatam, posteriorem tamquam plusminusve defectuosam et insufficientem repudiat; priorem acceptare nunquam potest, — posteriorem dumtaxat in defectu melioris tolerat.

I. Ecclesia cupit, ut iuventus instituatur; procul abest ab illa impedire, ne intellectus per scientias evolvatur, aut mens humana systematicis cognitionibus ditetur; imo intime applaudit huiusmodi conatibus, et ipsa quoque, pro ratione adiunctorum et mediorum semper adlaboravit scientiarum et cognitionum sustentationi et propagationi ad omnes classes societatis. Opportunum censemus hnic puncto tantisper immorari. Nonne nostris potissimum diebus catholicis obiicitur: Ecclesiam livido oculo aspicere scientiarum et cognitionum progressus? Ecclesia — inquiunt — e proposito fugit lucem, omnesque conatus eo convertit, ut suos fideles in ignorantia et stupiditate conservet; quasi religiosa veritas, Catholicismo propria, scientias aut lucem reformidare deberet; — quasi Ecclesia ignoraret: quamlibet scientiam, veritatem et cognitionem, ipsas pure naturales scientias quoque, dummodo conscientiose tractentur, veritati sanctae fidei nostrae testimonium praestare, imo ad triumphos eiusdem multum conferre. Nonnisi praesumtio, superbia et depravatio cordis, neutiquam autem vera scientia quaerenda est in acie inimicorum Ecclesiae. Sed cur non sineremus facta loqui? Unde repetenda Dil. Fideles! haec scientiarum et morum cultura, quae Euro-

pam ad apicem gloriae evexit? Indubie ab Ecclesia. Etenim Historia docet, ab Ecclesia nunquam non alienum fuisse odium et contemptum scientiarum, quas potius semper protegebat, et magnanima largitate prosequebatur. Ecclesia, et unice Ecclesia servavit sacrae et profanae eruditionis thesauros, dum irruentes a Septemtrione barbarae nationes Romanum Imperium inundassent, et irreparabiliter evertissent. Ecclesia fuit, quae feris his gentibus verba salutis praedicando, thesauros quoque antiquae romanae et graecae culturae communicavit. Ecclesia prima fuit, quae inferioribus etiam hominum classibus, pauperibus ac derelictis aditum paravit ad institutionem, quae antea nonnisi privilegiatarum classium hereditas fuerat. Reflorescentia et progressus scientiarum Summis Pontificibus, Eppis et Religiosorum Ordinibus in acceptis debentur. Vix restituta, post tantas succussiones, Italiae tranquillitate, Agapitus Papa cum Cassiodoro proiectum institutionis sublimiorum disciplinarum paravit ; Gregorius M. Romae duas scholas fundavit ; Mediolani obviamus Benedicto A-Eppo, Mutinae Gisoni Eppo, in monte Cassinensi S. Benedicto eiusque sociis ; omnes hi in provehendis scientiis, non secus ac religione desudarunt. Attentione prosequiminor tardioribus seculis vestigia Missionariorum et Religiosorum in Hibernia, Germania et Gallia, et ubique episcopales, parochiales claustralesque scholas consurgere videbitis. Primo dimidio seculi octavi Concilia Eppis obligationem scholas aperiendi imponunt, et haec vox Ecclesiae a seculo in seculum resonat. Tardius in Europa sublimiores literarum palaestrae consurgunt ; sed ubique aut a Pontificibus fundantur, aut ipsis hortantibus eriguntur, qui easdem confirmant, defendunt, sustentant. Verbo : Ecclesia fuit, quae civilem societatem in Europa fundavit, percoluit et erudivit; adeo, ut anno 1648 occasione conclusae pacis Westphalicae, praeter templa et hospitalia Scholae quoque illis obiectis adnumerarentur,quae sacram possessionem Ecclesiae constituunt. Macaulay, quamvis acatholicus, e Historia eam nactus est persuasionem : in Europa scientias ubique pari passu cum fide progressas fuisse. Quidam gallus protestans scriptor quoque, haud e sympathia erga Ecclesiam, quam potius urgente vi veritatis agnovit : Clerum in possessione scientiarum

constitutum, has miseris et potentibus liberaliter dispensasse. Et numquid Ecclesia, ubi et quomodo tantum potuit, hanc traditionalem suam activitatem non semper exercuit? An non spiritus eiusdem suscitavit tam multas ecclesiasticas corporationes, quae omnes in hunc scopum collaborarunt? An non monet Ecclesia indesinenter pastores animarum et parentes ad institutionem iuventutis; an non eosdem excitat: ut in hunc laborem omnes conatus, omnesque facultates impendant? Atque hoc est, quod nec in medio vestri D. F. unquam praestare neglexerunt aut negligent Ven. Antistites vestri; memores praeceptorum, quae omni fere aevo acceperunt, quaeve recentissime Nobis iterum inculcavit anno 1865 asservata Synodus Provinciae Ultrajectanae dicendo: „Cautum esto, iuventutem in ignorantia omittere, aut necessaria institutione religiosa privare."

II. Ecce! talis est spiritus Ecclesiae in respectu ignorantiae, educationis et culturae intellectus; verumtamen in institutione, quemadmodum e verbis eiusdem Synodi patet, alium insuper sibi scopum praefixit, atque huic inprimis scopo conformis esse debet institutio. Hac in parte peculiari cum praecisione statuit eadem Synodus: „Ecclesia omni tempore eximia sollicitudine prosequebatur elementares scholas, quas ipsa primo fundavit, et semper adinstar institutorum habuit et coordinavit, quorum scopus et destinatio esset, ut in iisdem inventus in rudimentis scientiarum et bonis moribus formetur." Vera virtus, veraque moralitas nonnisi ab Ecclesia originem sumere potest; per hanc sustentatur et evolvitur. Propterea Ecclesia in respectu iuventutis nunquam aliam amplexa est normam, nisi eam, quae cognitionem rerum naturalium, non secus ac legum et institutionum socialium intime connectit cum doctrina religionis, huicque primum locum assignat. Ita sane, in scholis, quae prolibus omnium classium populi patent, religiosa institutio, docente SS. Patre nostro Pio IX, praecipuum locum tenere, atque reliqua disciplinarum obiecta adeo dirigere debet: ut ceteri institutionis rami, relate ad hanc, instar lateralium dumtaxat considerari debeant. In nexu huius principii SS. Pater damnavit propositionem, iuxta quam „Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica

Digitized by Google

fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario spectet.“ Iste est brevis complexus catholicorum principiorum, quae in decretis provincialis Concilii continentur, quae per Sanct. Patrem approbata, et per summi momenti doctrinam eiusdem confirmata fuerunt. Quisquis itaque vere catholicus esse cupit, catholicus in sensu Ecclesiae, haec principia profiteri, iisdemque se conformare tenetur. Quoad ulteriorem evolutionem et applicationem horum principiorum attentionem vestram ad ea, quae adhuc dicturi sumus, provocamus.

III. Ecclesia agnoscit magnum influxum primae institutionis ad religiosam educationem iuventutis, et per id haud aliud facit, quam confirmat principium, ab ipsa experientia omnium, qui quaestionem educationis scrutati sunt, pro vero recognitum. Ipsi increduli constanter annuntiant, scholam esse unum e praecipuis mediis spiritum, et cor populi formandi. Hac in parte sufficit observare continuum, systematicum, atque omni sub respectu facilem influxum, quem versatus educator in intellectuales facultates suorum discipulorum exercet. Potissima pars temporis, quod proli aut iuveni scopo comparandarum utilium cognitionum praefigitur, in schola decurrit; magister de dic in diem sequitur evolutionem tenelli intellectus, et ideo ipse de die in diem systematice, pedetentim et vix perceptibili modo dirigit impressiones, quae sub activo influxu institutionis nutrimentum spiritus evadunt, quasve intellectus, pro ratione suae evolutionis, sibi assimilat. Accedit auctoritas et superioritas scientiae et sapientiae, qua idoneus informator apud iuventutem pollet; varietas, qua seu religiosas, seu irreligiosas praelectiones, aut per ipsum obiectum, aut per rite propositam historiam vel argutam quamdam adplicationem condire novit, quae omnia ad impressiones cordibus prolium profunde instillandas, atque sic ad inserendum germen boni aut mali plurimum conferunt. Ea vero, quae dicimus, cumprimis de inferioribus scholis intellecta sunto, in quibus tenella iuventus primam sortitur educationem; nihilominus tamen adplicari possunt aliis etiam scholis, in quibus iuventus aetate provectior sublimioribus scientiis eruditur. Religio atque virtus

Digitized by Google

in naturali quasi connexione constituuntur. Quisquis, quantumvis in historia, literatura, naturalibus scientiis et paedagogia parum versatus, cognoscere potest: quam facilis res sit, sub praelectione religionem et moralitatem tangentia vera, aut falsa principia proponere, et quam avide arripiat eadem siti scientiarum laborans iuventutis intellectus, eodem modo assimilans sibi perniciosae doctrinae venenum, quo salutaria elementa et principia catholicae veritatis.

IV. Inevitabilem hunc influxum institutionis antesignani incredulorum, qui materialismo immerso seculo nostro dominantur, melius nosse videntur, quam nonnulli tepidi catholici. Profecto homines isti, dicente eadem Synodo, optime norunt, quantum dependeat spiritus vere christianus a religiosa educatione iuventutis, et ideo nihil intentatum relinquunt, quo huic institutioni aliam, suis nempe principiis conformem substituant. Finis et intentio horum neminem latet; Nos in hac patria quoad utrumque partim e dictis, partim e scriptis illorum plenam hausimus notitiam. — Ex alia parte videmus viros, qui conditione, et scriptis suis auctoritatem sibi vindicant, et qui magistris viam ostendunt, qua procedentes absque omni periculo oppugnationis aut amittendorum favorum e cathedris scholarum magna cum dexteritate et prudentia proponere possint principia, quae nonnullis religiosis ideis e. gr. fidei rerum supernaturalium adversantur. Alii ea spe sibi blandiuntur, per introducendam quamdam institutionem sensim atque penitus tollendas fore profundas et perturbantes scissiones, quae religiones ab invicem separant; quo medio ipsam religiosam convictionem exstirpandam fore, nemo non videt. Alii denique absque omni tergiversatione fatentur scopum institutionis esse, ut omnia religiosa praeiudicia exterminet et in locum horum saniores conceptus de universo, et de humanitate statuat; porro, ut populus in scholis genuinae religiosae institutionis, tam diu impeditae, particeps reddatur, radicalem incredulitatem commendant, quae omnem distinctam religionis formam, seu Ecclesiam reiicit. Huiusmodi est vox virorum, auctoritate praeditorum, quibus alii auxilio adesse festinant, suamque erga haec principia adhaesionem iam per volantia scripta, iam per publicas pagellas aliaque ingenii producta

enuntiant. Potenti exhortatione egent Dil. Fideles! omnes ii, qui in tristi necessitate versantur proles a catholicis scholis retrahere, et ad sic dictas neutrales scholas mittere; hi propius videbunt institutionem, in illis vigentem, et experientur, quam securitatem praebeant, ne fides et boni mores iuventutis detrimentum, aut ipsum naufragium patiantur. Et tunc, dum viderint reale periculum; dum perspexerint, sobolem suam tum quoad fidem, tum quoad moralitatem a recto tramite seduci, absolute protestabuntur adversus huiusmodi scholarum frequentationem. Opportunum erit tunc illis in memoriam revocare verba Domini: „Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?“ Numquid ignorantia non est millies praeferenda huiusmodi institutioni? Utinam Dil. Fideles! nemo vestrum dignum se reiderет reprehensione, quam S. Ioannes Chrys. in quosdam negligentes parentes protulit: „Si — inquit — mularium aut aurigam recipitis, omnem adhibetis curam, ut bonum selectum faciatis; sed dum de eligendo prolibus vestris magistro sermo fit, primo, qui vobis occurrit, contenti estis. O scelesta negligentia! o inexcusabilis stultitia! Quae enim res maiorem requirit circumspectionem et cautelam, quam ea, dum agitur de corde bene dirigendo, et de intellectu iuvenis ad virtutem formando?“ (Hom. 60. ad pop. Antioch.) Nos longe plus expectamus a vobis Dil. Fideles! Nos confidimus, neminem vestrum officiorum fidelis catholici immemorem futurum, neque proles suas his infortunatis traditurum, quorum unicus scopus est, institutionem pervertere; nihilominus tamen timemus, ne reperiantur nonnulli, qui remissiores sint in promovenda recta institutione, quam Ecclesia poscit, imo et praecipit. Quidam scilicet obligationi suae se satisfecisse arbitrantur, si manifeste perversam et periculosam institutionem vitaverint; quin animadverterent, catholicos tunc nonnisi rite adimplere sua officia, si omnem adhibuerint operam, ut prolibus suis perfecte catholicam institutionem procurent.

V. Ut quaepiam schola catholicorum fiduciam et approbationem quoad omnia mereatur, haud sufficit, ut ibidem id, quod catholicam fidem appellamus, in veneratione habeatur,

Digitized by Google

seu, ne haec fides oppugnetur ; sed necesse est insuper, ut haec schola revereri doceat catholicam fidem, eamque tamquam omni aestimio et veneratione dignam proponat. In huiusmodi schola sic dicta socialis institutio intime coniuncta esse debet doctrinae religionis, et vicissim, doctrina religionis permeare debet totam institutionem, ac ubique religionis influxum exhibere. Radii religionis omnia obiecta collustrare debent ; ex ipsis classicis auctoribus, quantum fieri potest, cum discretione deducantur sublimes fidei doctrinae, evangelica moralis et christianae virtutes ; magister ipse conetur haec omnia rite disponere, et cuilibet institutioni intexere ;— verbo huiusmodi institutio non tantum necessaria rudimenta cuiusdam disciplinae ob oculos sistit ; nec satis esse putat, iuventutem intra terminos quarumdam civilium virtutum et consvetudinum continere, eo minus vero ex iisdem placidos paganos formare, quorum unicus scopus in proprio commodo, praecipuum motivum in egoismo consistit ; — nequaquam ; — vera institutio efficax medium constituit, quod adiutorio est parentibus, et omnibus, quibus cura christianae educationis iuvenis incumbit, qui ut Dei et catholicae Ecclesiae filius, heres regni coelorum, obligatur sibi proprium reddere catholicum modum cogitandi, sentiendi et christianas virtutes exercendi, — christianas virtutes, sed non in arctiore huius vocabuli sensu, — quemadmodum nonnullis per abusum placet, — sumtas, sed genuinas christianas virtutes, quae fidei superstruuntur, motivo auctoritatis reguntur, atque e charitate, gratitudine, spe et timore, fidei propriis, egrediuntur ; — quae porro mediis, a fide pro necessariis et inevitabilibus subministratis conservantur ; — en complexum corum, quae probus magister alumnis suis instillare, ad quorum exercitium illos animare conatur. Prospicit quoque, ne in tam magni momenti religioso obiecto auctoritas Ecclesiae unquam desideretur ; scholae vero omnia comparare student, quaecunque ad directionem, dilucidationem et morale succolamen magistri conferre possunt. Sic, et non aliter, consideravit semper Ecclesia scholas, et sic illas ab omnibus suis fidelibus considerari vult. Qui alios foveret conceptus et per aliam viam graderetur, is subiaceret damnationi, quam Syllabus contra propositiones 45, 47 et 48 enuntiat. Dil. F!

Digitized by Google

numquid mirum videbitur: Ecclesiam tanta sollicitudine invigilare, ne religio in schola ullum detrimentum patiatur, sciendo, quam ampla ibidem messis praesto sit? Mirumne videbitur, eam omnibus studiis adniti, ut christiano iuveni ingeneret religionem, quae postea omnes eiusdem actus dirigat, ubique se manifestet, et religionem totius vitae constituat?

VI. Quid igitur dicendum nobis de scholis, e quibus influxus religionis et Ecclesiae exulat, et in quibus non aliud proponitur, nisi quaedam species naturalis moralitatis, ramus quidam eclecticismi; sed ubi proprie nec religioni nec morali locus est? Proni sumus nullam apud magistros supponere perversam intentionem; neque interrogamus, an non possint, etiam citra malam intentionem ad ea venire experimenta, quae in exercitio indifferentis institutionis adhibentur, et quae volante quasi cogitatu, principia et doctrinas plus-minus noxias, periculosas aut directe malas attingunt? Non loquimur de impressione, quam in puero producit exemplum informatoris, qui dexteritate sua abreptus, se extra, vel proprie supra omnem religionem collocatum ostentat, quique totam suam religionem coram alumnis, — si tamen sciunt eundem religionem habere, — in externis quibusdam signis reponit, in reliquo autem ita se gerit, quasi nulla religionis cura tangeretur. Admittimus, Magistrum potissimum ita providum esse, ut magnam partem horum scopulorum evitet; nihilominus tamen certum est, huiusmodi institutionem defectuosam esse, et omnino timendum restat, his in adiunctis doctrinam religionis adhuc magis imperfectam futuram. Inde repetenda est damnatio, a Pio IX in illos prolata, qui assererent: catholicum huiusmodi rerum statum probare posse. Igitur oppositum verum esse debet; seu catholicus non potest probare, eo minus vero aestimare aut succollare huiusmodi institutionem, in detrimentum verae catholicae institutionis tendentem.

VII. Per id nequaquam dicere volumus: quasi nullo in casu integrum foret huiusmodi institutione uti; non; — si cuidam non suppeteret occasio, institutionem in schola, quae auctoritati Ecclesiae subest, capiendi, is non catholicam scholam quoque adire potest; attamen ea sub conditione, ne in huiusmodi schola quidpiam occurrat, quod fidei, aut moralitati

Digitized by Google

adversum foret. Localis Curatus huic rei, quantum fieri potest invigilare debet; et, si praemetui aut demonstrari posset, huiusmodi scholam fidei, vel moribus sibi concreditae iuventutis periculosam futuram, omnem conatum adhibere tenetur, ut proles a frequentatione eiusdem scholae retrahat. Huiusmodi scholarum frequentatio instar supremae necessitatis, neutiquam vero instar normalis rerum situs considerari debet. Ex hoc visus puncto opinionem Nostram iam alias exposuimus, quam nunc in memoriam revocare sufficiet. Necessitas haec flebilis est, nec unquam satis deploranda; ceterum nequaquam oportet eapropter animo cadere; imo potius malo viriliter obviare, et media ad illud removendum quaerere debemus. Interea autem, donec hic rerum situs perdurat, attentos reddimus omnes, qui in eodem versantur, ut curas et vigilantiam suam multiplicent ad defectus huiusce institutionis supplendos, una vero benedictionem Omnipotentis ardentibus precibus efflagitent; sic namque sperari potest, defectui in pluribus saltem punctis occurrendum fore.

VIII. Ceterum non possumus idem dicere de parentibus, qui propria culpa negligunt occasionem, proles suas in scholis iuxta spiritum sanctae fidei nostrae coordinatis instituendi; qui absque necessitate praeeligunt huiusmodi defectuosas, periculosas et non catholicas scholas. Quomodo hi excusabunt coram Deo hanc suam agendi rationem? Numquid proles ipsorum non ante omnia sunt christiani, filii Dei et membra Ecclesiae? An non ideo illas a Deo acceperunt, ut easdem prae omnibus pro gloria Dei educent, educent in fide et pietate, ut sic ad coelum pervenire possint? Et tamen absque omni formidine negligetent tam eximium, huic fini assequendo tam accomodum medium? An non potius omni virium contentione eo adniti deberent, ut partem excelsae suae vocationis aliis concredant, qui idonei essent id praestare, quod ipsorum facultates superat, praestare efficaci modo, atque optato cum successu! Utinam quisquis serio expenderet causas, quas in excusationem huiusmodi agendi rationis in medium proferret; sed utinam illas expenderet in lance sanctitatis et quasi coram Deo. Quod Nos concernit D. F. Nos non assumimus in Nos responsionis onus, ut sic cogitantes in

Digitized by Google

tranquillitate levis animi omittamus. Nec ullus nobis obiiciat: quid igitur agendum, ubi non sunt catholicae scholae? an non educatur ibi quoque iuventus christiano modo? potestne asseri: penes huiusmodi institutionem catholicorum religiosam vitam notabiliter deficere? Ad has quaestiones simpliciter et generatim respondemus: Quaeritis, quomodo aliter fieri possit? Ita, sed res decurrunt, prout possunt; neutiquam vero prout deberent. Omnia fiunt tali loco, quae pro ratione adiunctorum fieri possunt; et haec causa est, quod christiana educatio minus patiatur, quam tunc pateretur, si res aliter decurrerent. Quod ad effectus attinet, an non licet supponere: hunc vel illum recte in sequelam novorum et periculosorum principiorum factum esse catholicum suo modo, et reipsa catholicum mansurum fuisse, quoad cogitandi, loquendi et agendi modum, si in elementari, aut successiva institutione semper doctrinas Catholicismi prae oculis habuisset? et multos, quorum religiosa educatio erronea, aut superficialis erat, longe alios futuros fuisse, si in iuventute sua beneficii catholicae scholae participes fieri potuissent? Respondemus porro, si sequelae minus tristes appareant, quam praemetuendum foret, unde derivanda continuo increscens incredulitas et immoralitas, quemadmodum iam supra indicavimus? Quis patrumfamilias se in respectu prolium satisfecisse autumabit, si illas dumtaxat ab intoxicatione, aut infirmitate praeservaverit? Et tamen sic agere vellemus in respectu animae sobolis! Non, D. F. non omne tulit punctum, qui proles suas ab irreligiosa schola retrahendo, per id essentiali obligationi religiosae educationis se satisfecisse existimat. Quodsi penitus removimus venenum et inediam, haud aliud fecimus, nisi quod christiana charitas parentibus instar obligationis iniungit. Quid ageremus, si christianarum scholarum frequentatio prolibus necessario mundanam gloriam, honores, fortunam procuraret? Quanto cum zelo et ardore frequentarent illas. Quam pronus esset quisquis, ad quaecunque sacrificia hoc scopo supportanda! Ast dum de inaestimabilibus spiritualibus bonis et emolumentis sermo fit, quorum proles per eandem institutionem participes esse possent: tunc .... Verumtamen non, D. F! admodum dolorosum foret eorum catholicis huiusmodi

Digitized by Google

parallelam ducere; hanc silentio praetereuntes, potius nonnulla adhuc principia vobis indicare optamus, quorum nunquam non meminisse oporteret. Catholicae proles inomisse participes esse debent catholicae educationis. Huic scopo maxime congruum medium est catholica schola. Si omnia etiam media adhibuerimus, quae nobis religio suppeditat, non tamen semper succedit talem formare iuvenem, qualem cuperemus; tam immensa est abyssus depravationis cordis humani! In tam magni momenti re id eligendum est, quod maximam praebet securitatem.

En D. F. principia, quae Eppi Vestri cordibus vestris imprimere opportunum censuerunt. Utinam verba ipsorum, quae semper Illius sunt verba, cuius nomine ad vos loquuntur, in animis vestris, cumprimis in extraordinariis his adiunctis profundam atque permanentem impressionem producerent! Spiritus vester sincere et vere catholicus, quem omni oblata occasione testaminor, qui Nos in exercitio sat gravis muneris nostri tam suavi consolatione recreat, hic spiritus, — quemadmodum lubenter nobis persuademus, — rursus manifestum se reddet in maximi momenti quaestione catholicae institutionis. Neque dubitamus, ea cuncta, quae Clerus evolutis in his literis nostris principiis conformiter in diversis parochiis nostrarum Dioecesium quoad erectionem, sustentationem et provectionem catholicarum scholarum praesusceperit, et quae Nos, pro munere nostro disponere indicaverimus, a vobis quoque faventer acceptanda fore. Coniungetis etiam ferventes preces vestras nostris, ut Deus benedicere dignetur conatibus nostris, in emendationem moderni status institutionis tendentibus; et ut catholici replcantur zelo promovendae prolium educationis, quae praeceptis et spiritui Ecclesiae conformis sit. Perseverantes in huiusmodi precibus sperando erimus: Deum, qui Ecclesiam suam in Hollandia tam apparenter protexit, modernae generationi quoque in hoc magni momenti negotio educationis et institutionis necessariam gratiam et succursum largiturum. — Schaepmann A-Eppus Ultrajectensis. — Zwysen, Eppus Buscoducensis. — Wilmer, Eppus Harlemiensis. — Paredis, Eppus Ruremontanus. — Van Genk, Eppus Bredanus.

IX. Monumenta Borussica.

1689.

Breve Pii IX ad successorem Cardinalis AEppi Coloniensis Geisselii in obiecto Cathol. Universitatis. 1867.

Ven. fratri Paulo AEppo Coloniensi. Optime noscis, defunctum S. R. E. Cardinalem Ioannem Geissel, tuum in isto Coloniensi AEppatu clarissimum praedecessorem nobis carissimum, fuisse a nobis electum Praesidem Consilii seu, uti appellant, Comitatus instituti ad Catholicam in Germania Universitatem erigendam, ac suprema nostra auctoritate confirmandam. Quae Universitas a nobis et ab hac Ap. Sede pendere omnino debet, ut arctissimo fidei et obedientiae vinculo cum nobis et eadem Sede sit coniuncta. Itaque, ven. frater, cum nostris in votis sit, ut hisce praesertim calamitosissimis christianae civilisque reipublicae temporibus tam salutare tamque utile opus, a Germaniae potissimum sacrorum Antistitibus et ab omnibus Catholicis vel maxime exoptatum, quamprimum efficiatur, idcirco novum Praesidem eligere constituimus. Atque huiusmodi munus tibi committendum esse censuimus, minime ignorantes, quo rei catholicae amore sis incensus, quibusque egregiis animi et ingenii, aliisque dotibus sis ornatus ad munus idem naviter scienterque obeundum. Quamobrem hisce literis te, ven. frater, commemorati Consilii seu Comitatus Praesidem eligimus et constituimus, ut, adhibita etiam auxiliaria opera et consilio ven. fratrum Guilelmi Eppi Moguntini, et Conradi Eppi Paderbornensis, pro tua singulari prudentia ea omnia disponere, et agere studiosissime cures, quae ad hanc catholicam in Germania Universitatem erigendam et recte constituendam quovis modo conducere possint. Atque illud inprimis una cum commemoratis ven. fratribus intentissimo studio tibi erit curandum, ut in eadem Universitate studiorum ratio ad verae germanaeque catholicae doctrinae normam dirigatur, et inventus salutaribus divinae nostrae religionis praeceptionibus diligentissime imbuatur, rebusque optimis instituatur. Tuum autem erit, nos accura-

Digitized by Google

tissime certiores facere de rebus omnibus, quae ad hanc Universitatem quovis modo pertinent, ut statuere possimus quidquid in maiorem eiusdem Universitatis utilitatem et splendorem cedere in Domino noverimus. Denique hanc etiam occasionem libentissime amplectimur, ut denno testemur et confirmemus praecipuam, qua te prosequimur, benevolentiam etc. — Romae die 7 Nov. 1867. — Katholik. 1868. I. 232.

1690.

Syn. Dioec. Paderborneusis de necessario Ecclesiae cum schola nexu. 1867.

P. I. cap. 20. Schola ex una parte Ecclesiae filia est, et ex altera parte filios et filias Ecclesiae educát. Quanti igitur habenda sit, per se quisque facile intelligit; et, si per nos non intelligeremus, possemus discere ab inimicis nostris. Nam cur hi tot machinas adhibent, ut Scholam a sinu Ecclesiae avellant. Christiani non nascuntur, sed fiunt et educantur, et si in schola avulsa ab Ecclesia non educantur, sed perverluntur, emoriuntur Ecclesiae. Scholam igitur ab Ecclesia emancipare eiusque influxui subtrahere est Ecclesiae ipsi mortiferam plagam infligere. Itaque sapienter Synodus Provincialis Coloniensis scholarum quae incumbit Parochis curam declarat officii pastoralis partem propriam, sine qua illius integritas salva esse nequeat. Minime igitur Parochi, ut eadem Synodus ait, sibi suoque officio se satisfecisse credant, si scholas adeuntes ad fidei rudimenta explicanda sese restringunt: quin potius omnibus disciplinis per ludimagistrum tradendis invigilent, dispiciantque qua methodo utatur, quibus singula horis sint assignata, quos mores praeseferant discipuli; excitent, doceant, adiuvent ipsos ludimagistros. → Acta et decreta Syn. Dioec. Paderbornensis, Paderbornae. 1867. p. 26.

---

by Google

1691.

AEppus Gnesnensis et Posnaniensis contra Scholas simultaneas. 1868.

Es ist zu meiner Kenntniss gelangt, dass unter den katholischen Elementarlehrern beider Erzdiöcesen eine Petition an das Haus der Abgeordneten behufs deren Unterzeichnung in Umlauf gesetzt ist, welche die Beseitigung des confessionellen Charakters der Schulen, und die Einrichtung von Schulen, welche allen Glaubensbekenntnissen gemeinsam sind, d. h. von sogenannten Simultanschulen, zum Gegenstande hat. Eine solche bedauerliche, inmitten der kathol. Lehrer hervortretende und folgenschwere Kundgebung darf ich nicht mit gleichgiltigem Auge betrachten, da die Erziehung der Kinder in derartigen Schulen den Grundsätzen der heil. kath. Kirche widerstreitet, und der jüngeren Generation zum Verderben gereicht. Ich mache es daher den Herren Decanen und allen Geistlichen, welchen das Amt eines Schulinspectors in beiden Erzdiöcesen anvertraut ist, zur Pflicht, dass sie mit allem Eifer sich die Belehrung aller derer angelegen sein lassen, welche einen solchen falschen und gefährlichen Weg betreten, wie auch, dass sie ernstlich sich bestreben, dieselben von einem Vorhaben fernzuhalten, welches Tausende unschuldiger Seelen der Gefahr preisgibt, ihr theuerstes Gut, den Glauben, zu verlieren, und ihnen selbst eine furchtbare Verantwortung aufbürdet. Posen, 5 Febr. 1868. Mieczyslaus, EB. v. Gnesen und Posen.

X. Monumenta Austriaca.

1692.

Card. AEppus Zagrabiensis de Auctoritate disserens in pastorali epistola pro S. Quadragesima evulgata, Concordati quoque Austriaci mentionem facit. 1865. (extractive.)

— Qui sobria mente praeditus et studio veritatis animatus tempori nostris rationes rite expenderit: non poterit non

Digitized by Google

agnoscere, calamitatum quae nos premunt si non praecipuam, unam certo e potioribus causam in eo cubare, quod cuncta auctoritatum genera in dies magis contemnantur, deprimantur, peneque evilescant. — Vix itaque quidquam melioris me facere posse existimabam, quam si in fontes huius tam perniciosi pro humana societate mali indagando, erroneos qui undique se monstrant in rem conceptus indigitando, tristissimasque eius sequelas expendendo, vobiscum in remedia indagavero minuendae saltem et leniendae periculosae adeo, imo extremum humanae prosperitati excidium minitantis huius contagionis. — Philosophia circa finem seculi 18 et exordium sec. 19 invalescens, studiose demonstrare nitebatur, societates civiles eo maiori gaudere libertate, quo eae determinatius excutiunt iugum auctoritatis. — Opponendo libertatem auctoritati hi homines gloriam profundae sapientiae affectantes omnimode persvadere volebant nationibus, tantum accrescere libertati, quantum decerpitur auctoritati. Sed vero historia generis humani protestatur contra haec asserta, eaque mendacii arguit. Demonstrat quippe ea, semper et ubique veram libertatem populorum crevisse ea proportione, in qua se magis perfectiusque evolvebat functio auctoritatis. — Potest in vita populorum monstrari ruina libertatis, per abusum auctoritatis prognata : sed libertatem nuspiam reperimus, nisi scuto protecta fuerit auctoritatis. — Iesus Christus Salvator noster quemadmodum aliarum veritatum notionibus illuminavit humanum genus, genuinisque innocentiae vitae et sanctitatis imbuit principiis, sic et momentosissimam auctoritatis quaestionem exemplo doctrinaque sua resolvit ac constabilivit ita, ut ea societatis humanae indigentiis prosperitatique plene posset respondere. — Non explicuit Salvator positivis legibus, quomodo ea debeat esse comparata, quibusve speciatim characteribus instructa? sed vero instituendo Ecclesiam suam insigne praebuit exemplum, typumque exhibuit, quem cunctae ceterae auctoritates imitari, ac in semetipsis quoad licet debeant exprimere. Quod magna in parte reapse etiam factum esse, multifaria docuit actuque docet experientia. Nimirum restaurata, aut ut verius dicam creata genuina auctoritate sanati fuerunt falsi gentilis mundi de ea conceptus. — Primus ac

praecipuus in gentili mundo quoad auctoritatem error fuerat, quod eam non divino sed unice humano iuri innixam sibi repraesentaverit. Hodiedum si sufferas e humana societate Iesum Christum, non remanebit aliud, quam ius humanum in eo, qui gubernat, et subiectio sub humanum arbitrium eius, qui obtemperat auctoritatem exercenti. Hoc est nostris cumprimis temporibus venenum illud omnis auctoritatis fundamenta corrodens, principium quippe, quod respectus et obedientia auctoritati exhibenda nec deposcatur nec deberi existimetur, quia promanat ex Iesu Christo, qui omnem consecravit auctoritatem, sed unice debeatur homini, qui potestatem exercet. Hinc est repetenda generalis illa nostri seculi tendentia, dissentiendi impugnandi contemnendi omnem auctoritatem. — Auctoritas Ecclesiae christiano sensu sumta non aliud est, quam auctoritas divina in humanitate. Et secundum doctrinam Christi ceterae quoque potestates non exercent auctoritatem nisi Dei nomine et virtute. — Alterum vitium radicale gentilis auctoritatis ex primo illo promanans fuit estque actu apud omnes fidei christianae lumine destitutas nationes, iniqua humanae conscientiae oppressio. — Ad eripiendum humanum genus ex abominabili hac servitute necesse fuit creare in mundo auctoritatem, quae gubernaret animas ad immortalitatem conditas. — Et hoc praestitit Iesus Christus Salvator noster, — creando regnum animarum, cuius ipse est centrum. — Regnum hoc est unum, est incommutabile, est proprietas Ecclesiae S. Catholicae. Philosophi, legislatores possunt hanc ei controvertere potestatem, ea tamen perstitura est talis, qualem Deus esse voluit. — A tempore consummatae huius institutionis nullus amplius despotismus, nulla tyrannis potest absque ingenti christiani orbis resensu dominium sibi arrogare in animas; — veritas catholica non potest in vilem hunc decidere mancipatum. Resistet semper potentiae, quae hanc ei adimere vellet libertatem; resistet ingeminando, quotiescunque opus fuerit: ‚Non possumus', quae quidem exigua duo vocabula, ut a Summi nostri Pontificis videmus exemplo, fortiora sunt regum omnium ac dominantium potestate. Tertium vitium corrumpens omnem auctoritatem, quae in Christo Iesu suam haud habet radicem, est

Digitized by Google

proprii commodi studium in exercitio potestatis. — Benignissimus Salvator noster magnam hoc sub obtutu induxit reformationem, quae ingentem in ordinem socialem exerere debebat influxum. Videlicet mutavit, vel potius ad debitum suum locum reposuit tendentiam et scopum auctoritatis. — Christus Dominus eum transtulit in hominem, qui obediebat. — In hoc consistit character essentialis et signum distinctivum omnis christianae auctoritatis. — Auctoritas cessat esse christiana, si non tendat ad prosperandos homines, sed philautiae superstruatur, aut qualemcunque alium sibi scopum praestituat. — Idea, quod honor imperandi hominibus sit obligatio serviendi fratribus, et gloria potentiae et dignitatis non sit aliud, quam abnegatio sui et propriae personae in commoda aliorum immolatio, haec inquam admirabilis idea apud omnes etiam imperatores, reges et principes, qui genuino christianae fidei lumine fuerunt illuminati, promtum reperit aditum. — Huius adoptatio axiomatis peperit Carolum M., sanctos Reges Stephanum, Ladislaum etc. qui reapse populorum suorum prosperitati cuncta studia omnemque suam immolarunt contentionem. —

Quemadmodum introducta per Salvatorem morum puritas et sanctimonia primis Ecclesiae seculis admirabiliter lucens, per reapertos corruptelae humanae fontes miserandum in modum temporis successu foedata fuit: ita et veri conceptus auctoritatis per eundem humani generis Restauratorem stabiliti varias in hodiernum usque diem sunt phases experti. — Ictus maxime sensibilis, qui recentioribus temporibus auctoritati inflictus fuit, est indubie sic dicta Reformatio seculi XVI. Medias inter imperiorum ac regnorum convulsiones, quae intervenerunt lapsu XV seculorum, una tamen auctoritatum inconcussa perstitit, propria sua maiestate defensa. Haec auctoritas est Ecclesiae repraesentata in supremo suo Pontifice, quem XV aerae nostrae secula unanimiter Iesu Christi Vicarium et Patrem Christianitatis solebant adsalutare. Variae successive obortae haereses non cessarunt decisionibus iudiciisque huius auctoritatis opponere satyrae subtilitates et sophismatum fallacias; negabant varia fidei dogmata Pontificali defensa auctoritate, sed vero nulla earum ipsam ausa est negare Pontificiae Sedis auctoritatem. Hoc audaciae genus

Digitized by Google

reservatum fuit Luthero, qui inaudita cum pertinacia se erexit contra summam hanc auctoritatem, seculorum obedientia consecratam. — Haec revolutio adscivit aliam revolutionem, quae haud incongrue appellari potest philosophica. Independentia religiosa praeluxit independentiae intellectuali. Lutherus negavit auctoritatem Iesu Christi in Capite Ecclesiae: Voltairius negavit Deum in fundatore fidei christianae. — His triumphis animatus revolutionaris spiritus ulterius processit. — Novum procudit systema politicum, secundum cuius placita gubernans iunctim cum subdito leges condit, nec ulli amplius dantur subditi, sed cuncti gubernatores sunt et legislatores. Paradoxae hae ideae totam pervolarunt Europam, et revolutio politica erupit, immanesque procreavit strages. — Demum nec his contentus daemon revolutionarius, superbe elevat frontem ac circumspicit, an non remanserit aliqua adhuc auctoritatis species, contra quam sua possit tela dirigere? Et videt omnino superesse unam, et quidem amplissimam, multorum seculorum suffragio, legibus cunctarum nationum, ac bono sanoque humani generis sensu consecratam, nimirum auctoritatem proprietatis. — Novissimum hunc auctoritatis assultum Deus permisisse videtur, ut aperirentur mortalium oculi, et agnoscerent tandem satanici belli a tribus inde seculis auctoritati intentati pericula ac malignitatem. — Scimus perbene, quod cuncti hi pseudo-reformatores brutales suas aggressiones variis exculpationibus tegere connitantur. Revolutionis religiosae heroës dicunt: nos non volumus praecipitare Ecclesiam, sed a suis erroribus et vitiis repurgare. Revolutionis philosophicae auctores et asseclae ingeminant: non intendimus nos destruere fidem christianam, sed eam sanae rationis placitis conciliare. Revolutionis politicae fautores crepant apertis buccis: non volumus nos subruere thronos, sed despotismum eliminare, et regiam auctoritatem ad competentes sibi terminos redigere. Denique revolutionis socialis incentores assumtis socialismi, communismi, aliisque idgenus speciosis titulis asseverant: nos non volumus destruere proprietatem, sed eam ad iustitiae naturalis leges exigere. At vero sana ratio, quae vafris idmodi subterfugiis sibi illudi non sinit, respondet uno verbo: Mentita est iniquitas sibi. Diuturna quippe eaque irrefraga-

bilis experientia docet, quod revolutio religiosa nil aliud volucrit velitque quam destruere Ecclesiam Catholicam; revolutio philosophica unice in eversionem tendat fidei christianae; revolutionis politicae scopus sit, thronos omnemque legitimam convellere auctoritatem; demique revolutio socialis abrogare velit proprietatem in conformitate impii Proudhoniani principii: ‚proprietas est furtum.' Videlicet ea est rerum humanarum natura, ut ubi contra veritatem conspirant homines, eadem inique impetita veritas eos citius tardius in manifestam secumipsis pomat contradictionem, apertique convincat mendacii. Revolutionarii religiosi furibunde aggressi sunt Pontificatum, sed vero seipsos constituunt pontifices. Revolutionarii philosophici impugnant revelationem divinam, sed sibi ipsis revelationis vendicant honorem. Revolutionarii politici in regiam insurgunt auctoritatem, simul tamen sibi attribuunt regibus tam fastuose et acerbe controversam potestatem. Similiter revolutionarii sociales insurgunt adversus proprietatem, sed nil agunt diligentius, quam ut ipsosmet se reddant proprietarios rerum, quas alii iustis nominibus ac sudore vultus sui acquisierunt. — —

Videamus adhuc, qualem se moderna societas exhibeat erga ipsum omnis legitimae auctoritatis fontem Iesum Christum eiusque sponsam Ecclesiam? Cuncta illa arma, quibus aetas nostra tam acriter impetit legitimas quasvis auctoritates, in Salvatorem quoque Christum Iesum et Ecclesiam dirigi vel inde facile licet collimare, quod idem benignissimus Salvator noster restaurator aut potius institutor sit omnis verae et legitimae auctoritatis, Ecclesia vero catholica depositaria potestatis eiusdem. Sed plura insuper temporibus nostris adsunt inimica elementa, Salvatori et ss. eius Ecclesiae repugnantia. Haec inter inprimis memorari debet publica illa indifferentia, quam intuita christianae fidei cunctae fere modernae Constitutiones politicae ac pleraque Guberniorum systemata tam aperte demonstrant. — Non sufficit aetati nostrae Iesum Christum ignorasse, et velut auctoritatem quamdam extraneam considerasse: Gubernia insuper et civiles iurisdictiones seculi nostri apertam erga Salvatorem et Ecclesiam demonstrant aemulationem, et ut ita dicam zelo-

Digitized by Google

typiam. Hinc tantae illae in cunctis fere aevi nostri legislationibus adversus Ecclesiam initae praecautiones, variaeque libertatis eius restrictiones, quandoque ipsis christianae fidei dogmatibus derogatoriae. Existimant quippe pleraeque seculares auctoritates, Ecclesiam, si libere utatur iuribus suis, praeiudicia inferre civili potestati; eamque fovent persvasionem, quidquid religionis et ecclesiae decerpitur auctoritati et libertati, accrescere Gubernio, inque huius cedere gloriam et utilitatem. Quaeritur iam, num haec suppositio veritate nitatur? num reapse auctoritas religionis et ecclesiae antagona sit auctoritatis civilis? num revera gloria divini religionis regni opprobrio cedat civilis diadematis maiestati? num in populorum vertat emolumentum, quod Ecclesiae subtrahitur libertati? Haec non sunt vera: imo idgenus persvasio error est prosperitati populorum perquam nocivus, frequenter exitiosus. Religio et Ecclesia, signanter nostra s. Ecclesia catholica nequaquam inimica aut vel rivalis est ullius humanae auctoritatis. Est mater, et populi, ipsi adeo reges et principes, sunt eius filii. Ecclesia catholica nequidem erga potentias a vera fide alienas ullam fovet antipathiam. Compatitur omnino sorti filiorum, qui suo se eripuerunt sinui materno, deflet ipsorum a via veritatis et salutis aberrationes: sed non cessat eos sincero suo prosequi affectu, orat pro ipsis, cunctisque eos prosequitur benevolentiae suae votis; nec potest odisse qualemcunque legitimam auctoritatem, probe persvasa, cunctas ad promovendum eundem, quem ipsa sibi praestitutum habet, scopum, operandam quippe populorum prosperitatem, divinitus esse destinatas. Sed religio et Ecclesia catholica non tantum non est aemula civilium auctoritatum, sed est earum sincerissima et amica et protectrix. Quanto augetur magis in populis respectus auctoritatis religiosae, tanto plus splendoris accrescit coronis regum; et quidquid respectus et obsequii reges tribuunt religioni, in ipsos cum usura revertitur, sublimando eorum potentiam et maiestatem. Numquam Theodosius maior fuit, quam dum se dictatae per Ecclesiam subiecit poenitentiae; nec unquam Carolus M. seu potentior seu in oculis populorum ampliori veneratione dignus apparuit, quam ubi imperialem coronam e manibus recepit Christi in terris Vicarii. Taliter

Digitized by Google

Ecclesia, quam civiles auctoritates velut suam considerare solent aemulam, indirectum quidem sed potentissimum in socialem populorum prosperitatem exercet influxum, quin id seu ipsi advertant populi, seu Ecclesia positivis suis studiis prosequatur. Quod quidem tanto est certius, quanto minus negari potest, Religionem solam esse vitae moralis populorum et institutricem et conservatricem. — Haec sola suae propriae relicta spontaneitati germinare facit probitatem et honestatem in cordibus mortalium, et hoc pacto sicut innocentiam morum, sic et vitam generat socialem.

Ex hac essentiali duarum potentiarum differentia nascitur inter utramque potestatem harmonia actionum et contentionum. — In hac operatione Ecclesia necessario suam habere debet independentiam, sed non deposcit systematicam a gubernio humano separationem, quae diffidentiae et hostilitatis foret species. Ecclesia distingvit inter auctoritatem suam et auctoritatem status civilis, sed non exigit formalem separationem; acceptat duarum auctoritatum unionem, sed non potest admittere earum confusionem. Si civilis potestas ei amicam offert manum, et sinceram protectionem, eam grato acceptat animo. Si oblata protectio despotismum sapit, aut fidei principiis minus sit congrua, eam deprecatur, et, quae suapte natura sibi competit, postulat libertatem, quam fideles et cumprimis ministri eius pro re nata ad carceres et exilia usque tuentur, nec ipsum pro tam praeclara causa vitae abhorrent sacrificium. Si quis de harum assertionum dubitare posset veritate, aut plane negare vellet, Religionem et Ecclesiam Catholicam amicas esse, imo firmissimum auctoritatum civilium succolamen et fulcrum: interroget eam, quae unius pene iam seculi decursu Europam miserandum in modum exagitat, nec vel momento requiescere sinit, Revolutionem, et decretorium actionibus potius quam verbis expressum habebit responsum. Quae enim alia assignari potest ratio, quod revolutio, sub quacunque illa specie erumpat, qualescunque induat larvas et colores, principaliter in Ecclesiam Catholicam sua dirigat venenosa arma? quae inquam alia huius implacabilis odii, horum et varietate multiplicium et asperitate prorsus singularium eius in eam assultuum potest sufficiens causa

Digitized by Google

assignari, quam quod ea suapte indole iurata omnis legitimae auctoritatis hostis probe perspiciat, Ecclesiam Catholicam quemadmodum parte ab una sensualitatis postulat sacrificium, sic parte ab altera firmissimum esse ceterarum auctoritatum propugnaculum; neque se in infernali suo adversus auctoritates has suscitato bello plenam reportare posse victoriam convincatur idem subversivus revolutionis spiritus, salva Ecclesiae Cath. auctoritate; perspiciat contra, succusso hoc tam potente munimento se facile optatoque cum successu adversus alias potestates dimicaturam. Et siquidem perbene novit eadem tantopere auctoritatibus infesta potentia, totius formidabilis illius propugnaculi, Ecclesiae quippe Catholicae, fundamentum quiescere supra firmam petram, per divinum eius fundatorem positam, sublimem quippe S. Petri Cathedram, nihil relinquit intentati, quidquid in huius everaionem conducere posse arbitratur. Non datur tam abiectum vafritiei genus, tam turpis hypocriseos species, tam crudele violentiae ac latrocinii scelus, quod non avide apprehendat, et ferrea cum pertinacia evibret, si ea in labefactandum aut plane convellendum Summum Ecclesiae Pontificatum quoquo modo sibi conductura videantur. Et his prae oculis habitis facile iam intelligitur, cur revolutiones aetatis nostrae intactum relinquant Eppatum Anglicanum, quamvis is ampliores possideat opes, quam insimul universus in orbe ceterarum christianarum confessionum Clerus, et quamvis idem hodiedum miseros Hiberniae catholicos iniquissimis suis excoriet exactionibus. Intelligitur, cur revolutio nil in obversum obmoveat Synodi Ecclesiae sic dictae orthodoxae in Russico imperio, quamvis violentissima eius iniquissimaque erga alias Confessiones, signanter Catholicos, studia toti sint terrarum orbi cognita. Intelligitur, cur non currant hi falsi praeposterae culturae luce excoecati revolutionis apostoli Berolinum, Copenhagam, Stockholmiam aliasque aliarum Confessionum capitales sedes, quamvis illic centuplo plura possent intolerantiae reperire documenta, quam Romae aut Viennae? Sentit quippe naturali quodam instinctu suo edocta infelix revolutio, cuncta haec a civilis potestatis arbitrio dependentia ac pene enerva, nec vitalibus illis, quae e propriae autonomiae conscientia manat, stimulis animata

Digitized by Google

instituta numquam eam, qua Ecclesia Catholica gaudet, exerere posse vim et activitatem. Sed intelligitur etiam ex iis, quae memoravimus, cur in Imperio nostro tanta cum acerbitate impetatur inita Sedem inter Apostolicam et Augustum Austriae Imperatorem ac Regem nostrum Conventio: quamvis parte ab una clare demonstratum sit, hac Conventione nil nisi libertatem et iura Ecclesiae Catholicae esse restituta, quae ipsi divinitus competunt, et seculorum lapsu tribuebantur, ac nonnisi recentissimis temporibus tristem in modum erant labefactata; quamvis parte ab altera indubium sit, Protestantes apud nos plena Confessionum suarum gaudere libertate, imo maioribus, quam quae ipsis in Imperio Austriaco tribuuntur Catholicis. — Ceterum Ecclesia S. Catholica his nequaquam movetur, imo nec miratur hanc in se directam vim coniuratam malorum. Probe quippe meminit, divinum suum fundatorem una summum humani generis benefactorem, parem, acerbiorem etiam sortem fuisse expertum. Probe meminit, cum has calamitates Ecclesiae sanguine suo redemtae in haereditatem assignavisse: ‚Non est discipulus supra magistrum. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.‘ His non obstantibus eadem immaculata Iesu Christi sponsa firmo pede suo procedit tramite, benedicit persequentibus se, benedicit et non maledicit, gaudet cum gaudentibus, et flet cum flentibus, ipsis inimicis suis reddit bona pro malis, totaque virium suarum contentione pergit humanum genus, quoad perversorum patitur malitia, prosperare pro tempore et aeternitate. — Zagrabiae, 22. Ianuar. 1865.

1693.

Idem Card. AEppus in epistola pastorali quadragesimali evolvit momentum Regiae auctoritatis cum singulari attentione ad officia, quae eidem conditio christianae religionis imponit. 1867.

Cuncti vere sapientes perspiciunt, tantae, quae aevo nostro mandum inundavit, corruptelae morum, indeque dima-

Digitized by Google

nantium et socialium et politicarum calamitatum causam, si non praecipuam, unam certo e potioribus inde esse repetendam, quod divinae aeque ac humanae auctoritatis idea et veneratio in dies magis evanescat e mentibus cordibusque mortalium. De tristi hac veritate et ipse intime convictus, a. 1865 imminente maiori S. Quadragesimae ieiunio pastorales ad vos literas de more dimissurus, nil salubrioris me facere posse arbitrabar, quam si pro argumento earumdem enucleationem genuinorum de auctoritate conceptuum assumsero. Id et praestiti, quantum pro tenuitate virium mearum poteram. Demonstrabam quippe, auctoritatem veri nominis absolute necessarium esse cuiusvis ordinatae humanae societatis requisitum. Tum vero adumbrabam, quam imperfecti imo erronei fuerint gentilium de auctoritatis natura, scopo, et genuinis requisitis obtutus? Porro ostendere contendebam, Salvatorem nostrum genuinae vereque salutaris pro humano genere auctoritatis esse reformatorem atque adeo institutorem. Sed vero hanc per Salvatorem restabilitam genuinam auctoritatis ideam successive apud ipsos christianos populos ingentes passam esse phases, actuque gravissimos ac pene perniciosos eatenus grassari errores. In conclusione earumdem literarum mearum observabam, quod hae de auctoritate adductae asseverationes meae multo ampliorem assecuturae forent et vim persvadendi, et claritatem, si singillativae eius species, uti sunt paterna familiae, sacerdotalis, et regia auctoritas, simili idearum analysi evolverentur. Una receperam, me id alia opportunitate praestiturum, si divinae benignitati visum fuerit, labascentes mentis meae corporisque vires aliquo adhuc tempore conservare. Cum ingravescentis aetatis meae incommoda necdum eum attigerint gradum, ut cunctis seriis occupationibus me nuncium mittere oporteat: adveniente rursus S. Quadragesimae tempore me data fide praesentibus exolvere constitui, sic, ut memoratas triplicis ordinis auctoritatis species, paternam quippe, sacerdotalem, et regiam, conformiter ss. fidei et Ecclesiae nostrae placitis, vobis ob oculos sistam, subnexis nonnullis, quae ad summam in terris auctoritatem referuntur, auctoritatem quippe Pontificatus Maximi et Capitis Ecclesiae — (Evoluta auctoritate paterna, et sacerdotali, de regia sic disserit:) — Chri-

Digitized by Google

stiana fides non tantum paternae familiarum auctoritati et sacerdotio insignem indidit dignitatem et efficaciam: etiam regiae potestati sublimem impressit characterem, sicque eam transformavit, ut omnino prosperitatem populorum possit operari. Vere christiana potestas regia admirabili temperamento sociat svavitatem paternam, et venerationem sacerdotio debitam cum totius nationis maiestate. Sacrata per Ecclesiam pro bono populorum dignitas regia recipit a Iesu Christo unctionem sacerdotali unctioni similem, quae eam reddit venerabilem; recipit genuini erga populum amoris instinctum, qui principem paterno replet affectu; recipit vim illam moralem, quae regem capacem reddit creandi et conservandi ordinem in societate, omnimodaque eius commoda promovendi. Nimirum potestas regia christiana tres sibi a Iesu Christo impressos habet characteres, qui eam humano generi reddunt salutarem. Primus horum characterum est, quod homo ad regendas nationis sortes adscitus agnoscat, praeter se dari aliam eamque divinam regendis animabus praepositam auctoritatem. Alter character est, quod princeps christianus fronti suae impressum gerat stigma divinitatis. Tertius, quod per Iesum Christum et magisterium infallibile Ecclesiae discat se devovere populi sui prosperitati. — Quod vetustis iam temporibus mirum in modum sublimavit Principum christianorum auctoritatem, et quod scioli nec veras rerum rationes penetrantes homines hodiedum ei maxime praeiudiciosum esse depraedicant, est: quod agnoverint, amaverint, et venerati sint auctoritatem se ipsis altiorem. Intelligo regnum spirituale, per Iesum Christum ad gubernium animarum institutum. Gubernia infaustis atheismi ac scepticismi principiis infecta regnum hoc spirituale, religionem quippe et Ecclesiam, nonnisi qua hypothesim considerant, i. e. qua moralem potentiam cuius ratio habenda sit propterea, quod ea adhucdum populorum fide nitatur. Regimini contra vere christiano religio et ecclesia sunt instituta divina per Iesum Christum stabilita. Reges ac Principes Christiani non raro quidem suas cum, Ecclesia eiusque Antistitibus habebant differentias: rem tamen ipsam numquam negarunt, imo dogmatis instar agnoverunt semper, hancque suam fidem palam etiam profitebantur. Agno-

verunt obligationem suam, Iesu Christi et Ecclesiae auctoritati obediendi, ac exceptis particularibus casibus — reipsa etiam obedierunt. Principes christiani inclinando se in conspectu populi potestati sua ampliori, proprio exemplo docebant, quomodo revereri oporteat omnem legitimam auctoritatem, divinam inprimis, tum et ceteras ab ea velut fonte suo profluentes. Auctoritas, cui reges ipsi ac principes obediunt, sublimis prorsus ac veneranda apparere debuit ceteris, idque religiosum populorum sensum mirum in modum roborabat; nec sane cum detrimento, sed cum immenso potius publicae nationum salutis incremento. Sed et videntes populi Principes suos obedire Iesu Christo, crevit in ipsis iucundus aequalitatis christianae sensus. Laetantes se iungi regibus suis ad pedes Iesu Christi in obedientia et submissione, una suae dignitatis conscientia gratissime afficiebantur. Exempla huiusmodi obedientiae promicantia ex regio throno aedificabant subditos, et sensus paris a Deo dependentiae, quae populos quodammodo regibus suis aequales faciebat, ingentem in culturam et prosperitatem nationum christianarum exerebat influxum; quem quidem ignorat aut plane inficiatur praepostera aevi nostri sapientia, sed quem quivis agnoscere debet, cuius mentem necdum excoecarunt prava principia, aut cor necdum corruperat aestus passionum. Principis christiani hoc ex obtutu pulcherrimum paradigma est Theodosius Imperator, qui post grandem regalis suae potestatis abusum stitus in Ecclesiae limine per generosum Antistitem Ambrosium, obedit sacerdotali eius voci, et se humiliter subiicit publicae poenitentiae. Theodosius tantum abest ut hoc facto maculam inusserit gloriae suae, ut recte hoc suo christianae humilitatis exemplo summam consecutus sit nominis celebritatem. Et merito. Nam compescens iram et superbiam suam, monstravit se insignem de se ipso reportasse triumphum, manifesto docens documento, se agnoscere, quod amplior adhuc sit honor submittere se Iesu Christo, Regi nationum et regnantium, quam imperare populis.

Quod Regibus Christianis ampliorem etiam tribuit auctoritatem et respectum, est principium divinitatis, cuius indelebile signum suis habebant frontibus impressum. Quocunque modo nationes christianae suam nactae sint consistentiam, seu vi-

delicet ea ex praestigio nominis magni alicuius viri, seu ex praecedentium temporum traditionibus, seu ex popularibus discordiis et factionibus, seu demum ex armatorum aemulorum conflictibus promanaverit: ubi semel coaluerat et firmas radices fixerat, per religionem christianam divinus quispiam, ut ita dicam, eam sensus permeavit; descendit in dynasticam earum arborem ros quidam coelestis, qui mirifice eius solidavit radices, ramosque eius, id vero est, procedentes ex regnante stirpe principes ita enutrivit, ut saluberrimos possent in adserenda nationis prosperitate fructus operari. Quacunque via venit Iesus Christus in constitutum semel imperium aut regnum christianum, venit eique suae impressit divinitatis et auctoritatis sigillum. Quod populi ius divinum compellabant in principibus suis, non fuit aliud, quam resultatum seculorum lapsu roboratae in mentibus hominum persvasionis, quod Rex in exercitio potestatis suae divinam repraesentet auctoritatem. Iesus Christus subingressus est regnum vel imperium ad se conversum; dependebat illud a Iesu Christo, vivebat ex ipsius spiritu, qui suo in illo iure dominabatur; et populi non morabantur agnoscere eius auctoritatem, qui ex Iesu Christo hauriebat iura debitae sibi venerationis, amoris et obedientiae. Iuris publici gentium professores possunt quaerere inter se et disputare, quid sibi velit ius divinum principum, quid sibi velit compellatio Regis divina gratia solium occupantis? Populus christianus ignorabat quidem iuris et compellationis huius definitionem, sed non ignorabat frontibus regum suorum impressum altioris auctoritatis sigillum. Ecclesia etenim Catholica legitimis Principibus sacrorum inter solemnia unctionem et coronationem solebat impertiri ceu tesseram divinae approbationis, quae populis vadem exhibebat nullis amplius temporibus obliterandum; quaeve sicut venerationem in mentibus populorum augebat erga suos principes, sic horum mirum in modum confirmabat auctoritatem. Splendidissimum christiani regis hoc ex obtutu exemplum habemus in Carolo Magno, Romae unctionem sui et coronationem a Summo Pontifice exorante, et maiestatem imperatoriam benedictione Pontificis sublimatam ad suos populos reportante. Tandem potestas regia christiana insignita est alio adhuc charactere, qui priscis

by Google

iam temporibus ei singulariter devicit populorum corda, bonisque omnibus erga principes suos sensum incussit venerationis, amoris, obedientiae, ac hoc pacto validissimum auctoritatis ipsorum fuit praesidium. Nimirum christianus princeps spiritu Iesu Christi penetratus agnoscit, vocationem suam esse, devovendi semet populi sui prosperitati et finibus humanitatis. Reges christiani in ipsa augurationis suae solemnitate iureiurando se obligant, consecrandi suam, quam a Deo nacti sunt, potestatem servitio humanitatis. Nolim indagare, num omnes etiam coronati principes huius iuramenti religione obstrictam fidem suam plena semper in mensura exolverint? Non datur tam sublimis tam augusta vocatio, quae humanae quandoque non succumbat fragilitati, maxime dum ea sensualitati et passionibus haud levia imponit repagula, magnaque deposcit sacrificia. Quidquid tamen sit de individualibus praevaricationibus principum, qui eo quod regale conscenderint solium, non cessant esse homines: cum veritate asseverari potest, Principes instructos et penetratos religionis et ecclesiae suae spiritu credere debere ac reapse etiam credidisse semper, sublimem suam vocationem non aliam esse, quam ut suam a Deo acceptam potestatem asserendae humanae consecrent prosperitati. Et haec fides, haec persvasio fecit, quod exuerint passim illam asperitatem, feritatem, et ut ita dicam barbariem, quae gentilium etiam meliorum imperatorum tyrannidem adeo reddidit execrabilem. Haec fides, haec persvasio fecit, quod tot tantique Principes non tam reges quam tenerae dilectionis pleni populorum suorum patres fuerint. Innumeri sunt, quos ceu praeclara hoc sub obtutu paradigmata possem allegare. Tres tantum memorabo: S. Ludovicum Regem Galliarum, qui regio licet fulgens splendore non dubitavit pedibus egestate morbisque pressorum inclinare maiestatem suam, religiosa fide exuberantis sui cordis teneritudine actus; porro S. Stephanum Regem Hungariae, cuius deliciae fuerunt, inter pauperum turbas regales suos distribuere thesauros; denique S. Elisabetham, quae regio licet sangvine orta cunctis principalis status ornamentis et deliciis renunciando, se totam fundati suis pecuniis hospitalis alumnorum servitiis generose sacravit. Hi semper fuerunt, hi et actu sunt vere christianorum princi-

itized by Google

pum characteres, qui non possunt non eorum auctoritati insignem indere splendorem, efficaciam, firmitatem, iucundissimosque in promovenda mortalium prosperitate operari fructus. (Sequitur auctoritas Summi Pontificatus, cuius alibi meminimus.) — Ex hactenus dictis convincimini, credo, inter innumera, quae fides christiana humano generi tribuit beneficia, haud postremum debere reputari, quod paternam, sacerdotalem, ac regiam auctoritatem a suis, quibus ante obnoxia fuit, mendis repurgaverit, perfecerit, sublimaverit, ac insuper Summum Pontificatum, qui omnium trium illarum quodammodo imaginem in sublimiori gradu praebet, his in terris stabiliverit.

Sed eheu! temporibus successivis ac his cumprimis nostris incredibile quantum cunctae hae auctoritates ex ea, quam ipsis Salvator noster indidit, puritate, robore et dignitate amiserint, quamve varias ac acerbas sint phases perpessae? — Quam id verum sit relate ad auctoritatem regalem, nihil opus est multis demonstrare. Sufficit oculos aperuisse, et quae passim apud populos nationesque Europae aguntur, vel obiter considerare. Pauca solum indigitabo. Scimus versus finem seculi praecedentis in uno eoque amplissimo catholico regno Principem vere probum, pium ac innocuum, horrendo regicidii crimine, et quidem insigni votorum per nationis repraesentantes publice depromtorum maioritate e medio fuisse sublatum; scimus conthoralem eius imperiali stirpe genitam, paris cum marito innocentiae, impiis lictorum manibus inspectante et applaudente ingenti hominum multitudine propudiosa pariter morte fuisse peremtam. Quando tam abominandum patrari potest scelus: attunc auctoritatem regiam tristem in modum concussam, imo funditus eversam fuisse suapte intelligitur. Quid porro aliud demonstrant hae tantae thronorum legitimitate non minus ac vetustate sua venerabilium convulsiones, quarum oculati sumus testes, et quae, quidquid malitia et vafritia humana alleget ad excusandas excusationes in peccatis, unice ambitioni et habendi cupidini, rapacitati, ac perversis abiectorum hominum studiis ac passionibus sunt adscribendae? Quid porro indicat impudicum illud in non paucis iam nationalibus conventibus adoptatum axioma: ‚Rex

Digitized by Google

regnet sed non gubernet? quid ille pene iam universalis apud populares idgenus repraesentationes nisus, regiam auctoritatem quo fieri potest angustioribus constringendi limitibus? quasivero familiae aut communitatis cuiuscunque prosperitas in eo esset sita, ut commune caput in stramineum ut dici solet simulacrum convertatur; quasivero ordo et quae ei intime et necessario coniuncta est communitatis felicitas consistere possit, si acephala sit, vel habeat quidem caput, hoc compellationis honore insignitum, sed vera dignitate, quam nonnisi congrua rem domesticam dirigendi facultas tribuere potest, destitutum, si filiifamilias ampliore polleant agendorum sphaera, quam principale familiae membrum. Quid haec hisque similia indicant aliud, quam quod christiani de regia auctoritate conceptus ingentem temporibus nostris subierint metamorphosim, quodve clara religionis edicta, ipsaque naturae iudicia superbiae arrogantiae et infrunitae libertatis aut potius licentiae impulsibus locum plerumque cesserint? — Quaeritur iam, quae sint causae gravis huius, quam temporibus nostris omnia auctoritatis genera patiuntur, stragis? Varii varias assignant. Ego nolim hac vice me in discussionem disparatarum hac in re opinionum sed nequidem in enumerationem earum immittere. Boni omnes et sapientes viri satis perspiciunt, praecipuam mali scaturiginem esse crescentem in dies fidei christianae diminutionem in mentibus cordibusque hominum. Infaustam hanc fidei diminutionem quoad intensionem non minus ac extensionem suam omnes, in quascunque oculos coniicimus, privatae aeque ac publicae apparitiones affatim demonstrant. Quid etenim aliud arguit ista operum, libellorum, ephemeridum, impiis materialismi, rationalismi, et scepticismi principiis refertorum inundatio? quid ista tam acris et furiosa fundamentalium etiam fidei dogmatum impugnatio? Quid aliud arguit irreligiosus ille spiritus, qui bene multa etiam catholica gubernia regit ac animat, quive cum iam attigit gradum, ut pene pudeat viros regendis publicis rebus praepositos declarare, se catholicae adhaerere fidei? imo bene multi palam profiteantur, statum publicum indifferentem esse oportere in materia religionis, nec magnopere curare debere, quam subditi sui fidem sectentur, aut num aliquam vel nullam profi-

Digitized by Google

teantur? Ut adeo impium de statu Deo destituto principium non amplius in sola consistat theoria, sed magis in dies magisque in realem vitam deductum appareat. Quod quidem sapientium et bene humano generi cupientium iudicio idem est ac si quis laetos ex arbore, cuius radices praeciderat, fructus expectaret. Non minus aperte hanc fidei christianae labascentiam probant istae, quae fungorum instar aevo nostro undique enascuntur, popularium repraesentationum congregationes. Raro in his nationalibus aut provincialibus conventibus auditur pronunciari nomen Dei, rarissime ac pene numquam nomen Salvatoris Iesu Christi, nisi forte petulantis ioci aut plane impiae cavillationis causa. Contra frequentissime resonant intra nostram cumprimis monarchiam querelae adversus initam cum Sede Apost. Conventionem, quam vulgo Concordatum appellant. Non datur sophismatis genus, quamcunque debile aut ridiculum videatur, quo non impugnetur hoc, tanta cum moderatione, prudentia et aequitate initae coalitionis instrumentum, quo nullum cuiuscunque mortalis ius, nullius persona laeditur aut proprietas; cuiusve unicus scopus fuit, iure divino competentem Ecclesiae restituere libertatem, quae sat longo tempore vere indignis ac iniquis constricta fuit indaginibus. Annon porro ingentem fidei christianae deminutionem demonstrat ille legislationum, et eorum etiam, qui civitatum, aliarumque communitatum sortes moderantur, universalis pene nisus, religionis in literaria cuiusvis generis instituta influxum abolendi, vel saltem quoad licet restringendi? Vocant id scholae ab Ecclesiae iugo emancipationem. Sed non attendunt hi liberales, quo nomine semetipsi se compellare amant, reformatores, svave hoc esse iugum, cui promte se subiecit universus cultior mundus, et cui humanum genus suam ex barbara morum ac ignorantiae corruptione liberationem in acceptis habet referendam. Non advertunt, talem ab hoc iugo emancipationem, qualem ipsi desiderant, et individuis et integris nationibus deplorandum inferre consvevisse mancipatum. Principium sapientiae est timor Domini. Et qui sine Deo aggressus est educare iuventutem, aedificat domum super arenam, quam primus validioris procellae impetus quassabit, aut plane evertet. Magnam pariter fidei christianae

Digitized by Google

deminutionem demonstrat iste, qui se undique manifestat, inimicus erga sacerdotium, potissimum erga Religiosos Ordines nisus, non raro in apertum degenerans odium. Ridiculus sane foret, si ob infensum religioni spiritum, qui ei subest, non esset deplorandus, panicus ille metus, quem apparitio unius alteriusve Soc. Iesu individui tam generosis secus horum hominum animis solet incutere; apparitio inquam praeclare de religione et iuventutis educatione meritorum individuorum, quae violentia revolutionis aut guberniorum, fidei et ecclesiae infestorum, iniquitate e sedibus suis depulsa in exteris oris asylum quaerere coguntur, quod exulibus innocentis praesertim vitae hominibus denegare ipsa humanitatis nedum liberalitatis, quam in ore semper habent revolutionis fautores, ratio aperte prohibet. Ad conspectum paucorum, passim exemplaris ac insontis vitae idmodi religiosorum contremiscunt hi heroës, sed serena fronte aspiciunt millia diversi generis hominum dissolutae passim vitae, semperque paratorum ad perniciosa Socialismi et Communismi principia in practicam vitam deducenda, ac ad ciendas publicae tranquillitati perquam perniciosas conspirationes. (In Conclusione fusior adhortatio ad preces fundendas et vitam exemplarem ducendam.) — Zagrabiae, die 17 Febr. 1867.

1694.

Idem Card. AEppus in epistola pastorali ad Clerum de relatione Ecclesiae ad Imperium Civile et de Concordato. 1867.

Quemadmodum de plerisque quaestionibus et eventibus aevi nostri, sic et de quaestione sic dicta Dualismi, quae totius Imperii Austriaci compagem ac singulas eius constitutivas partes vehementer afficit, varii regnant obtutus, disparatissimaque de eo in publicis etiam scriptis ac pagellis promuntur iudicia. Alii systema hoc ceu felicissimum proclamant humani ingenii partum, cuius solius virtute adeo intricatae Monarchiae nostrae res optatam assequi possint exaequationem. Alii illud magnis quidem difficultatibus obnoxium vident, nec omnino periculis vacuum, sed vero unicum reputant medium,

quod in arduis his rerum adiunctis ad reducendum in Imperio ordinem firmamque status publici consistentiam superfuerit. Nec desunt contra alii, qui illud magnae parti nationum populorumque, e quibus Monarchia Austriaca composita est, iuribus praeiudiciosum, et nequaquam ita comparatum censent, ut ex eo optati publicae prosperitatis fructus possint progerminare. Non est meum, iudicium ferre de his disparatis atque adeo invicem repugnantibus opinionibus. Nec tantam mihi tamque profundam rerum politicarum vindico notitiam, ut in difficili adeo summique momenti quaestione tutam ab errore sententiam existimem me posse pronunciare. Id unum ausim asseverare, quod posteaquam hoc systema non tantum per repraesentativa corpora nationis Hungarae, simul ac Germano-Slavorum Monarc hiae populorum, sed positiva etiam Aug. Imperatoris ac Regis nostri sanctione est adoptatum et confirmatum, in praesentia qualiscunque in contrarium agitatio et boni civis et veri christiani hominis officio adversa debeat reputari. Quippe non magno ingenii acumine opus est, ut quis perspiciat, in eo, ad quod res hoc momento pertigit, publicarum Monarchiae nostrae rerum stadio reiectionem, de quo nobis sermo est, systematis et cuiuscunque alterius adoptationem ineluctabilibus difficultatibus fore obnoxiam, imo praesentissimum ordini publico, securitati, ipsi adeo consistentiae Imperii periculum fore adlaturam. Non est bonus filiusfamilias, qui ruinam paternae domui minitantia consilia non modo non studet ab ea avertere, sed sua plane succolare pergit cooperatione. Ita nec seu providus seu frugi patriae suae civis dici potest, qui gravia huic damna aut plane perniciem portendentes convulsiones quoquo modo facto suo et studiis fovet aut promovet. Sed oppositio idgenus et repugnantia adversus systema, tanta quarumvis summarum etiam auctoritatum consensione adoptatum haud etiam conciliari potest cum spiritu et placitis sacrosanctae religionis nostrae. Obligamur enim e positivo legis christianae praescripto reverentiam et obsequium exhibere omni legitimae potestati, et obedire superioribus, ut ait S. Paulus, etiam discolis. Nec unquam seu divinus Salvator noster in his terris agens, seu Apostoli se unquam in patriae constitutionis, vigentiumque civilium legum

vellicationem immiserunt, sed promtum iis praestiterunt obsequium, nisi eae in manifestam cum superiore, id vero est, divina lege incidissent repugnantiam. Tum enim inconcussum ipsorum fuit axioma: Oportet obedire Deo magis quam hominibus. Hoc suo exemplo satis docuerunt institutores fidei nostrae, quales hoc in obtutu esse deceat, imo ex divini sui Magistri voluntate esse oporteat christianos, intuitu suae erga sublimiores civilis status auctoritates subordinationis; quamve repugnet spiritui religionis nostrae, adoptato per civiles auctoritates regiminis systemati se opponere, maxime dum idgenus oppositio periculosas publicae rei convulsiones praevidetur inductura. Si hoc tenet quoad omnes, qui christianae vitae sequuntur professionem: magis etiam imo praecipue tenere debet quoad sacerdotes, eiusdem fidei praecones, magistros et administros, quorum est ex ipsa divina sua institutione, ceteris quae recta iustaque sunt verbo non minus ac proprio exemplo demonstrare. Certe perquam triste est, videre politicarum agitationum fluctibus immergi eos, qui vi sanctae vocationis suae homines a nimia rerum temporalium cura retrahere, et omni virium contentione ad consectanda aeternae vitae procmia stimulare debent; videre Evangelii praecones, quorum praecipua obligatio est sopire odia, extingvere dissidia, fiduciam harmoniam mutuamque caritatem, quae secundum doctrinam Doctoris gentium vinculum est perfectionis, diffundere et nutrire in cordibus fidelium, factionum politicarum studiis mentes cordaque hominum incendere, dissociare; perquam triste inquam est, videre eos, qui vi sublimis missionis suae erga omnem legalem auctoritatem bonis quibusvis artibus sucolare debent venerationis, fiduciae et obedientiae sensus, incautis sermonibus aut audacibus suis factis ad inobedientiam, diffidentiam aut plane resistentiam concitare.

Sed praeter haec e natura vocationis sacerdotalis desumta rationum momenta dantur et alia argumenta, quae Clerum ab omni adversus adoptatum semel in Monarchia principium agitatione debent retinere. Missis ceteris unum tantum memorabo. Innumeris in dies et eventibus et pagellarum publicarum testimoniis, nec exteris tantum sed et domesticis discimus, religionem christianam ac inprimis immaculatam eius

Digitized by Google

depositariam Ecclesiam Catholicam infestissimis undique impeti armis, idque tantopere, ut omnino cuncta mundi elementa, ipsae inferni portae in eius exitium conspirasse videantur. Nolim syllabum texere iniquitatum, quibus Caput Ecclesiae, Summus Pontifex noster, vere pius, vere sanctus, incessanter lacessitur. De his iteratis iam vicibus sermo mihi ad vos fuit. Et, si vel maiorem eorum, quae in hanc impietatis classem pertinent, recensere vellem eventuum partem, non pastorali, epistola, sed integra volumina mihi forent conscribenda. Sed quid etiam idgenus deductione opus est, posteaquam toti mundo constat, non dari mendacii, insolentiae, vafritici aut violentiae genus, quod in Pontificiam Sedem ipsumque venerandum Pii IX caput non fuisset infelici hoc aevo nostro congestum? Neque in eorum me immittam enumerationem, quae in exteris oris regnisque, potissimum vero in Italia, regno illo catholico, quod inde ab Ecclesiae incunabilis ceu firmissimum religionis christianae propugnaculum suspiciebatur, a quatuor incirca lustris in oppressionem imo propudium eiusdem sacrosanctae fidei sunt perpetrata, hodiedumque violentiori in dies impetu, nec a singillativis tantum ac privatis hominibus, sed ab iis etiam, imo ab iis potissimum, qui regendis infelicis illius populi sortibus praesunt, perpetrantur. Idem tenet de aliis quoque Europae imo et Americae ditionibus. Nonnulla tantum ex multis, quae ipsum, cuius pars sumus, Imperium recentioribus his temporibus miserandum in modum hoc sub obtutu exagitant, memorabo, idque paucis solum verbis et per summos quodammodo apices. Quid, quaeso, constans ista et multifaria adversus Conventionem Sedem inter Apostolicam et Aug. Principem nostrum initam, quam passim Concordatum compellant, agitatio monstrat aliud, quam infrunitum in Ecclesiam ipsamque fidem catholicam odium? Quippe in quo proprie consistat haec Conventio, quis eius sit scopus, quae natura et indoles? iteratis iam vicibus tum in forma pastoralium literarum, tum per modum specialis elucubrationis coram vobis depromsi sensa mea. Vel ex iis sane, quae illic continentur, quisque mente a praeiudiciis libera et veritatis studio animatus facile perspicere potest: Concordatum nil esse aliud, quam stabilitum ecclesiasticam inter et civilem potestatem tractatum,

Digitized by Google

cuius virtute Ecclesiae Catholicae, iniquis sane antehac servitutis indaginibus in Austriae Imperio constrictae, nativa iureque divino debita libertas restituitur. Alienarum a fide catholica confessionum, quarum ne mentio quidem occurrit in toto tractatu, iura et immunitates per Concordatum nullam passae sunt diminutionem. Nulla etiam cuicunque alteri hominum classi, statui aut ordini illata est iniuria aut praehabitae libertatis facta restrictio; ut adeo nemo conqueri possit, nec, quoad sciam, conquestus unquam sit, sibi per Concordatum damnum aliquod aut praeiudicium fuisse generatum. Si qui temeratae vitae et scandala scandalis cumulantes homines, quales nec Sanctuario quandoque desunt, in publicas adversus Concordatum proruperunt querelas eo, quod legitimae superioritatis interventu licentiae vitae suae limites poni experti sint, id Concordati existimationi non potest derogare, tanto quidem minus, quod iusta Cleri ad Praesulum auctoritatem subordinatio innumerorum sacrorum canonum sanctione citra ullum etiam ad Concordata respectum sit constabilita, haecque subordinatio per Concordatum Austriacum alleviata potius sit quam aggravata. Si igitur hac Concordati innocentia non obstante tantae in illud undique multiplicantur aggressiones, tantae coniiciuntur calumniae, tanta probra, tamque iniquae imputationes, ut etiam eventus in nullo cum eo positi nexu, ipse adeo infelix armorum Imperii successus ei attribuantur: manifestum est, causam rei non alibi quam in infenso erga Ecclesiam fidemque catholicam animo, positivoque odio esse requirendam, utpote quam sublatione Concordati in priorem illam indignam servitutem cuperent videre reiectam, sicque successive magis in dies sperarent attenuatum imo conculcatum iri. Aliud non minus indubium labascentis fidei, inimicique erga Ecclesiam Cath. in nostra quoque Monarchia spiritus indicium est, iste tam vehemens nisus, Scholas ab influxu sacerdotii eximendi; qui quidem pruritus non singulares tantum personas invasit, sed maiorem partem eorum quoque, qui ad coordinandum publicae rei statum, condendas leges, efformandamque civilem Monarchiae constitutionem sunt acciti aut deputati. Exemtionem idgenus vocant emancipationem scholae a iugo Ecclesiae. Sed vero non vident aut videre nolunt

Digitized by Google

hi homines, quod instituti scholaris ab Ecclesia separatio, si reapse quocunque infelici fato in effectum deduceretur, necessario tristissimum in religioso-moralem iuventutis statum influxum foret exerturá. Iam nunc iuventus nostra parum habet religiosi spiritus; iam nunc magna sui parte prona ruit in illicias carnis, vitiaque corpus et animam miserum in modum depascentia; iam nunc haud parum superbiae spiritu est afflata, ad resistendum superioritati, omneque audaciae genus proclivis. Quid fiet, si per formalem scholae ab Ecclesia disiunctionem modicis etiam illis fidei et religionis subsidiis, quibus adusque, ne penitus a virtutis tramite deviaret, continebatur, exuta fuerit et destituta? Fiet quod futurum sapientes omnes dudum prospexerunt. Adolescet progenies omnis religionis adeoque et virtutis et tenerioris cuiusvis sensus expers, arrogantia tumens, cunctis sensualitatis illecebris indulgens, Dei immemor, irreverens parentum, ad ciendas factiones turbasque publico ordini periculosas paratissima. Hoc evenit semper et ubique, ubi iuventutis institutio et educatio non fuit vivo ac tenero religionis spiritu animata. Hoc et in nostra eveniet Monarchia, si per summum infortunium impii isti scholam a religione dissociandi conatus effectu fuerint coronati. — Sunt praeter haec complura, quae ad demonstrandum, apud nos quoque in dies amplius invalescentis pestis indifferentiae, atque adeo odii erga religionem et ecclesiam quotidie cerni argumenta, possem allegare. Sed vero haec per me paucis attacta plus quam satis meam comprobant asseverationem.

Ast dicet fortasse aliquis: haec nec ipsi inficiamur, sed quaerimus, in quo ea cum Dualismo proprioque harum literarum themate constituantur nexu? Respondeo, in arcto omnino. Quippe in tanto, tam manifesto, ac ipsa etiam legislativa Monarchiae corpora penetrante erga religionem ecclesiamque catholicam infenso studio, imminentia pericula avertendi spes post Deum unice ex Augustissimo Principe, Rege nostro Apostolico, nobis potest affulgere. Nisi enim ipse firmo plenoque roboris pectore, sua item erga fidem et ecclesiam catholicam pietate a maioribus suis nobili haereditate acquisita tantae restiterit animositati et malitiae: Religio et Ecclesia Catholica, quae utique nobis cumprimis sacerdotibus prae

Digitized by Google

cunctis huius mundi thesauris cordi esse debent, indignae iterum servitutis gravissimorumque damnorum et praeiudiciorum subire debebit pericula. Itaque hoc etiam ex obtutu omnimodae prudentiae et circumspectionis ratio a nobis deposcit, ne Augustissimi Domini nostri, quem is tot erga Ecclesiam Clerumque semper documentis testatus est, benignum animi sensum quoquomodo offendamus. Offenderemus autem perquam sensibiliter, si exaequandarum interiorum Monarchiae rationum systemati, quod ad revehendum ordinem, restabiliendamque quoad externas aeque ac domesticas eius phases summopere exoptatam securitatem unice ipsi superesse videbatur, agendi nostra ratione qualescunque obices poneremus. Profecto sacerdotii idgenus se gerendi modus acerbus prorsus accidere deberet paterno cordi Suae Maiestatis. Sed nec levem nobis inureret ingratitudinis notam, utpote qui nil pensi ducamus, religiosissimo Principi nostro, magnanimo initae cum Sede Apostolica Conventionis Auctori, ac acerbissimis ceteroquin inde a principiis regiminis sui fortunae casibus exercitato, hunc etiam addere cumulum doloris. Reperietur fortasse sacerdos, qui dicat, se systema Dualismi cum iuribus et prosperitate patriae suae non posse componere, nec proinde sibi vitio verti posse, si in contrarium suam exerat activitatem. Tali argumentationi respondendum est: obligationem Patriae iura defendendi ad Comitia Regni pertinere, et eos, qui ad talia legitime deputantur, iure vota sua secundum dictamen conscientiae depromendi gaudere; sed vero privatis indulgere agitationibus nec cum boni viri nec cum fidelis subditi rationibus componi posse; minime vero omnium idgenus sentiendi aut agendi rationem catholicae religionis ministro convenire. Scire enim quivis sacerdos debet, non esse suum, de mundanis et politicam Monarchiae constitutionem ferientibus quaestionibus decernere; praesertim ubi de re agitur, concernentium auctoritatum, ipsius adeo supremae potestatis iudicio stabilita, et a cuius acceptatione vel repudiatione tranquillitas publica, externaque non minus ac interna Imperii prosperitas dependet. Scire sacerdos debet, Ecclesiam Catholicam recte, quia catholica est, cum omnibus constitutionibus et regiminum formis modo divinae legi non repugnent, congruere, neque civilibus

Digitized by Google

ordinibus obstrepere consvevisse, aut, ut obstrepere audeant ministri sui, unquam indulsisse. Quod adeo certum est, ut nec illegitimis regnantibus, postquam facto regni gubernacula capessiverunt, suum Ecclesia detrectet obsequium. Rei huius irrefragabile in natione Gallica habemus exemplum, cuius Clerus catholicae fidei sane addictissimus ac religiosissimus, nec illegitimis, regiminis subsellia facto occupantibus Principibus et Magistratibus denegat paritionem. Quod ad rem ipsam attinet, id tantum dico, me eius esse firmae persvasionis, sortes patriae nostrae feliciori fuisse loco constituras, si ad adoptanda Augusti sui Principis vota se promtiorem exhibuisset, sed nec in futurum continuatam rigidam oppositionem salubres ei fructus generaturam. Dicunt, nec pauci, novum hoc in Austriae Imperio politicae rerum coordinationis systema nullam promittere stabilitatem, nec proinde cordatorum virorum dignum esse succolatione. Sed vero cuncti, qui veras rerum rationes profundius norint penetrare, in eo consentiunt, quod, si nec hoc novissime adoptatum systema potuerit stabiliri: omnis cesset possibilitas, Monarchiam Austriacam ad constitutionales formas redigendi, necessarioque pristinum, quod Absolutismi nomine compellant, subsequi debeat regimen. Ecclesiastico proinde Statui, qui ceteroquin malevolorum lingvis Absolutismi fautor et constitutionalis systematis inimicus undique proclamatur, sollicite cavendum est, ne sua agendi ratione hanc de se conceptam calumniosam opinionem quoquomodo videatur confirmasse. Quae cum ita sint, vos omni cum paterni affectus sinceritate provoco, ut ab omni seu verbis seu factis demonstrando renisu contra systema in quaestione vergens, a quo in praesentibus rerum adiunctis ceteroquin recedi nullatenus potest, sollicite abstineatis. Commendo hoc vobis eo impensius, quo certius mihi constat, firmam esse Aug. Imp. et Regis nostri illud sustinendi voluntatem, constitutosque Magistratus etiam contra ecclesiasticas personas severiora pro re nata media adhibituros, quem in casum nec dioecesana auctoritas ipsis posset opitulari. — Zagrabiae, die 20 Sept. 1867.

1695.

Eiusdem Card. AEppi nova de iisdem obiectis epistola pastoralis ad Clerum. 1867.

— — E tenore harum Encyclicarum literarum (Pii IX PP. de 17. Oct. 1867 quoad preces pro Ecclesia in Italia et Russia admodum afflicta fundendas) clarius potestis perspicere, quis sit infelici hoc tempore nostro Summi Pontificis, totiusque Ecclesiae status, quam ego ob oculos vobis sistere valerem quamcunque prolixis in rem dissertationibus. Profecto coecutire debet in media luce, qui non perspicit, ingentes in Europa, imo toto cultiori orbe subsecuturas confusiones, pericula omnis generis, gravissimaque mala, si impia studia inimicorum — Ecclesiae realem sortita fuerint effectum. (Postquam de periculis throni Pontificii memoriam iniecisset, sic prosequitur:) — Haud secus se res habet quoad illa, quae impius seculi nostri genius secus etiam adversus Ecclesiae libertatem dignitatemque inomisse coquit, ac perfida cum contentione in effectum deducere laborat, molimina. — Sua tam pertinaci adversus initam Sedem inter Pontificiam et Augustum Principem nostrum Conventionem agitatione quo alio tendunt inquieti hi fidei christianae et sanorum principiorum expertes homines, quam ut Ecclesiam indignae, qua antehac in maxima Imperii Austriaci parte opprimebatur, servituti iterum subiiciant, procudentes legum civilium proiecta, quae nec cum libertate Ecclesiae, divino iure exque ipsa sua institutione ei competente, nec cum debito ei aestimio componi possunt, imo quae in ipsa doctrinae disciplinaeque eius seculorum usu firmatae principia impingunt. Hic quoque quaeri potest: an contrita sublimi divinaque Ecclesiae independentia et auctoritate, existiment novi hi liberali spiritu satiati legislatores, obedientiam et venerationem erga alias humano profanoque iuri innixas auctoritates in mentibus cordibusque hominum salvas perstituras? Quaeri item potest: num mature expenderint sequelas, quae necessario oboriri debent, si lex civilis ad manifestam cum praescriptis religionis, i. e. cum lege divina, venerit contradictionem? num ob oculos sibi posuerint tristes

Digitized by Google

illos conscientiarum angores, in quos optimi quique cives incidant oportet, dum in tam acerba pugna se vident constitutos? numque fluctuationis idgenus conscientiarum consequentias debita sua prosecuti sint attentione? Omnium vere sapientium iudicio ipsaque teste experientia, physica armorum vis, et disciplinae publicae, seu ut dicere amant, politicae artes ad intima humani cordis penetralia haud pertingunt; et si sublimiores, quos sola religio pectori humano ingenerare potest, animi sensus non amplius vigeant in hominibus, cunctae physicae potentiae vires, cunctaque humanae sapientiae axiomata, cuncta administrationis publicae rei organa cassum in conservanda populorum tranquillitate operandaque vera eorum prosperitate laborabunt. —

— Idem fere dici potest (praemisit quaedam de sic dicto matrimonio civili) de altera non minus infelici, quam impia illuminatorum, quo se nomine compellari amant, temporis nostri reformatorum idea: quippe iuventutem scholasticam a iugo religionis, quod aeterna sapientia Salvator noster leve et svave compellavit, liberandi. Nimirum cum ipsi christianam fidem reiecerint, volunt iuventutem quoque omni exuere religionis sensu, sicque secundum praeposteros suos libertatis et culturae conceptus eam liberam reddere, cultam et eruditam. Sed vero non perpendunt, vel perpendere nolunt, religione destitutam iuventutem dissolutionis omnis generis, et revolutionum pabulam evasuram; cessuram non in gloriam et felicitatem patriae, sed in propudium eius et perditionem; quod et sana ratio docet, et omnium temporum historia contestatur. ‚Calumnia est, aiunt neoterici hi agitatores, nos religionem exclusam habere velle e scholis: in conformitate systematis nostri doctrina religionis praestitutas aeque habet in scholis horas: postulamus tantum, ut scientiae independenter a religionis placitis tractentur, nec earum cursus huius influxu intercipiatur; maneat, dicunt, quodvis genus in sphaera sua, sed unum alteri non praeiudicet.' At vero non vident, aut videre nolunt, per id, quod unius aut duarum horarum per hebdomadam spatio religionis doctrina iuventuti proponatur, eandem nequaquam adhuc evadere religionis spiritu imbutam. Religio est res cordis et intellectus: ut fixam in intellectu capiat se-

dem, placita eius et dogmata in harmonico nexu cum aliis, quas mens percipit, notionibus ei debet propinari; secus corrupta humana natura, signanter innatus ipsi superbiae et sensualitatis sensus in eam passim partem inflectet intellectum, quae his favent, adulantur, ea vero reiiciet, quae quaqua ratione iis contraria sunt et adversantur. Idem tenendum de corde humano. Recte ideo, quia cor humanum tantopere propendet in ea, quae carni favent et superbiae vitae et concupiscentiae oculorum, continuo pietatis studio, mansvetudinis et christianae caritatis operum exercitio, ac inprimis frequentiori usu saluberrime institutorum per Salvatorem virtutis mediorum, Sacramentorum quippe, emolliri debet, circumvallari et roborari, indubie secus in devium tramitem deflexurum. Hoc autem nonnisi continuo religionis in totam educationis seriem influxu potest impetrari. Non expendunt, vel expendere nolunt hi novarum legum conditores, nihil singillativis individuis, totique societati posse esse periculosius, quam intellectum variis farcire scientiarum generibus, et cor in sua relinquere ruditate; manet autem cor humanum semper rude, vacuum ac durum, nisi religionis divinae virtute perpoliatur, repleatur, emolliatur. Vidimus idmodi religionis expertis educationis tristissima nuper quoque mensium exempla: ubi iuventus scholastica sine religionis influxu educata eum plane iam attigit perversitatis gradum, ut non adhorreret in una quidem Universitatum aperte negare Dei existentiam, in alia Magistrum suum e conclavi scholari violenter expellere propterea, quod non absolute adhaereret impiis Materialismi principiis, sed praeter inertem materiam etiam spiritualium entium admitteret existentiam. Talia nobis quoque sapientes hi legum conditores in Imperio nostro praeparare volunt otia.

Missis ceteris, quae hoc loco dici possent, unum adhuc memorabo. Ubique gentium et locorum Deo et religione destituti humani generis reformatores, de quibus nobis sermo est, nihil avidius desiderant, nihil maiori cum virium adstrictione agunt, quam ut Ecclesia nominatim Catholica eiusque ministri sua exuantur bonorum proprietate. Dum de hoc themate sermo est, admirabilem ostendunt ingenii foecunditatem, in conquirendis argumentis solertiam, in prosecutione sui scopi infra-

Digitized by Google

schlafen, dass seine bekümmerten Jünger angsterfüllt rufen: Herr, hilf uns, wir gehen zu Grunde! Der Herr selbst gab dem Apostel Paulus das Zeugniss, dass er ein ihm auserwähltes Werkzeug sei, um seinen Namen vor Heiden und Könige und Kinder Israels zu bringen. Der Beweis dieser göttlichen Wahl soll aber nicht im Aufblühen irdischen Glückes gegeben werden, sondern in Verfolgung und Trübsal; denn ich will ihm zeigen, spricht der Herr, wie viel er um meines Namens willen leiden muss. Der Apostel fasste das Wort und bekennt, dass er glaube, Gott habe uns Apostel als die Allergeringsten dargestellt, als die zum Tode bestimmten; denn zum Schauspiele sind wir geworden der Welt, den Engeln und Menschen. Wir sind Thoren um Christi willen, wir sind schwach, verachtet. Bis zu dieser Stunde hungern und dursten wir, sind entblösst, werden mit Fäusten geschlagen und haben keine bleibende Stätte, man verflucht uns und wir segnen; man verfolgt uns und wir dulden; man lästert uns und wir beten, wie ein Auswurf dieser Welt sind wir geworden, wie ein Abschaum von Allen. Dessenungeachtet danket Paulus dem Herrn für seine Berufung zum Evangelium und will sich seiner Schwachheit rühmen, damit in ihm wohne die Kraft Christi: ‚Darum habe ich Wohlgefallen an meinen Schwachheiten, an Schmähungen, an Nöthen, an Bedrängnissen um Christi willen; denn wenn ich schwach bin, dann bin ich stark.' Hierin liegt die Lösung jenes Räthsels, weshalb der Herr über seine Erlöseten und Auserwählten so oft harte Bedrängniss kommen lässt. Die mit aufrichtigen Herzen den Herrn suchen, sollen in mannigfachen Prüfungen ihrer Schwachheit sich bewusst werden, damit sie auf den Herrn vertrauen lernen, alle ihre Sorgen auf den Herrn hinwerfen und sich nur des Herrn rühmen. Mein Sohn, sagt der weise Sirach, willst du den Dienst Gottes antreten, mache dich auf Anfechtung gefasst; und der heil. Paulus erinnert seinen geliebten Timotheus daran, dass alle, die gottselig leben wollen in Christo Jesu, Verfolgung leiden werden. Die ganze Vergangenheit, so weit sie uns bekannt geworden ist, bestätigt diese Wahrheit. Schmähung, Schimpf, und Spott, Vertreibung aus der Heimat, Gefängniss, Schwert und Feuer

Digitized by Google

waren nicht immer die gefährlichsten Anfechtungen ; äusserer Glanz, irdischer Wohlstand, Reichthum und Überfluss brachten der Sittenheiligkeit grössern Schaden, als die blutigsten Verfolgungen. Wenn ich schwach bin, sagt der heil. Paulus, dann bin ich stark. Wer weiss es nicht, dass in jenen Jahrhunderten, in welchen die Wuth der Heiden, der Hass der Irrgläubigen, der Stolz der Weltweisheit gegen die Bekenner Jesu Christi tobten, die glänzendsten Muster eines weltüberwindenden Glaubens weithin leuchteten und die Zahl der Gläubigen wunderbar mehrten. Als die Machthaber dieser Welt das Bekenntniss Christi mit ihrer Gunst lohnten, den Gläubigen Einfluss und Ehrenstellen gewährten, schlich in die Kirche Christi das Sittenverderbniss weit mehr sich ein, als diess in den Tagen der Verfolgung zu betrauern war. Wenn ein starker Wind über die Tenne hinfährt, auf welcher Weizengarben gedroschen werden, rafft er die Spreu mit sich fort, und nur die schweren Körner bleiben liegen ; bei ruhiger Luft mengt sich Alles untereinander. Wohl werden manche äussere Ärgernisse und Verführungskünste hintangehalten, wenn äussere Zucht und Strenge der Eigenwilligkeit der Menschen engere Schranken ziehen ; es lehrt jedoch die Erfahrung, dass durch die äussere Gewalt der innern Geisterfäulniss auf die Dauer nicht gewehret werden kann. Das Geschwür verbreitet sich unter der dem Anscheine nach gesunden Hülle, unerwartet durchbricht es die schöne Decke und mancher schmerzhafte Schnitt tief ins Fleisch hinein wird erfordert, um die Heilung vollends zu Stande zu bringen, wenn der angegriffene Organismus einer solchen überhaupt noch fähig ist. Alles Irdische vergeht, die Pflanzen verdorren, die Blumen verblühen, die Individuen sterben, die Völker vergehen, die Reiche verschwinden ; diese Letzteren vorzüglich durch die sittliche Verfaulung. Wenn sich die Anerkennung eines heiligen gerechten Gesetzgebers, der über den Menschen im Himmel thront, in grosser Ausdehnung verliert, wenn die menschlichen Gesetzgeber alle Weisheit nur aus sich selbst schöpfen wollen und die Quellen verschmähen, für derer Lebenskraft die verflossenen Jahrtausende ein vollgiltiges Zeugniss ablegen, dann erscheint im

Digitized by Google

goldprunkenden Saale beim lauten Jubel der sinnlichen Freude der verhängnissvolle Finger an der Wand und verkündet das Ende erlogener Herrlichkeit. Die aber auf den Herrn hoffen, erneuern ihre Kraft und werden nicht müde. Wer den Herrn liebt, der vertraut auf den Herrn, arbeitet für den Herrn, leidet für den Herrn, und gibt auch sein Leben für den Herrn; denn er weiss, dass seine Arbeit nicht vergeblich ist im Herrn.

Brüder in Christo! Auch in unserm Wirkungskreise entzieht uns für die nächste Zukunft die Wandelbarkeit des menschlichen Geistes in der Verwirklichung unseres Berufes jene Unterstützung, deren Erfolge wir vielfach für segensreich fanden. Werden wir desshalb muthlos zurückweichen, unser Bestreben aufgeben, an dem Werke Christi verzweifeln? Das sei ferne von uns! Christus hiess seine Apostel bei ihrer Sendung in die Welt nicht auf die Gewaltigen dieser Erde ihre Hoffnung setzen, nicht mittelst deren Hilfe das Reich Gottes verbreiten. Er sagte ihnen vielmehr: sie werden euch den Gerichtsstellen übergeben, vor Statthalter und Könige werdet ihr geführt werden um meinetwillen. Haben sie den Hausvater Belzebub geheissen, wie viel mehr werden sie seine Hausgenossen also nennen? Je mehr uns die menschliche Unterstützung entzogen wird, desto mehr sollen wir bei Gott Hilfe suchen, desto lebendiger an seine Verheissung uns erinnern, die da lautet: Siehe, ich bin bei euch alle Tage bis ans Ende der Welt. Der heil. Paulus schreibt seinem Timotheus: du bist mir in der Lehre gefolgt, im Wandel, in der Geduld, in den Verfolgungen, in den Leiden; die bösen Menschen und die Verführer werden immer ärger werden; du aber bleibe bei dem, was du gelernt hast; denn du weisst ja, von wem du gelernt hast. Predige das Wort, halte an damit, es sei gelegen oder ungelegen. Sagen wir uns selbst mit dem Apostel: Ich werde nicht zu Schanden, denn ich weiss, an wen ich geglaubt habe, und ich bin überzeugt, dass er mächtig ist, meine Hinterlage zu bewahren für jenen Tag, an dem wir erscheinen werden vor dem Richterstuhle Christi, damit ein Jeder, je nachdem er in seinem Leibe Gutes oder Böses gethan hat, darnach empfange. Ob unsere Bemühungen den

Digitized by Google

erwünschten Erfolg äusserlich ausweisen oder dessen zu ermangeln scheinen, entscheidet nicht über den Werth unserer Arbeit, bestimmt auch nicht den Grad unseres Verdienstes. ‚Non est in medico semper, relevetur ut aeger.‘ Die Liebe Christi dränge uns! Christus ist für Alle gestorben, damit die da leben, nicht mehr sich selbst leben, sondern dem, der für sie gestorben und auferstanden ist. Um theuern Preis sind wir erkauft; lasset uns daher Gott in unserem Leibe tragen und verherrlichen. Wir Alle, die wir in der Wassertaufe durch das Wort des Lebens gereinigt und geheiligt sind, bilden Einen Leib, dessen Haupt Christus ist, und dieser Leib ist die kath. Kirche, die sich Christus durch seine Menschwerdung, seinen Tod und seine Auferstehung, durch seine Himmelfahrt und Ausgiessung des heil. Geistes erworben und gebildet hat, die er zusammenhält und mittelst seiner Wirksamkeit durchdringt und lenkt. Wir Alle sind Glieder dieses geheiligten Leibes. Das Leben eines jeden einzelnen Gliedes kommt von dem Herrn; dieses Leben zu empfangen und zu bewahren, zu pflegen und zu erhöhen hängt aber auch von der Mitwirkung des Menschen ab, diese Gabe Gottes wohl anzuwenden, als Rebzweige, die Frucht bringen, uns zu bewähren, das ist auch unser Werk. (Sequitur de matrimonio.) — Es war eine Zeit, wo auf den Trümmern der römischen Welt neue Völker auftraten und neue Reiche erwuchsen. Die Sendboten des Evangeliums, dessen glänzendes Symbol schon lange vorher auf den Zinnen des Capitols leuchtete, zogen aus zu diesen Völkern, um sie mit dem Sauerteige des Christenthums zu durchdringen und zur höheren Gesittung hinanzuführen. Die Völker widerstanden der siegenden Macht des Kreuzes nicht, anbetend sanken sie nieder vor diesem höchsten aller Mysterien und beugten ihren stolzen Nacken unter das süsse Joch des Gesetzes Christi; das Lebensgesetz des Christenthums ist auch das Gesetz ihres Staatslebens geworden. Alle staatlichen Institutionen waren von dem Hauche christlichen Geistes durchwehet und getragen, und darum ist es kein Wunder, — dass der Kirche, welche durch Jahrhunderte die einzige Culturmacht war, ihr Einfluss auf die Erziehung der heranwachsenden Generationen mit dem Zoll des vertrauensvollsten

Digitized by Google

Dankes vergolten wurde. Es ist jedoch schon lange her, dass die geschilderte innige Verschlingung des kirchlichen und staatlichen Lebens sich zu lösen begann, und in unserem Vaterlande Oesterreich hat diese Lösung eben auch in jüngster Zeit sich vollzogen. Die 3 Gesetze vom 25 Mai 1868 geben davon Zeugniss. Wie werden wir, ehrw. Brüder, diesen Gesetzen, den durch dieselben geschaffenen neuen Verhältnissen gegenüber uns verhalten? Wie immer, so werden wir auch hoch halten das heilige Gesetz des Christenthums und die uns anvertrauten Gläubigen um der Liebe Christi willen auffordern, dass sie in der Treue freiwilligen Gehorsams demselben sich unterwerfen, zugleich aber im Herrn sie ermahnen, das weltliche Gesetz so zu beobachten, dass sie das Gesetz Gottes und der Kirche nicht verletzen. — Laibach, 9 Juli 1868.

1758. A Eppi Goritiensis. Es ist euch bekannt, dass am 25 Mai von der österr. Staatsregierung drei Gesetze veröffentlicht worden sind: ein Ehegesetz, ein Schulgesetz, ein interconfessionelles Gesetz. Die ebengenannten 3 Gesetze sind einigen Artikeln, namentlich dem 5, 7, 8, und 9 der zwischen Sr. Heil. und Sr. Maj. dem Kaiser von Oesterreich am 18 Aug. 1855 abgeschlossenen Vereinbarung zuwider. Diese Vereinbarung (Concordat) wurde durch den obersten Hirten als Kirchengesetz und durch den Herrscher Oesterreichs als Staatsgesetz für die kath. Unterthanen des österr. Kaiserthums verkündet, und kann nur unter Zustimmung beider Vertragschliessenden aufgehoben werden. (Citatur art. 35. Concordati.) Der römische Papst hat die obenerwähnten Gesetze der österr. Staatsregierung nicht nur nicht gebilligt, sondern in der am 22 Juni d. J. zu Rom im geheimen Consistorium gehaltenen Allocution ausdrücklich verworfen und verdammt. Die Vereinbarung vom 18 Aug. 1855 ist also trotz der ihr einerseits derogirenden oberwähnten Gesetze auf kirchlichem Gebiete als in voller Kraft fortbestehend zu betrachten. Dies vorausgeschickt, müssen wir zur Prüfung der

Digitized by Google

kais. Gesetze selbst übergehen, und die Art und Weise angeben, wie der Kampf zwischen den bürgerlichen und Kirchengesetzen möglichst vermieden und dem Kaiser was des Kaisers, und Gott was Gottes ist, gegeben werden könne. — B. Das interconfessionelle Gesetz. — Die kath. Kirche war seit den ältesten Zeiten in Oesterreich die herrschende und erfreute sich gewisser Vorrechte. Die neuesten Gesetze erklären alle diese Vorrechte bis auf die letzte Spur als abgeschafft. Die Parole des modernen Liberalismus lautet: Gleiches Recht für Alle; welche wohl verstanden und angewendet anstandslos anzunehmen ist, denn sie will sagen: Jedem das Seine. Jede Religionsgesellschaft ist nach ihren eigenen Grundsätzen zu behandeln. In Ehesachen z. B. wird selbst im bürgerlichen Gesetzbuche auf die Religion Rücksicht genommen, freilich grössere bei Behandlung der Nichtkatholiken, als der der Katholiken. Der heil. Vater klagt in der erwähnten Allocution vom 22 Juni d. J. auch über das interconfessionelle Gesetz. — Damit der ehrw. Seelsorgsclerus wisse, wie er bei Anwendung des interconf. Gesetzes sich zu verhalten habe, fügen wir folgende Bemerkungen bei: — Der zum Begräbniss der kath. Gläubigen bestimmte Friedhof ist mit der Segnung des Bischofs oder des von ihm bevollmächtigten Priesters versehen; daher besitzt er den Character einer religiösen Stätte und untersteht dem kirchlichen Rechte. Die Leichname Jener, denen das kirchliche Begräbniss verweigert werden muss, sollen so bestattet werden, dass sie von der Begräbnisstätte der Gläubigen entweder durch eine Mauer oder durch eine Umzäunung gesondert sind. Die Glocken dürfen nicht geläutet werden; der Pfarrer darf nicht einmal ohne die heil. Gewänder beiwohnen. Durch ein notorisches Begräbniss eines Ungläubigen, eines Ungetauften oder eines notorischen und zu meidenden Excommunicirten wird der Friedhof entheiliget. Durch das wenn auch noch so unerlaubte Begräbniss anderer, denen das kirchliche Begräbniss verweigert werden muss, wird der Friedhof nicht entweiht. Unter diesen Bedingungen können obige Anordnungen des bürgerlichen Gesetzes geduldet werden. C. Das Schulgesetz. Alle Bestimmungen dieses Gesetzes zielen dahin, die

Digitized by Google

Trennung der Volksschule von dem Einflusse der Kirche zu verwirklichen. Das neue Schulgesetz ist überdies dem entgegen, was im Concordat Art. 5, 8, und 31 versprochen wird. Daher klagt der heil Vater mit Recht in seiner Allocution vom 22 Juni auch besonders über dieses Gesetz. Die Volksschulen sind fast überall confessionell und der Religionsunterricht nimmt die erste und vorzüglichste Stelle ein. In Nordamerica gibt es Gemeindeschulen mit Ausschluss alles Religionsunterrichtes; aber die Regierung ist weit entfernt einen Schulzwang anzuwenden. Daher haben dort die Katholiken meist eigene Schulen; denn sie fürchten, dass ihre Knaben und Mädchen in confessionslosen Schulen gegen die kath. Religion gleichgiltig werden. Bei uns können in Zukunft sittenlose, nichtkatholische, sogar jüdische Lehrer zum Unterricht der kath. Jugend bestellt werden, und die Eltern würden auch in diesem Falle ihre Kinder in eine solche Gemeindeschule zu schicken gezwungen sein. In England und Frankreich sind die Schulen in der Regel confessionell, dort besteht kein Schulzwang. Weder das Ehe- noch das interconfessionelle Gesetz können der kath. Sache solchen Schaden zufügen, als das neue Schulgesetz, besonders in Städten und grösseren Orten. Daher hat der ehrw. Diöcesanclerus aus allen Kräften dahin zu streben, dass die religiöse Erziehung und Unterricht keinen Schaden leiden. Die grösste Wachsamkeit und Sorgfalt ist anzuwenden, wenn es sich um die Wahl von Schullehrern handelt. Wir bitten den ehrw. Clerus und beschwören ihn im Herrn, zu wachen über die christliche Heerde, deren geistliche Sorge ihm anvertraut ist. Ausser dem Hirteneifer ist Bescheidenheit, Unterscheidungsgabe und wahre Pastoralklugheit nothwendig. Empfehlen wir auch die kath. Sache dem obersten Hirten der Seelen. Christo dem Herrn, der den Aposteln und ihren Nachfolgern im Apostolat versprochen hat: Sieh, ich bleibe bei euch alle Tage bis zum Ende der Welt — Görz, den 14 Juli 1868.

1759. Eppi Tergestini. (Cum textus epistolae ac instructionis pastoralis Tergestinae praecipue de matrimoniali lege agat, eum inter Monumenta de matrimonio recensemus: hic unice passum de legibus ceteris subnectimus:) — Scholastica iuventutis eruditio vi alterius legis eiusdem diei 25 Maii a. c. subiicitur quidem supremae directioni et inspectioni Status civilis et functionariis ad hoc legaliter constitutis; ast vi §§. 1. 2. 7. directio et immediata inspectio impertiendae instructionis religiosae et ordinatio pietatis exercitiorum tam in scholis elementaribus quam in mediis reservatur auctoritati Ecclesiasticae, quae simul approbat libros religionis doctrinam tractantes; hinc firmum manet officium Catechetae singularum scholarum, omni cura et labore promovendi religiosam iuventutis eruditionem et educationem, et invigilandi, ut profanae scientiae errores non obtenebrent mentem alumnorum, et corrupti seculi mores eorumdem non deturpent animum. Alia lege civili eodem die 25 Maii a. c. lata infantes usque ad septimum aetatis annum quoad religionis professionem auctoritati genitorum aut curatorum subiecti declarantur; transacto vero 14 aetatis anno cuique libertas conceditur secundum propriam convictionem transeundi ad aliam religionis sodalitatem. Alia quoque deploranda statuta, quibus Ecclesiae Cath. iura et consvetudines abrogantur seu restringuntur, promulgata fuere; imo improba licentia datur, praecepta ecclesiastica divinaque mandata praecipue quoad sanctificationem dierum festorum impune transgrediendi: attamen quaecunque perturbatio aut restrictio cultus divini in ecclesiis instituendi, vel consvetarum processionum per vias et plateas ducendarum cohibetur. — Noverint Curati fidelium catholicorum communitatibus huius dioecesis praepositi ministerium suum explere cum prudentia et fortitudine et cum pari caritate. — In administraudis Sacramentis et in Exequiis defunctorum stricte serventur rubricae, quas continet Rituale Romanum; caveatur iustis mediis, ne indigni et a communione credentium notorie segregati participes fiant beneficiorum et honorum, quos Ecclesia Cath. tantummodo filiis suis fidelibus concedere solet, neque loca vi

Digitized by Google

consecrationis vel benedictionis religioni dedicata profanentur, ad scandalum pii gregis christiani. — Tergesti, die 10 Iul. 1868.

1760. Eppi Veglienſis. Dominus Deus creando primum hominem, in sapientissima sua mente simul creavit universam, atque immensam hanc gentium et nationum multitudinem, quae mundum incolere debebat; ita, ut ex unius carne omnes homines descendere, et per id ad agnoscendum in Deo suum Creatorem, universalem Patrem et Dominum, seque mutuo, velut fratres diligendos moveri debeant; atque hinc clarissime apparet vera origo et natura societatis, finisque rationalibus creaturis praefixus, qui nostris diebus horrendum in modum pervertitur. Iisdem principiis superaedificavit Divinus Redemtor suam Ecclesiam, dicendo: (Matth. 23. 8, 9) „Omnes vos fratres estis. Et patrem nolite vobis vocare super terram: unus est enim pater vester, qui in coelis est.“ Itaque filii eiusdem Patris sumus, membra eiusdem familiae, omnesque fratres, a Creatore conditi, ut simul vivamus, nos mutuo iuvemus, unus alterius curam geramus; dicente namque Apostolo gentium (1 Cor. 12. 24, 25) Deus sic temperavit corpus mysticum Ecclesiae suae, ut non sint schismata in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Igitur Deus, qua Creator, est unicus Dominus et Rector universi; ad quem essentialiter plenitudo omnis potestatis et auctoritatis pertinet, et qui reges terrae, docente S. Paulo in ep. ad Rom. 13. 4 tamquam ministros suae providentiae et iustitiae constituit. Fundando itaque duplicem in his terris auctoritatem, spiritualem quippe et temporalem, Ecclesiae iura a iuribus Principis separavit; et quamvis huius quoque iura nonnisi a Deo deriventur, nihilominus tamen confundenda non sunt cum illis religionis; atque ideo obligamur reddere Caesari, quae sunt Caesaris, et Deo, quae sunt Dei, et respective Ecclesiae suae. (S. Matth. 22. 21.) Hic est verus ille contractus, super quem fundata est potestas regnantium. Sed cur, quaeso, negatur hodie haec divina origo auctoritatis Princi-

Digitized by Google

pum? Quia ipsum Deum, eius existentiam, providentiam, et omnipotentiam negari experimur. Exitialis spiritus filiorum seculi huius infelicis aetatis contradicere audet omnibus, quae religio ad evidentiam demonstrat; idque eo scopo: ut nationes ad confusionem, et abyssum omnis disordinis praecipitentur, et principes ad suffodiendos propriis manibus thronos suos cogantur. Haud deberent effugere attentionem nostram infortunia illorum populorum, qui ope irreligiosae et vesanae politicae sic dicti progressus civile suum systema perturbarunt. Certum tenemus, solam imaginem funestarum sequelarum, quas infernalis spiritus novitatis produxit, plus valituram, ac quaecunque argumenta, ad sententiam nostram cunctis persuadendam; unde libenter desisteremus de his verba facere, tanto magis, quod animo nostro repugnet, in memoriam revocare ea, quae historia elapsorum seculorum offert; sed cumprimis horrores, quos misera aetas nostra in tanta mensura nobis spectandos exhibuit. Nemo est, qui non plangeret, considerando: quantum sit passa, et patiatur his nostris diebus non tantum catholica Ecclesia, sed tota societas; et nullus vestrum effugiet sensum iusti horroris, contemplando gravissima mala, e corruptione cordis, et depravatione morum oborta; etenim ex hac scaturigine potissimum propullularunt praevaricationes perversorum, ex hac nefaria incredulitas, qua augustissima fidei nostrae mysteria explosa, exercitia religiosa contemtui tradita, sacrum ministerium vile redditum et sacra Ecclesiae iura oppugnata videmus. Nescio, num s. Ecclesia unquam subire debuerit tales, tamque perniciosas luctas, qualibus nostris calamitosis temporibus exponitur; nam nunc non iam singuli articuli fidei oppugnantur: sed toto in complexu catholica religio, cuius divinam constitutionem et organismum in ipsis fundamentis evertere nituntur; antiquorum inimicorum errores reproducuntur et novis, magisque perfidis, augentur; nec desinit pugna, adversus catholicam Religionem omni armorum genere continuata; unde ipsa principia moderni atheismi applausum ferunt, atque huiusmodi basi superstruuntur leges, pro catholicis populis editae, qui horrore replentur, dum hae voto atque assensui ipsorum falsissime attribuuntur. Minus molestum foret pugnare adversus

Digitized by Google

extraneos inimicos, quibuscum S. Ecclesia in continua lucta constituitur; ast longe dolorosior est necessitas contra proprios filios dimicandi, qui eandem crudeliter impetunt et maternum sinum eius dilaniant; nam multi, in obversum omnium principiorum fidei et iuris, — in obversum historiae omnium seculorum Ecclesiam catholicam quasi usurpatricem iurium Status proclamare, eamque adeo coarctare nituntur, ut maiore libertate fruatur in Statibus noncatholicis, imo in nonchristianis, ubi dumtaxat toleratur. Auctores harum legum profecto non expenderunt, Catholicam Ecclesiam hanc iurisdictionem, quam eidem controvertere vellent, ante existentiam omnium modernorum Statuum et guberniorum iam exercuisse, et quidem virtute dispositionis Divini sui Fundatoris; atque ideo potestatem, a Iesu Christo Apostolis, eorumque successoribus, — qui usque hodiernam diem apostolicum magisterium constituunt — collatam semper pro inalienabili recognitam fuisse; quae neutiquam arbitrarie limitari aut impediri potest. Unde nec Eppi, qui hanc potestatem ab Apostolis hereditarunt, eandem alterare aut diminuere possunt. Certissimum est, catholicam Ecclesiam cunctis Statibus mundi antiquiorem esse; quae cum inde a primordiis suam potestatem, ex ipsa natura sua neque per tempus, neque per spatium limitari queuntem exercuerit, dici neutiquam potest: hanc a quocunque demum gubernio, aut Statu ad illam devolutam, sed e dispositione Divini sui Fundatoris eidem collatam, et nomine eius exercitam fuisse. Et dum tardius Ecclesia e ruinis Romani Imperii modernos Status consurgere videret, his semper beneficam suam opem praestitit, atque ad mutuo promovendam populorum felicitatem nunquam non amicam manum porrexit; ipsa quippe semper firmissimum fulcrum thronorum exstitit. Praesto sunt memorabilia monumenta insignium favorum, quibus summi Pontifices Ecclesiae omni tempore augustos Regnantes domus Habsburgicae prosequebantur, nec cessarunt eos privilegiis condecorare, quae pretiosissimas margaritas ipsorum coronae constituunt; quae privilegia cum ab Ecclesia titulo insignium meritorum concessa sint, dolentes precamur, ut coelum avertere dignetur causas, e quibus illa cessare possent; atque hic Ven. Fratres! constringi sentimus

Digitized by Google

cor nostrum, per funestas vicissitudines, quibus pulchra et amata haec Austria subiacet, et per abyssum, versus quam properat, nisi Deus eam salvaverit.

Ingratissima Nos manet occasio, Vobis Ven. Fratres significandi: per ministeriales Circulares dd. 1-ae Iunii a. c. Nobis officiose annunciatas fuisse certas leges, 25-a Maii sanctione donatas, vigore quarum, — derogando conditionibus in Concordato stipulatis, — novae normae in causis et negotiis matrimonialibus, non secus ac in relatione Ecclesiae ad scholam et ad acatholicos, introduci deberent; per quas leges, secundum competentem sententiam S. Patris, in recentissima Allocutione 22 Iunii prolatam, iura sacrae potestatis lethaliter laederentur et divina constitutio Ecclesiae in ipsa sua basi quateretur. Liceat Nobis animadvertere: secularem potestatem, si in gubernanda Ecclesia partem capere praetendat, indubie sibi iura arrogare, quae eidem haud competunt; etenim civilis potestas nullum ius habet ad ecclesiasticam iurisdictionem, sed potius obligatio, propriumque commodum ei praecipit: ut in mutua cum Ecclesia consensione vivat, eique in adversitatibus praesidio sit, ad promovendam veram subditorum prosperitatem; atque ideo studete Ven. Fratres inconcussa perseverantia tueri Ecclesiae iura; adlaborate omni cum zelo et circumspectione, ut vigilantiae vestrae commissi fideles a terenda perniciosa semita erroris abstrahantur. Quemadmodum generatim constat, et in nostris pastoralibus literis de 4 Augusti 1856 et 19 Ianuarii 1868 repetitim in memoriam revocatum fuit, in Concordato cum S. Sede omni solemnitate concluso, et memorabili die 18 Augusti 1855 ratihabito, inter alia obiecta statutum fuit: negotia matrimoniorum et scholarum principiis et legibus Ecclesiae conformiter tractanda fore; et effectus huius dispositionis Eppis per Imperatorem solemni verbo viri constantis et auctoritatis Imperatoris promissus fuit, cuius sacrae et auctoritatis plenae sponsionis testes fuisse Nobis quoque solatium obtigit. Itaque certum tenendum fuerat: Monarchiam Austriacam, qua moralem personam catholicam religionem profiteri, et in prima serie catholicorum Statuum comparere debere; nisi doloroso cum stupore videre deberemus: per attactas

leges omnes religiones aequalibus iuribus donatas, et ideo plures dispositiones, in Concordato contentas, pro incompatibilibus declaratas fuisse, quarum abolitio, aut modificatio desideratur, et praetenditur, ut leges Ecclesiae legibus Status subordinentur, sicque catholica Ecclesia in Austria ad conditionem aliarum societatum, ab auctoritate gubernii dependentium, redigatur. Quisque perspiciet, Concordatum, utpote bilateralem contractum ab una parte contrahentium arbitrarie rescindi non potuisse, neque posse, et insuper, qua legem canonicam, — in quantum speciatim iurisdictionem et iura Ecclesiae concernit, — essentialiter a Summo Pontifice dependere; unde consequitur: dispositiones Concordati porro quoque retinere debere vigorem legis ecclesiasticae, cui fideles debitam obedientiam in conscientia exhibere obligantur, non obstante eo, quod auctoritas Status in nonnullis punctis legalem eiusdem vim in sua sphaera abrogaverit; quod factum tamen auctoritatem ecclesiasticam obligare nunquam poterit. Profecto res longe tristissima est, quod — dum fructus benedictionis concordis et harmonicae actionis duarum potestatum, Status et filiorum Ecclesiae in promovenda mutuo subditorum Status, et filiorum Ecclesiae felicitate iamiam carpere coepissimus, — Nobis annuntiata sit abruptio amicarum relationum, e praetextibus et causis, contra quas solemniter reclamare protestarique cogimur; verumtamen cum pacem cum omnibus et debitam observantiam erga constitutam auctoritatem omni possibili modo servare optemus, instar principii declaramus: fideles ad normales dispositiones Status, quantum legibus Divinis et Ecclesiae non adversantur, obligari. Conflictus cum seculari potestate facili modo evitari poterunt, si fideles religioso sensu et veneratione erga Ecclesiam ducti, ab usu certarum libertatum, a lege civili concessarum, sed legibus Ecclesiae, — quarum transgressores canonicis poenis plectuntur — oppositarum, quemadmodum confidimus, abstinere voluerint; quo scopo V. F. omnem dabitis operam: ut iisdem inculcetis doctrinam Apostoli gentium, qui I ad Cor. VI. 12 dicit: omnia sibi licere, sed non omnia expedire; atque notum facite illis, Apostolum isthic prae oculis habuisse res, a lege Iesu Christi non prohibitas, et

ipsa sua natura non malas, quas ideo tantum vitandas voluit, quia cum praxi paganorum conveniebant. Principium istud nostro argumento adplicando, dici poterit: Statum quidem diversas tribuere libertates, perpendendum tamen esse, non omnes convenire christiano catholico; nam libertas in hoc obiecto concessa per leges Ecclesiae approbari et dirigi debet; quapropter cum fiducia expectamus, quemvis fidelium huius Dioeceseos cum magno Apostolo dicturum: se nolle aliud agere, nisi id, quod legibus Ecclesiae conforme est; memor sententiae a Divino Salvatore apud S. Matth. 18. 17 prolatae: „Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus", id est: a societate fidelium exclusus. — Amare deploramus Ven. Fratres convulsa in ipsis radicibus fundamenta societatis, quae convulsiones sub duplici aspectu se sistunt, sub obtutu quippe sociali, in quantum sunt violenti motus revolutionis et sectarum, ad introducenda nova politica systemata, et reformationes nationales tendentes; — et sub obtutu religioso, in quantum sub mendaci praetextu progressus adversantur sanctis legibus iustitiae et honestatis, a Deo, supremo Rectore non tantum individuorum, sed totius societatis, praescriptis, cuius auctoritas impugnatur, ut conferatur populo, qui summa potestate praeditus (sovrano) proclamatur; quamvis optime sciamus, quomodo soleverit dirigi voluntas multitudinis, a populi seductoribus. Hic deplorandus rerum status summam attentionem nostram et vigilantiam, pastoralem prudentiam, zelumque, in sincero amore Dei et proximi fundatum exposcit; profecto in conspectu tam terribilium blasphemiarum, et innumerarum violationum divinarum legum vos ipsi Ven. fratres una nobiscum sentietis supremam necessitatem, omnem adhibendi sollicitudinem: ut fideles a peste errorum, qui undique horrendum in modum sub mentita specie progressus se diffundunt, praeserventur, atque fervidis precibus invocandi supremam assistentiam et gratiam, quo mysticus grex Iesu Christi, per veram semitam christianarum virtutum ad ovile summi sui pastoris perduci queat. Prae omnibus vero insigni zelo vestro commendamus: ut, quemadmodum hactenus cum merita laude egistis, sic porro parvulis lac doctrinae sanctae nostrae Religionis praebere pergatis; edu-

Digitized by Google

cate illos in sancto timore Dei, et in omnibus, quae quotidianae ipsorum vitae utilia esse possunt; quapropter conduplicate Ven. fratres fatigia vestra, imbuite diligenter et patienter tenellas proles veritatibus Religionis, et regulis sanae moralis, quae illas ab erroribus et praeiudiciis praeservent; adducite illas ad veram pietatem; praemunite illas contra torrentem impietatis, qui mundum inundat et societati ruinam minatur. Memores estote, Ven. fratres, catholicam Ecclesiam inde a suis primordiis indefessam operam dedisse condendis et provehendis institutis literariis, et educationis crescentis iuventutis; profecto antiquissima et celeberrima horum institutorum, quae extiterunt, aut actu existunt, originem suam Ecclesiae in acceptis referunt. Quem porro latere possent immortalia merita Cleri, in diversis suis corporationibus et religiosis ordinibus circa religiosam, moralem et scientificam educationem iuventutis, — et splendor scientiarum, quo mundum illustravit, — huius solidae scientiae, quae ad admirationem et adorationem omnipotentiae Dei, nequaquam vero ad atheismum modernorum eruditorum, ducit! Nihilominus tamen hi fructus benedictionis utilissimorum laborum Cleri secularis et regularis, implacabile odium, et atram bilem excitarunt, quae lethale venenum calumniae et iniquissimae persecutionis ubique diffundit; imo nec his contenti moderni liberales, Ecclesiam originario iure, disciplinae invigilandi et scholas dirigendi privare nituntur. Contra quae molimina S. Pater apostolicam suam vocem attollere iudicavit in memorabilibus Allocutionibus 1 Nov. 1850 et 5 Sept. 1851 et erroneas opiniones ad celebrem syllabum sub N. XLV—XLVIII retulit. Huiusmodi clarae et praecisae enuntiationes Supremi Capitis catholicae Ecclesiae, atque dispositiones art. VII et VIII Concordati comprehensae, legitimam possessionem praefati iuris Ecclesiae extra omne dubium locare debuissent; veruntamen in exercitio huiusmodi iuris moderni liberales validissimum obstaculum impiorum suorum conatuum conspexerunt; atque ideo omnia studia eo converterunt: quomodo cunctos institutionis defectus veros et suppositos exosae directioni auctoritatis Ecclesiasticae attribuere possent, et cum stupore audivimus tumultuarios

Digitized by Google

applausus turbae, vidimusque stolida scripta, ridicula adulatione referta ad illos dirigi, qui impio ausu catholi am Ecclesiam obscurantismi arguunt, quia vesana principia moderni materialismi oppugnat. Non possumus V. F. isthic supprimere vehementissimum dolorem nostrum, de tam infausta mutatione principiorum et doctrinarum, quas nonnulli ad scholas nostras introducere cuperent, et quae eo minus tolerari possunt, quo magis deplorandi sunt effectus, quos eadem principia, eaedemque doctrinae, in aliis, a nobis haud dissitis infelicibus regnis produxerunt. Quapropter cum humeros nostros ad tanta, tamque perniciosa mala reparanda debiles sentiamus, vestram validam assistentiam invocamus, ut scilicet omni zelo et labore continuetis diligentem institutionem crescenti iuventuti impertiri, quemadmodum hactenus magno cum sacrificio, et absque omni lucri studio fecistis.

Non minus grave vulnus infligitur Ecclesiae per sic dictam interconfessionalem legem, per quam Ecclesia catholica in Austria ad conditionem quarumvis religiosarum sectarum detruditur; transitus ad alias religiones, etiam nonchristianas facilis redditur; quoad mixta matrimonia et educationem prolium, ex iisdem ortarum, regulae, — providis hac in parte cautelis ecclesiasticarum legum prorsus oppositae, praescribuntur: denique coemeteria nonnisi qua instituta valetudinaria considerantur, et ecclesiastica iurisdictio tantopere coarctatur, ut ad ea acatholici quoque, proprio coemeterio carentes sine discrimine tumulari deberent. Iustum habemus hac in parte consolationis motivum: in ista Dioecesi, praeter duos extraneos, nullos acatholicos reperiri; unde gloriari possumus, Nos successores esse apostolicorum virorum, qui puritatem catholicae doctrinae sollicite custodierunt, et fideles, catholicae Ecclesiae exemplariter adhaerentes, semper illibatam servarunt inconsutilem tunicam Iesu Christi. Atque istud est, quod Nos quoque manutenere cupimus, fiduciam locantes in divina gratia, et vestro adiutorio Ven. fratres! qui hactenus quoque insignia specimina vestri zeli in revocandis et reducendis ad sinum S. Matris Ecclesiae errantibus, dedistis. Ceterum non possumus non isthic serio inculcare: ut in hac Dioecesi, relate ad erectionem et usum coemeteriorum stricte

Digitized by Google

observentur canonicae sanctiones et praescriptae in Rituali Romano regulae quoad illos, quibus vigore legum Ecclesiae sepultura ecclesiastica negauda est; porro ad evitandas inamoenas collisiones, Ven. Clero commendamus; ut, in quantum hactenus factum non fuisset, prospiciat, ut quantocyus in quolibet coemeterio distinctus locus designetur pro receptione cunctorum, ecclesiastica sepultura carentium destinatus.

Praemissis his observationibus, haud necessarium putamus, ulterioribus instructionibus immorari, dum S. Pater in praevenerata Allocutione sua de 22 Iunii supra attactas leges, et omnia, quae seu quoad illa, seu quoad alia obiecta, ad ius Ecclesiae pertinentia, per gubernium, aut quemcunque inferiorem magistratum decreta, aut quoquo modo attentata fuissent, apostolica sua auctoritate reprobavit, damnavit, pro nullis et irritis declaravit, provocando etiam ad censuras et poenas, quas apostolicae Constitutiones et decreta Conciliorum invasoribus iurium Ecclesiae ipso facto infligunt. Coniungamus demum Ven. Fratres, cum precibus S. Patris nostra quoque ardentia vota, ut in medio tantarum calamitatum, quibus Ecclesia his luctuosissimis temporibus ubique premitur, Dominus sua omnipotentia cuncta scelerata consilia inimicorum suorum et Ecclesiae suae sanctae disperdere, impios illorum conatus reprimere, impetum frangere, illos sua misericordia ad tramitem iustitiae et salutis reducere, Nobisque hanc specialem gratiam largiri dignetur: ut pestiferum miasma erroris nunquam triumphum reportet inter fideles dilectae huius Dioeceseos, sed sancta Religio avorum nostrorum sit scutum, quod nos contra pericula mendacii et impietatis protegat et defendat. — Vegliae, die 2 Iulii 1868.

1761. A Eppi Jadrensis. Iesus Christus, versus quem omnes generationes, quae Eum praecesserunt, quin scivissent, suspirarunt, et in quem tendunt, tendentque omnes, quae Eidem successerunt, et succedent, divina sua potestate munitus inter homines comparuit, ut illos illuminet, illisque viam ad coelum ducentem aperiat et faciliorem reddat. Omnes cognoscere potuerunt divinam Eius missionem, et admirari

connexionem humilitatis cum triumpho, in qua mundo se manifestare dignatus est. Ad instar solis, qui nonnunquam in spissa nube se abscondit, resplenduit, terram illuminavit et divino suo igne calefecit; dixit se Filium Dei, Deum simul cum Patre et S. Spiritu esse, suamque Divinitatem luculentissime demonstravit; doctrinam illucusque inauditam praedicavit et docuit; se Legislatorem, Magistrum, Regem, Pontificem declaravit, ac victima expiationis pro omnibus, pro illis quoque, qui Eundem immolarunt, fieri voluit. Immensa divina lux Eius dissipavit tenebras; Salvator mundi mortuus est, sed eodem tempore de morte triumphavit, et post paucos dies suae humiliationis suique triumphi dispersos per universum orbem homines ad sinum Ecclesiae, ab Ipso fundatae, congregare coepit; faciendo, ut omnes Eundem pro Illo habere et agnoscere possint, qui promissus Adamo et Patriarchis, et praenunciatus a Prophetis in plenitudine temporis comparuit; ut mundo novam aeram pacis, salutis et verae libertatis adferat. In ipsis primordiis fundatae a se Ecclesiae, constituendo eidem Caput in persona Petri, et pastores in persona Apostolorum, dicebat pusillo suo gregi: „Nolite timere .... quia complacuit Patri meo dare vobis regnum coelorum.“ (Luc. 12, 23). Haec primitiva Ecclesia instar grani sinapis crevit et dilatata est; in illa deposuit thesaurum gratiarum, in perdita drachma et margarita adumbratarum; eodem in sinu suo complecti debebat animas prudentes et insipientes, repraesentatas per virgines prudentes et fatuas; haec similis esse debebat agro, in quo seminatum fuit bonum semen, sed ad quem inimicus homo noctis tempore, seu temporibus tenebrarum zizania superseminaret; huic demum Ecclesiae per omnia secula assistentiam suam atque Spiritus S. repromisit. Ad hanc Ecclesiam Vos quoque dilectissimi Filii et Fratres pertinetis, speroque vestram maximam gloriam semper fuisse, futuramque fore: Vos ad eandem pertinere. Dum Salvator Apostolos ad annuntiandum evangelium misisset, dixit: „Euntes docete omnes gentes, baptisantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus S. docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.“ Nos itaque nunquam non, sed in primis hoc tempore Vos docere debemus D. F.! ne in

Digitized by Google

errorem trahamini, cogitando, quod certae libertates, nuper per quasdam novas leges concessae vos ad praevaricanda praecepta Dei et Ecclesiae obligent. Dum Ecclesiae, post tria persecutionum secula, volente Deo sub Imperatore Constantino pax restituta fuisset, eadem respirium sumsit, Deo gratias egit, et postmodum ab illis re protegi experta est, qui eandem persecuti fuerunt; successu temporis, quasi praeco veritatis et pacis, ad populos barbaros, qui Europam inundarunt, penetravit hosque ad evangelicam fidem convertit; unde factum est, quod divinae eiusdem leges et sapientissimae institutiones, ab his populis instar codicis civilis educationis et instar normae dirigendarum socialium correlationum acceptatae fuerint, et quodammodo leges Ecclesiae simulque Status constituerint. Dum postea seculo XVI considerabilis pars magnae cuiusdem nationis in Germania infausto omine a catholica Ecclesia defecisset, gubernia nonnullarum regionum in civili sua legislatione multas leges, Ecclesiae inimicas condiderunt. Secula, quae his deplorandis, gravibusque convulsionibus succesere, sensim novos codices, novis indigentiis populi magis accomodos, attamen veritatibus, quibus Ecclesia innititur, fere semper conformes produxerunt; donec circa finem elapsi seculi irreligiositas et perperam intellecta libertas revolutionem excitasset, populo, apud quem orta est, funestam, et pro aliis quoque, ad quos prava principia, quae eandem causavere, penetrarunt, tristium sequelarum feracem. Ecclesia catholica nihilominus in suis fundamentis immobilis perstitit; vulnera nationis gallicae sanavit, dogmata et immutabiles veritates omni occasione defendit, et omni tempore deploravit et deplorat quamvis legislationem, quae cum supremis veritatibus fidei non consentit, atque fideles suos adversus imminentia inde pericula praemunit; quo scopo Conventiones, aut Concordata cum nonnullis Statibus inivit, quale anno 1855 cum Augustissimo apostolico nostro Imperatore et Rege quoque feliciter conclusum fuit. — Articulis huius Conventionis, mutuo consensu Vicarii I. Ch. et August. Monarchae additae fuerunt variae dispositiones, Matrimonium speciali modo concernentes, et tam illi, quam istae a catholicis Austriaci Imperii adinstar legis ecclesiasticae, a Summo

Pontifice, Supremo Capite catholicae Ecclesiae emanatae, et adinstar legis civilis, nomine Suae Mattis Imperatoris et Regis nostri promulgatae habebantur; unde quilibet catholicus iisdem, utpote legi ecclesiasticae et simul civili, duplici e motivo obedientia obstrictus fuit. Verumtamen per leges 25 Maii a. c. a C. R. Gubernio editas nonnullae relationes inter Ecclesiam et Statum, signanter in respectu matrimonialis legis adeo modificatae fuerunt, ut dispositiones in Concordato contentae, — quae pro Catholicis, utpote leges ecclesiasticae immutabiles perseverant, — quoad Art. V. VII. VIII et X valorem civilium legum amittant per modificationes in suprafatis legibus 25 Maii stabilitas, contra quas Summus Pontifex Pius IX in Consistorio 22 Iunii a. c. protestatus est. Nos itaque D. F. vi muneris nostri pastoralis vobis breviter viam ostendere volumus, qua procedentes Deo fideles persistere, et conscientiae vestrae, salutique animarum vestrarum absque praevaricatione civilium legum prospicere possitis. — (Sequitur de Matrimonio.) — Expositis vobis D. F. maxime essentialibus quoad matrimonium punctis, et demonstrato eo, a vestro religiso sensu, cuius luculenta documenta incessanter praebetis, et a vestra conscientia semper dependere observantiam divinorum praeceptorum, horumque conciliationem cum novis legibus, — quae, ut iterum asseveramus, catholico non imponunt obligationem contra suam conscientiam agendi; — restat, ut vobis quaepiam de observatione dierum festorum cath. Ecclesiae dicamus, in quorum nonnullis novae leges quasdam libertates civibus Status in genere concedunt. Probe scitis D. F. Deum universi Rectorem, temporis quoque Dominum esse; atque hinc, praeter alia sacrificia, illud quoque certae portionis vitae, quam homini benigne concedit, poscere, velleque, ut sanctificatione huius temporis ab hominibus honoretur, et per quietem a labore, quam his diebus praecipit, ipsi conservationi et felicitati humani generis prospiciatur. Deus itaque hominibus hanc sanctificationem instar praecepti iniunxit, quod Iesus Christus confirmavit, et Ecclesia, fidelis eiusdem custos, spiritualibus suis filiis semper inculcavit, ut dies festos, aut honori Dei sacros, precibus, Sacramentorum frequentationi, animae suae sanctificationi, domesticis gaudiis,

Digitized by Google

atque huic sanctae quieti dedicent, quae ad reficiendas per seriem dierum exhaustas vires necessaria est. Novae leges non iniungunt Vobis violationem praecepti divini; atque ad vos pertinebit: Deo et vestris in Iesu Christo fratribus ostendere, vos facultate et libertate vobis concessa haud usuros, sed potius divina praecepta religiose observaturos, ad aedificationem illorum, qui non pertinent ad Ecclesiam catholicam. Id, quod Ecclesiae antea civilis auctoritas praestitit, praestabit, quemadmodum confidimus, vestra conscientia et religiositas, vester christianus zelus et amor proximi, denique bonum exemplum, quod quivis dare obligatur, ut illi, qui nobiscum in fide non consentiunt, dicente Apostolo, nihil habeant malum dicere de nobis. (Tit. 2, 8). Has paucas magni momenti reflexiones religioso vestro obtutui exhibere iudicavimus; certum tenentes, Vos quoque deplorare quodvis obstaculum, quod executioni divinorum praeceptorum ponitur his temporibus, quibus homines continuo novas libertates anhelant; quamvis haec praecepta hominibus vere salutaria sint, cum illos nunquam exponant periculo a recto tramite, ad metam a supremo et infallibili Legislatore universi praefixam ducente, deviandi. Quodsi preces ex imo corde ad Deum effusae semper necessariae et efficaces fuere; -- si zelus veri discipuli Iesu Christi, et amor suorum fratrum semper distinctivum signum fidelis christiani fuit; — si veneratio et obedientia, Deo et Ecclesiae debita constituunt characterem, quo omnem sincerum Catholicum insignitum esse oportet; nos secure confidimus: haec pia sensa in cordibus potentius resuscitanda, et per vos omne periculum praevaricandi praecepta Domini removendum fore, audiendo Pastores vestros, de quibus Iesus Christus dixit: „Qui vos audit, me audit.“ (Luc. 10, 16). Orate itaque, ut Deus restituat pacem Ecclesiae, quae in multis locis tribulationem patitur, et confirmet in fide vacillantes, qui secundum dicta Apostoli ab omni vento doctrinae circumferuntur, dicendo lucem tenebras, et tenebras lucem, qui sunt coram Deo inexcusabiles; etenim nunquam sol veritatis tam splendide refulsit, quam hodie; dum omnes errores tam potenter confutati sunt, ad quos penitus dissipandos haud aliud requiritur, nisi ut quidam homines, conscii, se ad similitudinem

aeterni sui Creatoris conditos esse, non praeferant se similes reddere materiae, et ut refrenare velint suas tyrannicas passiones, quibus liberati, puro intellectu, per fidem illustrato, gradi possent per campos veritatis et institiae. Orate denique D. F. pro Summo Pontifice, universali Pastore, pro aug. Imperatore et Rege nostro Francisco Iosepho I et pro Nobis quoque, qui vobis e toto corde benedicimus. — Jadrae, 16 Iulii 1868.

